
8
25
1
9

1

Pertinet ad Conv.tum S. Bonav.rae di Vrbe

# RELATIO MISSIONVM OCCIDENTALIVM

SVB VEXILLIS

SERAPHICI INSTITVTI

Peractarum

A. P. FRANCISCO DIAZ A S. BONAVENTVRA
Earundem Promotore congesta,

ET

*Sacræ Congregationi de Propaganda Fide nouissimè præsentata.*



ROMÆ;
ANNO IVBILÆI M.DCC.
Typis Reuerendæ Cameræ Apostolicæ.
SVPERIORVM PERMISSV.

# INDEX DISTINCTIONVM

## Quæ in sequenti Relatione Missionum Occidentalium de nouo prodeunt in lucem publicam.

## AD LECTOREM.



PLVRA (benignè Lector) inuenies in harum Distinctionum contextu, quæ Elogia sunt Seruorum Dei, quorum in eis occurrit memoria, cum autem, iuxta Decretum Sanctæ recordationis Vrbani Octaui de die 5. Iunij 1631. admitti non debeant Elogia *Sancti*, vel *Beati* absolutè, & quæ cadunt super Personam non Canonizatam; nec Beatificatam; benè tamen possint admitti ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio libri, quod his nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana; sed fides sit tantùm penès Authorem: hinc tibi hanc eandem protestationem præmittimus. Te insuper scire peroptamus, plura contineri in hac relatione, quæ extraximus è VVadingo, vel è monumentis Apostolicæ Prouinciæ Diui Iacobi, aut scriptis aliorum probatorum Authorum, quos tamen aliquando non citauimus, studentes breuitati, & sequelæ narrationis, quam valdè interrumperent plures allegationes. Vale, &c.

# Emi, ac Rmi Domini,

PER hanc Sacram Congregationem de Propaganda Fide præscripta sunt nonaginta Capita, seù Interrogatoria, quibus respondere debent Missionarij, vt de Regionibus sibi commissis plenam eidem Sacræ Congregationi rationem reddant. Hinc Patres Ordinis S. Francisci, de Obseruantia nuncupati, ab ipsa Sacra Congregatione, pro Indijs Occidentalibus, vt infrà ostendetur, Missionarij Deputati, rationem præmemoratam, prout par est, reddere cupientes, præcipuis è dictis Capitibus, quamuis sub diuerso ordine, in subsequenti Relatione, per pauciores Titulos diuisa submissè respondent, vt benignitatem EE. VV. propensam habeant erga profectum, & augumentum præfatæ Missionis.

## DISTINCTIO I.

*Fratres Minores sunt adstricti, ex sua Professione, & Seraphico Instituto, exercitio Prædicationis Euangelicæ.*

§ 1.

CREATOR omnium Deus, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, humanam, quam condiderat naturam, diabolica fraude deceptam, turpiter deformatam, mortificatamque lethaliter, ineffabili sapientiæ, ac misericordiæ suæ consilio, altissimo, ac mirando Incarnationis Diuinæ Sacramento, renouare mirabiliter, per pulchrè reformare, ac viuificare potenter, cum ab æterno Paterna charitate misericorditer dispofuisset, Vnigenitum suum sibi consubstantialem, & coeternum, vbi venit plenitudo temporis misit in Mundum, vt renouandis mortalibus vitam daret, veritatem aperiret, & viam ostenderet ad vitam æternam beatè, fœliciterque possidendam: qui de Spiritu Sancto conceptus, & ex Maria Virgine natus, id totum quidem per se ipsum primò, deinde per Apostolos suos, Spiritu Sancto afflatos diuinissimè præstitit.

§. 2. Hi enim igne Superni Amoris accensi, sub modio non manserunt, sed supra Ecclesię Candelabrum positi, non luxerunt tantùm, quia vanum esset, nec arserunt solùm, quia parùm foret, Sed simul & luxerunt, & arserunt, quia perfectum erat: & sic ardendo sibi, ac lucendo alijs, hominum gelida Corda Amoris Diuini flamma accenderunt. Hinc tanta in Ecclesia Sancta Dei, & tàm vehemens exorta est Charitatis flàmma; quòd eam nec tentationum procella, nec tribulationum aquæ, nec persequutionum fluctus vnquam potuerunt extinguere: Verùm, & quod mirabiliùs est, semper accenderunt magis. Hoc narrant Historię de tempore Discipulorum Domini, & eorum qui Deum proponentes in conspectu suo mori potiùs elegere, quàm vitiorum, & infidelitatis flammis sua Corda suppo-nere.

§. 3. Postquã autem dormitionẽ mortis ij Pugnatores strenui gloriosè acceperunt, & cùm iam negligentiùs agerent Vineæ Domini Operarij, cumque sopore graui dormitarent homines, imò frigescente iam Mundo, sęculo ferè corrupto, planè desolato, & infelici, quo

quo ipsa Ecclesia Dei Columna perfectionis labi quasi videbatur, missus est in Mundum Apostolicæ Vitæ alter Instaurator: alterque Angelus signum Dei viui portans, & Christum hominibus repræsentans, in terris visus est: Apostolicus, inquam, Seraphicus, & Christi signifer Franciscus, qui à Domino ter meruit audire: *Vade Francisce repara Domum meam, quæ labitur*, in Mundo natus feliciter apparuit, vt Sacris Christi Stigmatibus insignitus, hominum Corda Diuini Amoris flamma iterum succenderet. Hic secumferens Iesu Christi effigiem, *totus* (vt ait D. Bonauentura cap. 8. vitæ) *quasi quidam carbo ignitus, Diuini Amoris flamma videbatur absortus*, & tàm sibi, quàm Mundo, & eius delitijs mortuus, soli Deo viuens, atque indesinenter *Deus meus, & omnia* clamans, spirituales filios in ingenti numero genuit, doctrinæ Cœlestis pabulo nutriuit, & suæ vitæ, & ardoris amatores, ac sequaces effecit, ipsorumque adiutorio Mundum Vniuersum, & Euangelicæ perfectionis zelo, atque Charitatis igne, quo ipse ardebat, studuit accendere, meruitque illustrare, & obtinuit ignire.

§. 4. Ex quo, Sacra expresse approbante Romana Ecclesia, in Breuiario Franciscano, Antiphona illa prima cantatur, in Sacrorum Stigmatũ officio, pro laudibus, ex ipsis Iesu Christi verbis efformata, per quæ Sanctus ipse Patriarcha Pauperum, ab eodem Iesu Crucifixo ad reparandam Ecclesiam destinatus fuit; *Vade Francisce; repara Domum meam, quæ labitur*; Quæ de Mystica per Euangelij prædicationem reparatione, omnes post S. Bonauenturam, exteri, & nostrates vnanimi calamo intellexere Scriptores. Idipsum sic intellexisse probatur Innocentius III. ante cæteros, vbi coram se genuflexis Francisco, eiusque duodecim Socijs (qui soli tunc erant in Ordine Minorum) Regulam eorum primò confirmans, dedit eis, *de pœnitentia prædicanda mandatum*. Nec vllum ab Innocentio III. præfato, ad vsque Innocentium XII. in Petri Cathedra feliciſſimè Regnantem, erit inuenire Pontificem, qui vel apparenter assertioni contrariæ fauere cognoscatur.

§. 5. Ad quod exequendum idem S. Franciscus, anno ab instituta Religione quarto, à prima Regulæ approbatione tertio, nostræ salutis 1212. antequam primò in Africam traijcere parasset, ad Innocentium III. Pontificem introductus, longoque de necessitatibus Ecclesiæ illo in turbulentissimo sæculo sermone detentus; cum inter reliqua de Fide ad Infideles, Saracenos præsertim, atque Tartaros, tunc Europæ, Asiæque cum ferro, & flamma imminentes, deportanda, magno cum Spiritus feruore verba fecisset, indefinitam, & illimitatam Missionem Apostolicam, vt mandatum de Prædicanda pœnitentia anteà susceperat, ab eodem Pontifice obtinuit sui Ordinis zelo enixè commendari. Vndè primùm ad Africanos Occidentales, deindè in Ægyptum, & Syriam Missionem assumpsit: Filiosque suos ad multiplices Missiones mira sollicitudine expediuit.

§. 6. Inde in Regula, quam suis Sectatoribus profitendam reliquit, vltimum Capitulum descripsit, pro *euntibus inter Saracenos, & alios Infideles*: & in alio præcedenti, nono nimirum, normam dedit eisdem prædicandi inter Fideles. Nec id præstitit absque cœlesti illustratione, optimè etenim nouerat quantum fructus ex solitudine, oratione, & contemplatione percipiatur, & vicissim quantum rigor disciplinæ Regularis, & pœnitentiæ relaxationi sit expositus, dum prædicationi, animarumque conuersioni incumbitur; ideòque cum esset Pœnitentiæ amantissimus, libentiùs solitudini, & contemplationi se totum dedisset; at quia etiam nouerat, maximum opus esse conuersionem Animarum, pro quibus Dominus in hunc Mundum venit, & quia aliundè simul sciebat, omnia ex Diuino consilio facienda esse, super hac re consuluit Dominum, vt cuinam exercitio cum Ordine suo se traderet; solitudini, & contemplationi dumtaxàt, an etiam prædicationi, & saluti Animarum? certior fieri posset. Responsumque

que accepit à Domino, se, suumque Ordinem electum fuisse, non vt soli contemplationi vacaret, sed & actioni, quæ Animarum salutem respicit, incumberet.

§.7. Hoc iàm accepto oraculo, voluntati Diuinæ obediens, tùm ipsemet iuit, tum Fratres suos per vniuersum Mundum, ad salutem Animarum procurandam distribuit, & regulam peculiarem quoad hoc ipsum, Spiritu Sancto dictante, reliquit. Et meritò quidèm tam ipse, quàm Sanctissimi ipsius Discipuli, diuinitùs afflati censuerunt actionem, quæ ad lucrum animarum dirigitur, solitudini, quieti, ac contemplationi anteponendam esse (quamuis alioquin ex se minùs perfecta pars sit vitæ spiritualis, contemplationique, vt meliori postponatur à Domino) huiusmodi siquidèm operatio actionem, & contemplationem continet: qui enim docet, alijs, quæ meditatus, & contemplatus fuit, ministrat, sicut ex D. Bernardo docuit S. Bonauentura *in meditat. Vitæ Christi cap.45.* per hæc verba [ Est igitur, inquit, vita actiua, quæ designatur per Martham, sed actiuæ vitæ (sicut ex dictis Bernardi colligere possum) duæ sunt partes. Prima pars, qua quis se exercet ad suam principaliter vtilitatem, corrigendo se, emendando à vitijs, & informando virtutibus. Et id idem fit secundariò ad vtilitatem etiam proximi, per opera iustitiæ, & obsequia pietatis, & charitatis. Secunda pars eius est, quando quis principaliter suum exercitium confert ad vtilitatem proximi, quamuis ad suum etiam meritum, & alios regendo, docendo, & adiuuando in Animarum salutem, sicut faciunt Prælati, & Prædicatores, & hujusmodi.

§.8. Et in has duas partes vitæ actiuæ, est Vita contemplatiua, vt iste sit ordo, vt primò, quis se exerceat, & laboret in oratione, & sacrarum studio litterarum, & alijs operibus bonis, & obsequijs in conuersatione, quasi corrigendo se à vitijs, & acquirendo virtutes: Secundò quiescat in contemplatione, solitudinem mentis quærens, & soli Deo vacans toto posse: Tertiò per prædicta duo exercitia, virtutibus, & vera sapientia imbutus, & illuminatus, & feruidus effectus, ad aliorum salutem intendat. Primò igitur (vt tetigi) oportet, quod in prima actiua parte mens expurgetur, depuretur, & roboretur per exercitia virtutum: deindè in contemplatiua informetur, illuminetur, & instruatur: posteà confidenter potest ad aliorum profectus exire, vt eos possit adiuuare. Hactenùs S. Bonauentura.]

§.9. Qualiter autem se gerere debeant Minores in administrando hoc adiuuamine, idem Sanctus Franciscus, eorum Patriarcha, collat.2. his verbis reliquit expressum [ consideremus, Fratres charissimi, vocationem nostram, qua vocauit nos misericorditer Deus, non tantùm pro nostra, sed pro multorum etiam salute, vt eamus per Mundum exhortando omnes plus exemplo, quàm verbò, ad agendum pęnitentiam de peccatis suis, & ad habendam memoriam mandatorum Dei. Nolite timere, quia pusilli, & insiplentes videmur, sed securi annuntiantes simpliciter pęnitentiam, confidentes in Domino, qui vicit Mundum, quòd spiritu suo loquetur per Vos, & in Vobis ad exhortandum omnes, vt conuertantur ad ipsum, & eius mandata obseruent. Caueamus, qui reliquimus omnia, nè pro modico Regnum Cęlorum perdamus, & si pecuniam in aliquo loco inueniamus, non curemus de illa plusquàm de puluere, quem calcamus. Non iudicemus, neque despiciamus illos, qui delicatè viuunt, & curiosè, ac superfluè induuntur. Deus est noster, ac ipsorum Dominus, potens illos ad se vocare, & vocatos iustificare. Tales ergò reuereamur vt Fratres, & Dominos nostros. Fratres enim sunt, in quantum ab vno Creatore creati; Domini verò sunt, in quantum bonos adiuuant ad pęnitentiam faciendam, eis necessaria corpori administrantes. Ite ergo annunciantes hominibus pacem, prædicantes pęnitentiam in remissionem peccatorum. Inuenietis quosdam homines fideles, mansuetos, & benignos, qui cum gaudio Vos, & verba vestra recipient; ac per oppositum alios infideles, superbos, blasphemos,

qui exprobrantes resistent Vobis, & iis quæ dicetis. Ponite ergo in cordi bus vestris, patienter,& humiliter omnia tolerare. Nolite tamèn timere, quoniam non post multum tempus venient ad Vos multi sapientes, & nobiles, eruntque vobiscum prædicantes Regibus, & Principibus, & Populis multis. Estote ergo in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graues, & in beneficijs grati: quia pro his omnibus Vobis Regnum Dei præparatur æternum, quod Nobis concedat ille, qui viuit, & regnat Trinus, & Vnus, & absque dubio concedet, si emissa seruauerimus vota nostra, quæ illi voluntariè spopondimus.]

§.10. Quare hic iàm fas erit Seraphici Doctoris verba, hunc ad intentum aptissima, & concludentissima, non ad contentionem, sed ad dictorum confirmationem apponere. Ipse enim Caput nonum Regulæ Minorum exponens, vbi de Prædicationis officio, more suo, doctissimè differens: inquit; *Vndè certissimè constat, quod nullis Religiosis plus competit prædicare ex ratione status sui, quàm his, qui hanc regulam profitentur*. Cui assertioni Populus Christianus videtur applaudere.

§.11. Quod si à Sacro Vaticani vertice huiusmodi assertionis, præcipuè, quoad Infideles, luculentior confirmatio exquiratur: iàm, vltra Testimonia præinserta, iterum Innocentium IV., & Gregorium XI. superaddimus. Ille Franciscanos, ad Tartarorum Regna, pro Euangelica Prædicatione destinans, in Apostolicis litteris; *Dei Patris immensa benignitas &c.* Dat. Lugduni 3. Nonas Martij Anno secundo, ad Regem, Populumque Tartarorum datis, sic ait; *Memoratos Fratres, quos tanquàm diu sub Obseruantia Regulari probatos, & plenè in Scripturis Sacris instructos, inter alios praelegimus, quia vtiliores Vobis fore credimus, tanquàm Saluatoris nostri humilitatem sectantes, ad Vos duximus transmittendos, & si putassemus, quòd fructuosiores, & gratiosiores Vobis existerent, vel aliquos Ecclesiarum Prælatos ad Vos, aut Potentes alios misissemus.* Gregorius XI. in Bulla *Cunctos Christi Fideles &c.* 6. kalen. Iulij Anno III. De Fratrum Minorum prædicatione Fideles inter, & Infideles verba faciens, muneribus aliorum Religiosorum enarratis, ità subiungit: *Aliique feruentioris spiritus ordore succensi, non timentes, sed amantes barbaras Nationes, ad illarum conuersionem pergunt intrepidi, vt valeant ad Dominicam aream multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis, Domino bonam reddere rationem. Hi profectò sunt Fratres Ordinis Minorum, in Dei Ecclesia multiplicibus splendoribus radiantes, quorum sonus prædicationis, & sanctitatis opera, præ cæteris Religionum Professoribus, vsque ad extremum terræ noscitur exiuisse.* Demùm Odericus Raynaldus in Annal. Ecclesiasticis, ad annum 1475. num. 29. dicit expresè, Testimonium educens ex Sixto IV. Pontifice, quòd Franciscanus Ordo, ad disseminandum inter Infideles Euāgelium, præcipuè fuerit institutus.

§.12. Atque ex eo S. Fundator ipsius voluit, quod primæ litteræ, quę ab Apostolica Sede pro suo sodalitio emanarent, illæ essent, quibus commendaretur Prædicationis exercitio, exemplo Apostolorum, ad Animarum salutem, in Orbe cuncto, Seraphico ardore renouato. Harumque litterarum tenor, apud firmamenta trium Ordinum par. 2. Tractat. 1. fol. 10. est, prout sequitur [ Honorius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Archiepiscopis, & Episcopis, Abbatibus, Decanis, Archidiaconis, & alijs Ecclesiarum Prælatis. Cùm Dilecti Filij Fr. Franciscus, & Socij eius de Vita, & Religione Minorum Fratrum, abiectis vanitatibus huius Mundi, elegerint Vitæ viam, à Romana Ecclesia meritò approbatam, ac ferendo semina verbi Dei, Apostolorum exemplo diuersas circumeant mansiones, Vniuersitatem vestram rogamus, & exhortamur in Domino, per Apostolica Vobis scripta mandantes, quatenùs Latores præsentium de prædictorum Fratrum Collegio existentes, cùm ad Vos duxerint declinandum, ipsos recipiatis, sicut Catholicos; & Fi-

Fideles: allas eis ad reuerentiam Diuinam, & nostram exhibentes Vos fauorabiles, & benignos. Dat.3. Idus Iunij Pontificatus Nostri Anno III.

§.13. Quæ cuncta sicut ope, & consilio Cardinalis Hugolini Episcopi Ostiensis, & vigilantissimi Protectoris Minoritici Instituti, peracta erant, ità ab eodem, immediatè post Honorium ad Pontificatum assumpto, noua commendatione Apostolica constabilita sunt. Anno siquidèm 1237. ad omnes Ecclesiæ Prælatos, ac Pastores Decretalem direxit, in qua (videnda apud præallegata firmamenta trium Ordinum Par.2. Tractat.2. fol.13.) hæc adsunt verba. [Quoniam abundauit iniquitas, & refriguit charitas plurimorum, Sacrum Ordinem Dilectorum Filiorum Fratrum Minorum Dominus suscitauit, qui non quæ sua, sed quæ sunt Christi quærentes, tam cõtra profugandas hæreses, quàm contra pestes alias mortiferas extirpandas se dedicauerunt euangelizationi verbi Dei in abiectione voluntariæ paupertatis; Nos igitur sanctum eorum propositum, & necessarium ministerium fauore beneuolo prosequentes; Vniuersitati vestræ affectuosè duximus commendandos, charitatem vestram rogantes, & exhortantes in Domino, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenùs Dilectos Filios, Fratres Ordinis memorati pro reuerentia Diuina, & nostra, ad officium prædicandi, ad quod sunt ex professione sui Ordinis deputati, benignè recipere procuretis, ac Populos Vobis commissos, vt ex ore ipsorum verbi Dei semen deuotè suscipiant admonentes; etiam In suis necessitatibus liberaliter assistatis: nec impediatis quominùs illi, qui ad prædicationem eorum accesserint, tunc eorum Sacerdotibus valeant confiteri; quatenùs ad prædicta suscipienda vestris exhortationibus præparati; tanquàm bona, & fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiant segetes germinare virtutum: & dicti Fratres per cooperationem vestram suscepti ministerij cursum feliciter consumando, optatum reportent sui laboris fructum, & finem, salutem videlicet Animarum.]

§.14. Vbi attentè sunt perpendenda verba illa: *officium prædicandi, ad quod ex professione suiOrdinis sunt deputati*: in eis siquidèm satis apertè exprimitur finis, ad quem Apostolica Sedes ordinatam censet Minoritici Instituti professionem. Pro quo aliud ab Innocentio IV. *Anno* 1245. emanauit ad eosdem Prælatos, & Pastores Apostolicum Breue, *Quoniam*: incipiens, legendum in Regest. Tom. 1. Annal. Vvadingi sub num. 26. in eoque transcripta, ac renouata conspiciuntur verba Gregorij IX. prærelata, cum ea etiam expressione, *officium prædicandi, ad quod sunt ex Professione sui Ordinis deputati*.

§.15. Idẽ præterea Innocentius in Cõstitutione *Cum hora*: quam transcripsit ex Archiuio Sacri Montis Sion, P. Quaresmius, in elucidatione Terræ Sanctę, Tom.1. Lib.2. loquens cum Minoribus, iterùm eundem finem expressit, dicendo: *Vos igitur, quos iuxtà professæ Religionis officium zelus comedit Animarum &c.* De eodem, ac per eadem verba formalia, testimonium pariter perhibuit Alexander IV. in Constitutione, cuius initium, *Cum hora iàm*: adducta à Vvading. Tom.2. *sub Anno* 1258. num.1. Cui Testimonio omninò cohęrent verba Nicolai III. in litteris, quę incipiunt, *Æterni Pastoris*: pro Minoribus proficiscentibus in terras Tartarorum expeditis, ad longũ relatis à Vvading. Tom.2. pręcitato sub num. 10. *Anno* 1278. ibi — *Vos igitur ad partes easdem, de Fratrum nostrorum consilio, tanquam salutis Angelos, ad exercendum inibi opus Dominicum, iuxtà Professæ Religionis officium prudenter accinctos, duximus destinandos*. Nec à prædictis Testimonijs aliud differt, expressum à Clemente V. in Constitutione, *Cum hora vndecima*: transcripta à Vvadingo in Additionib. Tom.7. ad Tom.3. sub num.7. vbi inquit. *Vos igitur, quos, iuxtà professæ Religionis officium, zelus comedit Animarum, & cum quadriga quarta, quam varijs charismatum donis, & fidei fortitudine trahitis, vbique discurrere, ac vexillum Regis Gloriæ procùl leuare gestitis ad Gentes, quæ Iesum Christum* Do-

*Dominum non agnoscunt, & ad subtractionis Filios, qui Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non obediunt, destinamus &c.*

§.16. Idq; ampliùs ex eo ostenditur, quòd Fratres Minores sunt illius Regulæ, ac Vitæ Professores, quam Nicolaus III. Apostolicam appellauit *in cap. Exijt de verb. signific. in 6.* de eisdem dicendo: *Hi sunt illius Sanctæ Regulæ Professores, quæ Euangelico fundatur eloquio, Vitæ Christi roboratur exemplo, fundatorum Militantis Ecclesiæ Apostolorum eius sermonibus, actibusque firmatur. Hæc est apud Deum, & Patrem munda, & immaculata Religio, quæ descendens à Patre luminum per eius Filium exemplariter, & verbaliter Apostolis tradita, & deindè per Spiritum Sanctum Beato Francisco, & cum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis. Hæc est, cui (attestante Paulo Apostolo) nemo de cætero debet esse molestus, quam Christus Stigmatibus suæ Passionis confirmauit, volens Institutorem ipsius Passionis suæ signis notabiliter insigniri.* Tunc autem se Regulæ fundatæ Euangelico eloquio, roboratæ exemplo Vitæ Christi, & sermonibus, actibusque Apostolorum firmatæ, veros Professores ostendunt Franciscani, cùm Mundi lux efficiuntur, dicente Domino de se ipso: *Ego sum lux Mundi*. Ioann. cap. 8., & de Apostolis: *Vos estis lux Mundi*. Matth. cap. 5. Quia sicut lux non modò se, sed & alios lumine illustrat, ità Christus fecit, & faciendum Apostolis præscripsit, facereque tenentur Vitæ Apostolorum Professores, non sibi modò, sed & alijs Prædicatione, & Sacramentorum administratione, ac operum bonorum exemplis, vbique proficiendo.

§.17. Se tales ostendunt prætereà, dùm Christi imitantur cum Peccatoribus conuersationem, de qua S. Hieronym. lib. 1. Comment. In cap. 9. Matth. ità inquit: *Ibat Dominus ad Conuiuia Peccatorum, vt occasionem haberet docendi, & spirituales inuitatoribus suis præberet cibos.* Dùm Apostolum Paulum cap. 9. Epist. ad Rom. dicentem: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro Fratribus meis*: Ità sequuntur, vt de ipsis illud dici queat, quod Sanctus Ioannes Chrysostomus lib. 1. de Comput. Cord. de Apostolo narrat his verbis: *Tantus amor Christi, & salutationis proximi Diui Pauli mentem demerserat, vt hoc etiam ipsum, quod ei erat præ cæteris rebus omnibus amicabiliùs, scilicet esse cum Christo, pro Fratribus contemneret, quia sciebat, quod ità placeret ipsi Christo.*

§.18. Dùm etiam, cum eodem Apostolo cap. 9. Epist. 1. ad Corinth., quisque de se ipso hoc efformabit iudicium: *Si euangelizauero non est mihi Gloria: necessitas mihi incumbit: Væ enim mihi est, si non euangelizauero*, idest, si gloriam ex prædicatione Euangelij mihi concredita non percipiam peculiarem, aut singularem, & si in hoc munere me dumtaxat exerceam, quantum mihi mandatum extiterit: bene verò mihi erit, si in eo aliqua supererogationis adiecerim, vti laborare in ipso vsque ad vincula, sicut Paulus laborauit, & cũ pro labore possem mercedem, ac prẹmia recipere, omnia ista contemnere, vt tutò cum Apostolo ipso repetere possim: *Sine sumptu ponam Euangelium, vt non abutar potestate mea in Euangelio; Nàm cùm liber essem ex omnibus, omnium me Seruum feci, vt plures lucrifacerem.*

§.19. Dùm insuper ea charitate feruntur in proximos, vt praxi inhæreant sententijs Gregorij Magni homil. 6. in Euangelia dicentis: *Plus est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem moriturae carnis terreno pane satiare.* Et lib. 19. moral. cap. 12. *Si magnæ mercedis est à morte eripere carnem, quandoque morituram, quanti est meriti à morte unimam liberare, in Cęlesti Patria sine fine victuram?* Et Sancti quoque Ioann. Chrysostomi, qui homil. 3. in Genesim inquit: *Vt anima corpore melior est, ità his, qui indigentibus pecunias, & facultates suppeditant, maioribus pręmijs digni sunt ij, qui admonendo, & continuò docendo in viam rectam supinos, & desides inducunt, monstrando eis Diuinarum virtutum fragantiam, & vitiorum maleuolentiam.*

Nec

§. 20. Nec non *homil. 5. super* 1. ad Corinth. *cap.* 1. vbi ait: *Et si immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si vnam conuerteris animam.* Quòd altiùs ponderatum legimus apud eumdem Chrysostomum *humil.* 3. & 40. in Genesim sic testantem *Nihil ita gratũ est Deo, & ita curæ, vt animarum salus.* Et apud magnum Dionysium *cap.* 3. de Cœlesti Hierarchia dicentem: *Omnium Diuinorum Diuinissimum est, cooperari Deo in salutem animarum.*

§. 21. Hinc plurimi Minoritæ à primæuis sui Ordinis fundamentis, Diuino Spiritu, atque animarum zelo succensi, Sanctum assumpserunt fœdus, & Charitatis vinculis inuicem colligati, Sacram quandam instituerunt militiam, ad debellandas potestates, & conterendos Christianæ Fidei inimicos. Pium hoc studium, inter Prædicatores, & Minores ortum habuit, sub Innocentio IV. anno 1252. & sub Ioanne XXII. Gregorio XI. atque Vrbano VI. aucto Fratrum numero, adeò inualuit, vt peculiari titulo vocaretur *Societas Peregrinantium propter Christum.* Hi enim Auctoritate Apostolica suffulti, constituto sibi Præside Ministri Generalis Vicario, terras peragrabant Ruthenorum, Vvalachorum, Tartarorum, Saracenorum, Paganorum, Cretorum, Bulgarorum, & aliarum Orientis, Aquilonisque Nationum non credentium; habebantque in Cœnobijs, & Congregationibus suis Archiepiscopos, & Episcopos, magnis per Sedem Apostolicam ornatos facultatibus, & per terras Infidelium euntes, mittebant semina Sacræ Doctrinæ; & errores, hæresesque eradicabant. Restiterunt tamen aliqui, præsertim in Russia, & quibusdam partibus Hungariæ, qui suæ gloriæ detrahi putabant, quidquid per hos insigniter fieret, & suam minui iudicabant authoritatem per priuilegia à Sede Apostolica illis concessa: horum autem temeritatem repressisse Gregorium XI. & denuò condemnasse Benefacium IX. testantur Annnales V. Patris Vvadingi, sub Pontificatibus eorumdem Romanorum Antistitum.

§. 22. Hos alij eiusdem perfectionis Cultores, & veri Seraphicæ Regulæ Zelatores (quos omni temporum ætate benignissimus Deus prouidit, qui Ordinẽ suum Minoriticum in finem vsque Mundi duraturum S. Francisco promiserat) interminabiliter sunt ità imitati, vt alijs decedentibus, alij surgerent, qui Mundi Ruinas repararent, & perfectionis spiritum in orbe attenuatum reaccenderent, & suscitarent. Hoc Sancto zelo accensi potissimum fuere, & terræ luxerunt Vniuersæ, quamplumi Apostolici Concionatores, ac Missionarij præclarissimi, in quibus genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta, & Populus acquisitionis, quos Deus vocauit non in immunditiã, sed in Sanctificationem, vt virtutes annuntiarent illius, qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum, mirabiliter prospicitur.

§. 23. Quamobrem, dũ quisque nostrũ mentem ad retroacta sæcula conuertit iure merito exclamat: Memini tui Antonij Patauini, & obstupesco: Recordor vestri ardentissimi zeli, Bonauentura, Ludouice, Bernardine, Ioannes à Capistrano, Petre de Alcantara, Didace de Compluto, Iacobe Marchiane, Alberte de Sarthiano, & Petre Regalate, & excedens mente opprimor lacrymis. Vestri non obliuiscor, ò Martyres præclarissimi, qui Ceptæ, Marrochij, in Iappone, Holandia, ac partibus tàm Orientalibus, quàm Septemtrionalibus, & meridianis, & Occidentalibus, pro Christi nomine corpora vestra tradidistis: Vos enim omnes alloqui videbatur Chrysostomus, apud Metaphrast. de Sanctis Petro, & Paulo dicens: *Quot Carceres Sanctificastis? maledicta tolerastis? quomodo Christum portastis? quomodo prædicatione Ecclesias lætificastis? sunt benedictæ vestræ linguæ instrumenta: sanguine conspersa sunt membra vestra propter Ecclesiam. Vos Christum imitastis in omnibus; in omnem Terram exiuit vester sonus, & verba vestra in finem Orbis Terræ.* Gaudete igitur, & exultate, quia merces vestra copiosa est in Celis: iterum dico gaudete, quia illud mandatum Dominicum: *Vade Francisce repara Domum meam, quæ labitur*, vestris laboribus, & virtutibus, quæ nullis ferè verbis explicari possunt, abundanter fuit adimpletum.

# DISTINCTIO II.

*Fratres Minores tenentur, non ex ipsa sola Professione, sed quando insimul accedit immediata, vel mediata Sanctæ Romanæ Ecclesiæ deputatio, munus Prædicationis Euangelicæ obire, etiam inter Infideles.*

§. 1.

ALMA Mater Ecclesia, (vt testatus est Summus Pontifex Pius Secundus, in Constitutione, cuius initium, *In minoribus agentes*; ad Coloniensem Vniuersitetem directa) cum sit Sponsa Christi, profectò à Deo est, & ordinem habet, dicente Apostolo, quæ sunt à Deo, ordinata esse; requirit autem Ordo, vt inferiora à Superioribus gubernentur, & ad vnum tandem perueniatur tanquam Principem, & moderatorem cunctorum, quæ infra se sunt. Sicut grues vnam sequuntur, & in Apibus vnus est Rex: ità & in Ecclesia militanti, quæ instar triumphantis habet, vnus est omnium Moderator, & Arbiter, Iesu Christi Vicarius, à quo tanquam capite omnis in subiecta membra potestas, & auctoritas deriuatur à Christo Domino Deo nostro sine medio in ipsum influit. Nec profectò in alium tanquam sui exercitus Ducem, supremam auctoritatem Christus principaliter deriuasset, quam in suum Vicarium: Et primus fuit Petrus, cui commissam nouimus Dominici gregis curam.

§. 2. Nec duos, pluresuè Petros Euãgelistæ cõmemorant, nec duos, aut plures instituit Dominus, qui suum locum tanquam capita tenerent æqualia: sed vnum constituit, vt verticem, ac Ducem, & Pastorem Vniuersi Gregis, Simonem Petrum, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: & tibi dabo claues Regni Cœlorum, quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cęlo, & quodcumque solueris super terram erit solutum & in Cęlo. Et pasce oues meas: quæ nulli alteri seorsum dicta leguntur, nisi Petro, vt in Petro vnitas, & summa contineretur auctoritas. Nec alius à Petro dictus est Petrus, nisi Simon, vt intelligeremus vnicum esse veræ, & solidæ Petræ, idest Christi, vt Paulus exponit, Locumtenentem Simonem Petrum, qui solus pro Domino, in periculo constituto, exemit gladium. Petrus igitur, & Successores Romani Pontificis primatum in Ecclesia tenuerunt, & quicumque Romanæ, secundum Canonicas Sanctiones præficitur Ecclesiæ, quam primum electus est in Sacro Collegio, supremam à Deo potestatem, sine medio, consequitur, & per ordinem in omnem diffundit Ecclesiam, & illius peccata diuino iudicio punienda relinquuntur.

§. 3. Cùm enim Pius, ac Maximus, & Optimus Deus, in suo sanguine fundauerit Ecclesiam, eamque voluerit ad finem vsque sęculi perdurare, quis non dixerit, in ea id regimen institutum esse, quod optimum censetur? At verò inter genera gubernationum, cõmunis Philosophorum sententia est, pręstare Monarchiam; & Romani, quorum toto micuit Orbe dignitas, quamuis eiectis Regibus, per duos annos Consules elegerunt, & modò Tribunos addidere, modò alios Magistratus inuenere, in aduersis tamen casibus, bellisque grauioribus, ad vnum aliquem recurrerunt virtute, & auctoritate præstantem, quem Dictatorem appellauerunt, cuius dicto non liceret aduersari. Et quamquam dictaturam ab initio temporaneam instituerunt; in Iulio tamen, & Successoribus perpetua effecta est. Nec vnquam Romana res admirabilior, aut celsior fuit, quam sub Augusto Cæsare, quando iam, clausis Iani portis, totus ferè Orbis sub vnius hominis gubernatione quieuit, Quo tempore natus Mundi Saluator Monarchicum Regimen cęteris prætulisse videtur gubernationibus; Idem pro-

probat totius ferè Orbis Consuetudo, cuius maximam partem gubernant Reges, siue Christianos intueamur, siue Barbaros. Et quamuis Ciuitates aliquot reperiantur, quæ cum maximè seruiant, liberas se se vocitant, sine Rege viuentes; non tamen possunt effugere, quin Vnum præferant alijs, eique tanquam capiti pro tempore obediant.

§. 4. Quid plura? Cælestis Aula nos admonet; Quid illa pulchrius? Quid ordinatiùs? Quid maiùs? aut durabilius? Quid melius, aut beatius? Quamuis in ea, vt Angelorum, diuersi sint ordines, & Sanctorum Spirituum innumerabiles Chori, vnus tamen est omnium Rex, æternus Deus, qui condidit Vniuersa, & nihil negligit eorum, quæ condidit, cuius filius Vnigenitus Christus Iesus, cum pro nostra salute venisset in hunc Mundum, seruili accepta forma, Ecclesiam de qua loquimur, in Cruce patiens suo sanguine acquisiuit, & in ea vsque in diem Ascensionis corporaliter præsedit, & tanquam Dux verus, & Imperator cuncta in finem suum direxit. Et cum ascendisset in Cælum eum indubitanter sui Gregis Pastorem reliquit, cui dixerat. *Pasce oues meas, & tibi dabo claues Regni Cælorum*: Neque enim dixit, & non fecit, qui solus est verax. Grex Christi Ecclesia est: Pastor primus ipse fuit Christus, & Pastor bonus, qui posuit animam suam pro ouibus suis. Secundus Pastor extitit ab ipso Domino institutus, atque omni potestate donatus, quæ ad benè regendum commissas oues, necessaria dicitur. Alioqui Christus, qui sapientia Patris est, & omninò sapienter egit, Ecclesiæ suę haud sufficienter prouidisset, quòd est nefarium dicere. Et quamuis plures per Orbem Ecclesiæ institutæ fuerint, & plures Episcopi, idest plures greges, & ouilia plura, & Pastores plures; omnes tamen sub vno grege, atque ouili continebantur, sicut, & hodie continentur, quia vnus est Christi thalamus, vna sponsa, vnum ouile, & vnus Pastor, & omnium Episcoporum vnus Episcopus, Romanus Præsul, Beati Petri successor, & Iesu Christi Vicarius.

§. 5. Petrus enim in Antiochia primùm sedit, deinde Romam venit: Vnde, cum persecutionem fugiens, vellet abire, à Domino prohibitus est, & ... glorioso Martyrio vitam finiuit, successore Clemente substituto, atque ità in hanc vsque diem seruatum est, vt qui Romæ sederit Antistes ritè institutus, per legitimum electionis tramitem, tanquam Aaron vocatus à Domino, hunc omnes Christianę plebes, omnes populi, omnes Reges, omnes Clerici, omnes Episcopi, tanquam Iesu Christi Vicarium, & Beati Petri successorem, & Ducem venerati sunt. Inter quos plurimi pro Christi nomine asperrimos perpessi cruciatus, & morti mulctati, coronam martyrij susceperunt. Plurimi Confessores Egregij, vita, moribus, & doctrina fulgentes, quamuis sine sanguinis effusione; non tamen sine periculis, & labore, ac voluntate parata pro conseruanda sacri Euangelij auctoritate moriendi; ad Cælestem Gloriam peruenere, vt Gregorij, Damasi, Leones, Innocentij, Bonifacij, Benedicti, & alia nomina, inter quæ Tertius claruit Eugenius, ex Monasterio Sancti Anastasij ad Summum Sacerdotium euocatus, ad quem Diuus Bernardus Monachorum Pater, non minùs doctrinæ fulgore, quam vitæ sanctimonia illustris, inter multa huiusmodi verba conscripsit.

§. 6. Indagemus, inquit, adhuc diligentiùs, quid sit, quam geras, videlicet personam pro tempore in Ecclesia Dei. Tu es Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, Tu Princeps Episcoporum, Tu Hæres Apostolorum, Tu primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, auctoritate Moyses, Iudicatu Samuel, Potestate Petrus, Vnctione Christus. Tu es, cui claues traditæ sunt. Sunt, & alij quidem Cæli Ianitores, & gregum Pastores; sed Tu tanto gloriosius, quanto, & differentiùs vtrumque præ illis nomen hæreditasti. Habent illi assignatos sibi greges singuli singulos; tibi vniuersi crediti vni sumus. Nec modo ouium, sed & Pastorum, Tu vnus omnium Pastor. Hæc Bernardus ad Eugenium III. scribit, cui supremam, & omnimodam in Ecclesia potestatem concedit. Quod ille de Tertio testatur Eugenio, hoc nos de Quarto, & omnibus alijs Romanis Pontificibus profitemur, quia Dignitatis est auctoritas. Liquet igitur, vnum in Ecclesia Caput esse, vnum Principem, quia pax Populi ex

vno Rectore dependet, & pluralitas Principum discordiam parit. Christus Ecclesiæ suæ in vltimo Testamento pacem reliquit, & pacem multis verbis commendauit. Dedit ergo, & regimen pacis amicum, idest, Monarchicum, sub Beato Petro, & Successoribus eius administrari cuncta præcipiens, clauibus illi commissis, & curæ Gregis demandata. Hæc nos de Romani Pontificis auctoritate, & potestate sentimus, ex oraculo Pij Secundi.

§. 7. Quamobrem Cum Rom. Pontif. Vrbis, & Orbis Episcopus sit vniuersalis, *gloss fin. in cap. Falic. de pœnis in 6.* D.Thom.*opusc.19.de error Græc.* Et contra impugnantes relig. *cap.* 4. Corduba, *lib.4. quæst 4.ad* 11. Rofens. contra Luther. *Artic.* 25. EKius Enchyr. *cap.* 3. *ad* 18. Bellar. *lib.* 2. *de Roman. Pont.cap.*31. Vti Pastor Vniuersalis, ex primo Apostolatus officio tenetur non solum Ecclesiam seruare, sed etiam amplificare, & propagare; Salmer. *tom.*12. *tract.*38. *pag.* 311. *colum.*2. Et ita mittere in Regiones Infidelium Prædicatores, qui illos inuitent intrare in locum Euangelici Conuiuij, & in Ecclesiam. Sic Petrus Apostolus in Ægyptum Marcum misit, & Clemens Dionysium Areopagitam in Galliam, & Gregor. Augustinum, Sociosque eius in Angliam, Gregorius Secundus, Bonifacium in Germaniam, & alij alios, vt referunt Salmeron. vbi supra, *Vers.Profecti sunt.* Acosta de procurand. Indorum salute, *lib.* 3. *cap.* 2. Quibus Euangelicis Expeditionibus, ad expugnandum, Christoque subijciendum terrarum Orbem, iuxta illud Marc.vlt. *Euntes in Vniuersum Mundum prædicate Euangelium omni Creaturæ*, factis per summos Reipub. Christianæ Hierarchos, plena est omnis antiquitatis historia, & nomen ipsum Apostolicum valdè consentit.

§. 8. Ex eodem Apostolatus munere potest Pontifex Romanus per se, & per Principes Christianos cōpellere Rempub. aut Principem Paganum, etiam bello illato, ne impediat liberè prædicari Euangelium, & vt sinat impunè subditos, Baptismo spontè suscepto, profiteri legem Christi, D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 10. Vict. de Indis 2.*part.num* 12. Banez. *dict.Artic.*10.*ad fin.* Gam.*decis.*335.*nu.*2. & sic Baptizatos eximere à Iure, & obedientia Principis Pagani. Vict. de Indis 2.*par. num.* 13. & 14. Bellarm. *lib.* 5. *de Rom. Pontific. cap.* 7. Neque enim ob id solùm Romana Sedes Apostolica vocatur, quia Apostolorum fuerit, nam fuit, & Ephesina, & Hyerosolimitana, & aliæ; verum etiam quia Apostolorum munus, pro Christo Legationis fungendi, & vsque ad terminos Terræ, illius fidem immobili firmitate testificandi, propriè, ac præcipuè in Rom. Pont. perseuerat: hoc cum ita sit, quis dubitat, quin Romanus Pontifex, cum ipse per se Orbem obire non liceat, eam curam alijs demandare, & possit, & debeat? neque vt eant solum, sed vt destinent ipsi, ac mittant quos idoneos iudicauerint, vt eleganter prosequitur præcitatus Acosta *cap.* 2. sic Martinus V *Anno* 1417. commisit Ioanni de Betancurt Canariorum conuersionem, Comitte dato Fratre Mendo, qui primus illorum Episcopus fuit, referente Franc.Lopez de Gomara: En la Historia General de las Indias, sub tit. Conquista delas Islas de Canaria, *pagina* 206.

§. 9. Ex quo indubiè, ac notoriè apparet, Romanum Pontificem ex officio Apostolico potuisse concedere Hispaniæ Regibus nauigationem in Indias, ad effectum fidei in illis Prouincijs promulgandæ, priuatiuè quo ad alios Reges, & Principes Christianos; quoniam in Ordine ad bonum spirituale Pontifex temporalem habet, & exercet potestatem respectu cuiusvis Creaturæ: igitur potuit de medijs disponere ad illam conuersionem consequendam, ac per consequens nauigationem (quod erat medium præcisum ad illas Prouincias penetrandas) ab aliorum Regum, ac Principum impedimentis liberam reddere, media prædicta concessione. Exindeque infertur, Alexandrum VI. non concessisse nauigationem ad eum finem, vt Hispaniæ Reges proficiscerentur ad debellandos Reges Infideles noui Orbis, & eorum Regna occupanda; sed vt eo adducerent fidei Christianæ Prædicatores, & protegerent, ac defenderent tum ipsos Prædicatores, tum Christianos ab eis conuersos, & punirent aduersarios, etiam occupando eorum Regna, quatenùs opus esset, vt bene docent Episcop. [illegible] hiapiæ, in Apolog. *replica* 12.

12. Sotus *in 4. distinct. 5. quæst. vnica articul.* 10.*dub.*3.*ad* 5. Banez.2.2. *quæst.* 10.*art.*10.*dub.*3.*ad* 5. Bellarminus *lib.*5. *de Rom.Pont. cap.*2. Salas de Legibus *disp.* 7.*sect.*5. *num* 31. *vers.ad illud*. Acosta *lib.*2.*de proc.Indor.salute,c.*13.*q.*6 *n.*12. qui contrarijs argumentis satisfaciunt.

§. 10. Quorum sententiæ pariter fauet, quod, cum insita Ethnicis, & Infidelibus natura sit inconstans, atque infida, opus est, vt qui apud illos versantur, securitati suæ consulant, & neque nocere cupiant, neque tamen se frustra lædi permittant: quare quæ defensioni sunt propria, & tutelæ, ea nemo culpare debet, si Christiani satagant. In quo genere sunt Portus Naualibus stationibus occupati, Arces erectæ, ac munitæ: Præsidia militaria imposita, vt sit quo confugere violati queant, Ethnicos, quantum satis erit, terrore ipso, in officio continere cupientes. Hoc à Lusitanis factitatum in pletisq; Orientis maritimis Vrbibus, non sine egregia ipsorũ gloria, & magna Reip. Christianæ commoditate, nemo est, qui non laudet. Qui enim inter externos, & meritò suspectos armatur, cautus, & prouidus potiùs, quàm incurius dicetur. Ethnicorum namque ingenium eiusmodi est, vt nullam attentent iniuriam, si contra ipsorum iniurias se quisquam muniat, vt elegãter prosequitur Acost. *lib.*2.*de proc.Ind. salute c* 14. Addere etiam licet Arces, cum præsidijs, vel ipsorum Dominorũ consensu, vel ob violatam pacẽ, & perfidiam vindicandam ab Europeis Catholicis per sæpe fuisse erectas, vt ex historijs constat.

Hisque motiuis aliud generale non semel, sed frequenter adiungi valet, illud desumendo à Bello, contra alios Infideles, etenim vti certum amplectimur, quod contra Turcas, & Mauros bellum ex nostra parte semper iustissimum sit, non solum quando Prouincias olim à Christianis possessas detinent, vt defendunt Innoc. & alij *in cap. Quod super his, de Voto*, Oltrad. *Cons* 72. Zeuallos, *tom.*4 *q* 906. *à num.* 210. Sed etiam quia ex professione in nostrã offensionem parati sunt semper, vt decidit Alexand. II. *in c.dispar.*23. *q* 8. per hęc verba, ***In Saracenos, qui Christianos persequuntur, & Vrbibus, & proprijs sedibus pellunt, iustè pugnatur***: resoluit Diuus Thomas 2.2. *q.* 10. *artic.*8. Innoc. *num.* 5. *in cap. Maiores: de Baptismo* Boer. *decis.*178.*num.*10. Gama *Decis.* 335 *num.* 1. Gail. *lib.* 1. *de pace publica*, *pag.* 4. *num.*40. post Bart. Bald. & alios, quos refert Bellarm. *lib* 3.*de Laicis cap.*16 Paulus Grifaldus *in decis. fidei, verb. bellum*, & Molin. *disput.*99. *vers. quodsi bellum*, & disput. 105. *vers. illud tamen tractat.*2. *decis.* quod procedit etiam si Turcæ, & Sarraceni velint in pace viuere; adhuc Christiani illis bellum possunt inferre, ex Oldrado *cons.* 72 Alberico, *in Rubrica* 1.*de Paganis*, Anania, *in capit. Ad liberandam*: de Iudeis: Et Cacher. *in disp. inserta post Decisiones Pedam. num.* 19. Propter obstinatam eorum malitiam, qua Pacem affectant, vt vires reassumant, & fortiùs disponantur, ad debellandos, qui Deo militant, sub Christiano nomine. Vnde, contra Gentiles simili proteruia affectos, quorum magna est multitudo, illicitum non euadet bellum excitatum pari ratione, & ob fines iustissimos, quos Romani Pontifices præoculis habuerunt in prætactis Apostolicis concessionibus.

§. 11. Attendentes propterea Potentissimi Reges Catholici, quòd nemo per vim est compellendus ad fidem, & quòd tantùm debent admitti accedentes voluntariè, prout ex Oraculis Sacris, & dictis Sanctorum Patrum, habemus *in cap. de Iudæis dist* 45. *cap.ad fidem.*23. *quæst.*5. *cap. Maiores* . §. *item quæritur*, *de Baptismo*, *& cap. sicut de Iud.* nullum vnquam bellum contra Indos mouerunt, vt eos cogerent ad amplectendam Fidem; Vi tamen armorum vsi sunt ob aliquod è præmemoratis motiuis, & præsertim, vt ipsi Indi Christianæ Religionis introductionem, eiusque propagationem, ac prædicationem non impedirent; imò reuerenter, & sine offensione, Euangelicos Ministros admitterent, qui eosdem in fide piè instruerent, & spontè venientes suscipe rent ad Baptismum. Quibus ducti excitamentis acceptam habuerunt, adhuc post debellatos Reges, & Imperatores earum Regionum, sententiam præclarissimorum Virorum asserentium, Prædicatores Euangelij, in partibus Infidelium peragrantes, iustè posse associari militibus; Ne Euangelij prædicatio impediatur, & ad defendendum baptizatos à manibus Infidelium: ac, si opus fuerit, ad eosdem eximen-

dos à potestate Principis, seu præpotentis Pagani, qui ipsos iurisdictioni Diaboli iterum tradere conaretur, vt sic alij etiā Pagani hoc auxilio, & fauore allecti, & freti, in sua libertate plenè constituti, veram fidem amplecti non pertimescant.

§. 12. Idcircò ijdem Reges, qui totum suum ærarium absumere potuissent, pro dilatando proprio Imperio, super Idolatras finitimarum Regionum, vt ipsorum effugerent, seù præcauerent hostiles inuasiones, harum immemores, ærarium ipsum integrum ferè Ecclesiarum seruitio, Ministrorum earundem alimoniæ, & Concionatorum, ac Catechistarum sustentationi, liberaliter applicarunt: singulis singulas Militum cohortes assignantes, quæ ad prædicta omnia auxilium, ac iuuamen præberent, Regijs communitæ expensis, quoties vrgeret probabilis necessitas. Ad quod rectiùs peragendum tam Maiestas eorundem Regum, quam Regale suum Indiarum Consilium modum, & normam satis piam, & Catholicam iam pridem præscripsere, & renouant frequenter, ne Milites, in auxiliando verbi Dei Ministris, & Fideles ad Fidem conuertos fouendo, quoquomodo reprehensibiles fiant, aut rei reddantur Diuinæ Vltionis.

§. 13. Ad exequendum tamen perfectitiùs, & cum maiori exemplo Militum, atque ædificatione Gentilium, Prædicationis Euangelicæ munus, in Indiarum partibus, Adrianus Sextus in litteris *die* 10. *Maij* 1522. ad Maiestatem Regis Hispaniarum directis, expressè voluit, quòd inter omnes Mendicantium Ordinum Religiosos, in eas partes præsertim mitterentur *Fratres Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ, à suis Prælatis nominati*, dummodo tamen essent talis sufficientiæ in Vita, & doctrina, quòd prædictæ Maiestati, aut eius *Regali Consilio* essent grati, ac tanto operi idonei; super quorum numero ibidem etiam sancitum extitit: *Volumus, vt Tua sacra Maiestas, aut Tuum Regale Consilium assignet, & præfigat numerum Fratrum mittendorum.* Quæ præferentia, ab eo tempore, vsque nunc, semper est, cum magna Indorum vtilitate praxi mandata.

§. 14. Queunt itaque Fratres Minores, vti magis idonei, & ex sua peculiari professione, reipsa huic muneri dicati, mitti, ad prædicandum tam Fidelibus, quam Infidelibus Dei Euangelium, in omnes Indiarum Plagas, non solum à Romano Pontifice totius Orbis Episcopo, & Pastore; sed etiam à cæteris, qui ad id facultatem habent ab ipso; quin inferiorum aliquis quicquam aduersus Missiones huiusmodi effari, aut sibi per eas præiudicium aliquod inferri vnquam valeat ostendere. Tenentur, & ipsi Minores adhoc munus idonei (si operariorum inibi adsit penuria) non tantum destinationi acquiescere, sed insimul suam operam ad illam dealbatam messem spontè offerre. Sunt enim Religiosi, inter alios Mendicantes, Vitam profitentes Euangelicam, & verè Apostolicam; Idcircò præ alijs adstricti muneri, cum tali vita connexo, & sollicitudini tendendi in ipso ad perfectionem.

§. 15. Est siquidem Doctrina apud Authores, & fusiùs apud Lezanam *tom.* 1. *cap.* 1. satis fundata, & communissima, asserens, quòd omnis Persona Religiosa, quæcumque illa sit, tenetur ex vi suæ professionis tendere, progredi, & niti ad perfectionem: quia hæc est obligatio sui status, & in quo differt à Laicis: statui siquidem Laicorum solum dicitur à Christo, *serua mandata*; statui verò Religiosorum, qui insinuatur in illis verbis. *Si vis perfectus esse*, vlteriùs dicitur, *vade, & vende omnia &c. & sequere me*; per quod denotantur consilia, ac per consequens perfectionis sequela. Suarez *lib.* 1. *de oblig. Relig. cap.* 4. Et nouissimè Ioannes Euseb. *in doctrina Asceтica, lib.* 1. *doct.* 4. *cap.* 25. specialiter *c.* 27. vbi Religiosos non tendentes ad perfectionem vocat simulatores, mendaces, & Hypocritas, iuxtà doctrinam S. Thomæ 2. 2. *q.* 184. *art.* 4. *ad* 2. & Tab. *in sum. verb. Relig.* Tenentur etiam Religiosi tendere ad perfectionem propter periculum labendi in peccatum graue, in quod regulariter cadunt Religiosi, perfectionem non procurantes. Euseb. *supra*, ex Azorio, & alijs. Item secundum aliquos, ne obfirment animum contra Spiritus Sancti inspirationes. Idem Auctor, ex Caiet. Azorio, & Valent.

§. 16. Quæ obligatio procurandi perfectionem, seu tendendi ad illam, in Religiosis est sub mortali peccato: quia est

de re grauissima, quam vouerunt, & in qua consistit substantia status Religiosi. Cordub. *in Reg.D.Francisc.c.1.* Rodrig. *3.tom.q.q.Regul. q.48. art. 1.* Ista veritas (secundum Nau. *in c.quia portio, 12.q.1. n. 10.*) est terribilis illis Religiosis, qui neque actu, seu actualiter; nec virtute, seu virtualiter, habent animum se in dies magis perficiendi in Charitate erga Deū, & proximum; neque curant plusquam boni Clerici sæculares, vel Laici ad eam tendere. Sanchez *lib.6.in Decalog. c. 5. n. 10.* Hinc quia omnes Religiosi Mendicantes, præter obligationem communem omnium Religiosorum tendendi ad perfectionem, specialiter tenentur, ex præcepto Charitatis, saluti Proximorū, Confessionibus, Prædicationibus, Lectionibus, &c. subuenire, deficiunt à proprio statu, quando his negligunt incumbere, quia finis Prædictorum est salus Animarum: Et sunt Coadiutores Episcoporum, quorum proprium est hoc munus, vt habetur in Concilio Meld.c.3. Rotomag. apud Burchard. *lib. 1. c. 88.* & in Clement. Dudum. *§.cæterum: de sepulturis:* & in extrauag. *super Cathedram §. fin. eod.tit.iuncto cap.inter cætera de offic.Ord.* Banez. *2.2.q.33. art. 3.* Thomas de Iesu *sup.cap.non dicatis.ep.5.c.1.*

§.17. Deinde finis, per quē ipsi Mendicantes à Monachis distinguuntur, est profiteri statum vitæ mixtæ ex contemplatione, & actione, Magdalenam, & Martham imitantes, & præsertim erga proximi salutem procurandam: prout constat ex eorùm institutione. Sicut enim Monachi ad vacandum Deo, silentio, solitudini, & orationi instituti sunt, ex primæua sui origine (Sic enim de illis loquimur) sic & mendicantes, quatuor præsertim Ordines, quibus hoc nomen primum tributum est, instituti sunt ad vacandum tum vitæ contemplatiuæ in Choro, & diuinis officijs, tum actiuæ, erga salutem proximorum, procurandam, confessionibus, prædicationibus, doctrina, & ministerio Sacramentorum. Panormit. *in capite causam, & primo de iu. dic.num.2* Suarez *4.tom.de Relig.tractat. 6.lib.1.cap. 8.* Vnde debent ex præcepto Charitatis saluti proximorum subuenire, confessionibus, prædicationibus, lectionibus, &c. & vt aliqui probabiliter dicunt, possunt ex vi voti obedientiæ, quod emiserunt à Papa obligari, ad eumdum in Terras Infidelium ad prædicandum Euangelium. Sotus *7. de iust. quæst. 2. art.1.* Suarez *4.tom.de Relig.tract.10.lib. 6.cap.4.num.22.* & si Iesuitarum obligatio ratione specialis voti, quod emittunt, multò maior sit, quoad hoc, vt idem Suarez *ibidem.*

§.18. Cæterum, quòd in cōmuni affirmus de omnibus Religiosis Mendicantibus, id vrgentiorem vim habet contra Fratres Minores, idoneos ad Prædicationem, & Sacramentorum administrationem, qui negligunt per hæc media tendere ad perfectionem Charitatis erga Proximum, etiam inter ipsos Infideles; nam, vt ostendimus distinctione præcedenti, ad hoc sunt, *Ex professione sui Ordinis* deputati: idque competit ipsis, *iuxta professæ Religionis officium*, vt exprimunt oracula Pontificia ibi transcripta. Ac per consequens, dum per ista media, iuxta talenta à Domino recepta, ad perfectionē non tendunt, illud peccatum cōmittunt, in quod incidunt Religiosi, non tendentes, nec progredientes, nec nitentes ad perfectionem obseruantiæ Professionis sui Ordinis, & officij proprij suæ Professæ Religionis: suntque in apertissimo periculo æternæ damnationis.

§.19. Maximè si attendantur, vt par est, sententiæ Sanctorum Patrum, quæ de nullius instituti Professoribus potiùs intelligi debent, quam de militantibus sub Minoritico, quod vitam præsefert Euangelicam, & Apostolicam: iuxtà quas, quisque huius Instituti Superior suos poterit hortari subditos, vt nitantur ad præmemoratam perfectionem, dicendo. Hæc fuit, Teste D. Thoma, *opusc. 19. cap. 4. Vita Apostolica, vt relictis omnibus, per mundum discurrerent euangelizando, & prædicando*: Vos ò Charissimi Fratres, qui tam ex munere, quam ex altissima professione, simili vitæ adstringi elegistis, aptioribus Vineæ Domini operarijs assimilari non paruipendatis; imò contendite taliter eorum vestigijs, inhęrere, quòd vestris studijs terribilis vt castrorum acies ordinata, Ecclesia tota fiat; nam iuxta D. Gregorij *hom 8.prim.part. super Ezech.* sententiam: *Alia sunt castra prædicantium, qui hùc, illùcque pro colligendis animabus*

*bus in sancti operis procinctu laborant*: laborate igitur, quia si messis multa est, idonei operarij pauci inueniuntur. Illorum insuper imitatores estote, quos glossa *super cap. 39. Iob.* nubes appellat, *quæ lustrant cuncta per circuitum, quia prædicationis luce, Mundi fines illuminant*: Et S. Gregorius *homil. 5 prim. part. super Ezech.* Rotis ignis ardentis ab Ezechiele visis, similes ex eo vocat, quia cum ex Dei amore per varia loca prædicando discurrunt, *ipsi ardent, & alios incendunt*, atque vestig'js Saluatoris inhærent, qui ignem venit mittere, vt Mundus totus, eo purgatus, Cælesti Curiæ gratus, & amabilis redderetur.

S. 19. Hunc ignē, ô Seraphici milites, per totum Orbem spargite, nam talentum quod ad id accepistis, absque graui culpa abscondere non valetis. Chrisostomum *homil. 69. in Matth.* circa hoc audite, dum super illa verba: proijcite inutilem seruū in tenebras exteriores, sic fatur: *Vides quomodo non solum rapaces, & qui aliena inuadunt, nec soli malefactores; verum etiam, & qui bona facere negligit, extremo cruciatur supplicio. Audiamus igitur hæc verba, & donec tempus patitur, nostram amplectamur salutem; accipiamus in lampadibus oleum, amplificemus talentum, &c.* Et infra: *Talenta enim hic pro eo, quod vnusquisque facere potest, accipimus, siue authoritate protegere, siue pecunijs adiuuare, siue doctrina admonere, siue alia quapiam re proximis prodesse queas.* Et alibi *homil. 78 in 25. Matth. Omnes enim ad eleemosynam capessendam concitamur, & vt quibuscumque modis possumus (cum non sit possibile aliter saluari) proximis vtilitati esse studeamus.* In idem tendunt verba Gregorij *in Pastoral. admonit.* 22. dicentis: *admonendi sunt quoque, vt sollicitè attendant, quod ficulnea, quæ fructum non habuit, à Domino reprobata fuit.* Ob quod mellifluus Bernardus *de conuers. ad Cleric. cap.* 17. ait: *Ne. hoc contenti lumborum cingulo, accendamus etiam lucernas nostras, & instanter operemur bonum, cogitantes, quod omnis arbor, non modò quæ malum fecerit, fructum, sed etiam quæ bonum non fecerit, excidetur, & in ignem mittetur, illum vtique ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.*

S. 20. Id ipsū confirmat Basilius *serm. de Baptis. cap. 6.* dicens: *Multa similia inuenire est, ex quibus demonstratur, quòd non solum ij, qui mala faciunt, digni sunt morte, quibus & ignis inextinguibilis paratus est, cum quibus condemnantur etiam illi, qui à bonis operibus vacant, sed & qui negligenter, quæ bona sunt, faciunt. Scriptum namque est: Maledictus omnis, qui facit opera Domini negligenter.* Vnde si maledicti qui faciunt negligenter, quomodo benedicendi à Domino, qui accepta abscondunt talenta? Difficile certè, præcipuè, quia illa Sancti Iudæ *in sua Epist. Canonic.* verba: *Væ illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt. Hi sunt in Epulis suis maculæ, conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum*: Prædicatoribus infructuosis D. Thomas *opusc.* 19. *c.* 10. appropriat.

S. 21. Hi enim illud S Petri *Epist. 1. c. 4. Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*, violare non pertimescunt; nec minus recogitant necessitatem, quæ ipsis ex munere incumbit, ob quam D Paulus *Epist. 1 ad Corint cap. 9* aiebat: *Væ enim mihi est, si non euangelizauero.* Quapropter in die Iudicij nullus horum, cum eodem Apostolo *Act cap. 20.* dicere præsumet: *Mundæ sunt manus meæ à sanguine omnium vestrum, non enim subterfugi, quò minùs annuntiarem omne Consilium Dei vobis*; imò omnes iustè à Domino audire poterunt: *Ite in ignem æternum; esuriui enim, & non dedistis mihi manducare*: Paruuli petierunt panem, & noluistis frangere eis: ad me fontem viuum sitiebant animæ quamplurimæ, & potum doctrinæ salutaris, eis renuistis ministrare: Pauperes doctrina vobiscum semper habuistis, eorum tamen indigentiam, cum potuistis subleuare, obliti estis; & quia quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, æterna flamma, (inter Angelos donis supernis ornatos, qui benè agere no-

noluerunt) sine vllo remedio cruciabimini. Nè igitur (ò Minoritæ zelantissimi) in tantam miseriam deueniatis, dispensationem Cælestis seminis vobis iniunctam fideliter adimplete, quia iam quæritur *inter Dispensatores, vt fidelis, quis inueniatur*.

§. 22. Quæ exhortatio ita Fratres Minores, præ alijs, constringit, ad spontè offerenda talenta, sibi à Domino concredita, pro exercitio Missionum, vt de illis minimè queat verificari, quod tendant, sicut tenentur sub mortali, ad perfectionem, in præcipuo suæ professæ Religionis officio, si vrgente necessitate, & accedente suasione illius, qui cupit, vel tenetur consulere saluti Animarum, estque admittendum legitima authoritate suffultus, alios quoquo modo retraxerint consodales, suamque ipsi operam non obtulerint, ad exequendum, etiam inter Infideles, munus Prædicationis Euangelicæ, ad quod sunt *ex professione sui Ordinis* deputati. Nisi, legitimo interueniente motiuo, in Conuentibus (vti necessarij, & deputandi ad Domesticos Fidei) remaneant ad sarcinas; in quibus perficiatur eorum Charitas erga Deum, & proximum; ac nisi se humilient, non præsumentes, iuxta Regis iudicium, apud *cap. 30. lib. 1. Reg.* quod æqua erit *pars descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident*: quia in spirituali prælio Prædicationis inter Infideles, maior est, ac frequentior occasio meriti, eorumque effulget Charitas, qui animam suam ponunt pro amicis suis.

# DISTINCTIO III.

***Fratres Minores, ab initio Conuersionis Indiarum, munus Prædicationis Apostolicæ, ad quod ex sua Professione sunt deputati, inibi laudabiliter exercuerunt, & præsertim in Imperio Mexicano.***

## §. I.

FÆlicissimum (inquit V.P. Wadingus *Tom. 7. Annal. Minorum, in initio Anni 1492.*) faustumque principium hoc anno accepit nauigatio Indica, & propagatio Fidei Catholicæ in remotissimis, & incognitis Regionibus Indiarum Occidentalium. Cum enim Christophorus Columbus Ligur, vir acris ingenij, artis nauticæ peritissimus, ad nouas explorandas terras, quas ex Platonis, Aristotelis, aliorumque veterum scriptis, & Geographiæ tabulis, cursu superari posse, sibi persuaderet, post frustra oblatam suam operam Ioanni II. Lusitaniæ, Henrico VII. Angliæ, Carolo VIII. Galliæ, Regibus, Ferdinandum, & Isabellam Reges Catholicos Hispaniarum conuenit, vt in opus grauissimum, commodum, & gloriosum incumberent. At quia hi diuturno, & dispendioso, quod hoc ipso confecerant anno, bello Granatensi defessi, rem fermè incredibilem, exitu incertam, sumptibus certissimam adire detrectabant. Longa mora, vana spe, & aperta repulsa pertesus Columbus in Bæticam abijt, inde in Galliam transfretaturus. Rebus magnis initia Deus sternit infirma, vt non tam humana inuenta, quam diuina portenta esse comperiantur. Etenim deiecti iam animi viro, egregium facinus pene neglecturo, consolatorem, & promotorem dedit indignum, & misellum Fraterculum Ioannem Perezium, Marchena oriundum, qui tunc Minoritas cœnobioli Arabidæ ab Oppido *Palos de Moguer* D. P. distantis regebat, & olim confessiones exceperat Reginæ. Eadem huius animum subierat cogitatio, vltra immensum Oceani pelagus vastissimas latere terras, ad quas humanum imperium, & Cælestis doctrina posset extendi: Cosmographiæ multum operis impendit, & ex Geographiæ tabulis deductas notitias cum Columbo contulit, animumque prostratum excitauit, vt quod toties tentauerat, ampliùs vrgeret.

§. 2. Acceptis ille ad Reginam, & Fer-

Ferdinandum Talauericum Reginæ Confessarium, Perezij litteris, relictoque apud eundem Didaco Filiolo, denuò Granatam regreditur, vbi Petri Gonzalez Cardinalis Mendozij, Ludouici à Sancto Angelo, & Alphonsi Quintanillæ apud Reges potentum Industria, Talauerici precibus, & Perezij absentis litteris primum, mox præsentis hortatu (vocauit enim Regina hominem, vt clariùs ab eo totius negotij molem exciperet) cum obtinuit aditum, vt diserta Oratione, firmissimisque rationibus non semel rei capiendę, & potiundæ desiderium instillauerit. Demum varijs pactis, conditionibus eo itum est, vt Columbus protinùs Nauem opportunè instructam, & duas veloces, ex his, quas vulgo *Caramussolas* appellant, centum, & viginti milites, numeratæ pecuniæ aureorum septemdecim millia acceperit; & insuper omnia, quæ ad longam, & periculosam nauigationem existimabantur necessaria. Bęticam reuersus recepto Filio, gratias habuit summas amico Perezio, & Gadibus soluit 3. Nonas Augusti, quo die olim apud Indos, Persis finitimos, Abener Rex, Dei Ecclesiam persecutus, multa Monachorum, & fidelium agmina excarnificauit.

§. 3. Per Insulas Fortunatas inter Occidentem, ac Meridiem, directo cursu ac perpetua nauigatione eodem fermè Ventorum afflatu, vltra triginta tres dies institutum iter prosecutus, tandem post detectas alias Minores, in Insulam ingentem Caribanam, quam Hispaniolam appellare placuit, fælici appulit euentu. Distat illa Gadibus rudi supputatione quinque milliarum millibus, Cancri Tropico in vigesimo gradu supposita. Omnibus diligenter perlustratis, vniuersa loca etiam minutissima inuestigauit, ac breui spatio totius regionis tractum, incolarum mores, ritus, statum, quæque ab eis partibus ad Europæos deriuari possent, commoda solertissimè explorauit. Auro Insulam abundare inde coniecit, quod incolæ pro ludicris mercibus, & nullius pretij rebus, aurum copiosè profuderint. Cum ergo Columbus in hac prima nauigatione nihil omninò prætermiserit, quod obseruatione dignū iudicaret, & cumulatissimū operæ, & expensarū pretium inde Regibus obuenire posse existimaret, post longam, ac molestam nauigationem, Barcinonem ad Regem Ferdinandum regressus est. Consideratis porrò accuratèque expensis nauigationis, emolumentis, & commodis, secundam agressus, anno sequenti, socium habuit itineris, Regij fauoris auctorem, Perezium, additis alijs eiusdem instituti socijs, qui primum Christi fidem ijs remotissimis regionibus fæliciter inuexerunt, quod nos infra extensiùs referemus.

§. 4. Inchoatam per Franciscanos Indorum conuersionem Hieronymus Platus Societatis Iesu *lib. 2. de bono statu Religionis, cap. 30.* circa annum 1593. sic testatus est. (Atque hæc, quamquam ità sunt gloriosa, & honorifica Religiosis, nihil tamen præclariùs, aut gloriosiùs, quam totius noui Orbis conuersio, quæ quantacumque est, & tota est Religiosorum. Ipsi enim primi Euangelium in oras illas intulerunt, ipsi fidem plantarunt, ipsi deindè rigarunt, ijdemque adhuc ex colere, & propagare non desistunt. Primos omnium, qui totam hanc Prouinciam aggressi sunt, Franciscanos fuisse legimus; atque eosdem etiam in ijs regionibus inueniendis, cum antea ne de nomine quidem auditæ essent, magnopere contulisse. Cum enim Christophorus Columbus de ea nauigatione instituenda apud Ferdinandum Hispaniæ Regem ageret; nec ei, vt in re tam noua, atque incerta, multum fidei haberetur: Patres duo Franciscani valdè eum iuuisse dicuntur, tum ipsum animando, tum etiam Regem impellendo, vt eam occasionem omninò tentaret. Itaque cum impetrata classe, Columbus Mexicana Regna fœliciter aperuisset, atque in Hispaniam tam lętæ rei Nuntius reuertisset: statim aliquot familiæ eius Patres in ea loca nauigarunt, annum circiter à Christo nato millesimum quadrigentesimum, nonagesimum tertium. Atque eodem penè tempore, ad Orientalem Indiam, Emanuelis Lusitani Regis auspicijs à Vasco Gama patefactam, anno videlicet millesimo quingentesimo missi sunt Euangelij causa, ex eadem familia viri octo, tum doctrina, tum pietate præstantes. Ab his initijs, hic ordo per eas Regiones diffusus; multiplicatis breui tempore domicilijs,

lijs tresdecim (vt ipsi vocant) Prouincias instituêre, in quibus magnam Christianæ rei operam nauarunt, & adhuc nauant.]

S. 5. Dum Columbus anno 1493. Vastissimi, & incogniti Maris pericula, secunda vice superauit, statim ac Insula Hispaniola potitus est, Frater Ioannes Perezius Minorita, illius nauigationis Promotor, & Socius, Stramineum tuguriolum ædificauit, in eo, rem Sacram primus omnium fecit, & Sanctissimam reposuit Eucharistiam. Prima hæc (enarrat Wadingus) Occiduarum Ecclesia fuit, & secunda, illa quam ædificauit in S. Dominici Ciuitate. Cum enim Columbus, deuictis Idolatris, qui neque Dei verbum audire volebant, neque alijs disseminari permittebant, subactaque Insula, Coloniam Hispanorum instituere cogitaret, Ciuitatem in amplissimi fluminis margine, à S. Dominico (propter suum genitorem, hoc nomine insignitum) appellandam, satis magnificè construxit, in eaque Perezius ædiculam suis consodalibus tumultuario opere, sub S. Francisci inuocatione, fabricari curauit. Ea fuit deinde Columbi erga sodalitium pietas, & erga Perezium gratitudo, vt ditior, potentiorque effectus, Ecclesiam, & Fratrum habitaculum solidiùs, magnificentiùsque ex polito lapide refecerit, & necessaria instruxerit suppellectile. Cœpit in immensum crescere erga Fratres Insularium Neophitorum deuotio, etenim tanquam Fidei Magistros reuerenter colebant, & tanquam animarum suarum Curatores abundè sustentabant.

S. 6. Ex his, qui ad Euangelicum illud opus transfretarunt, vnum, ex Ferdinandi Columbi historia, refert Antonius de Herrera, Regius historicus, nomine Ioannem, Patria Burgundum, cum alijs consodalibus, ad vastissimum Maguæ Regnum profectum, docuisse Regulum, siue Cacicum Guarinœxū fidei rudimenta, humaniterque in eius aula receptum, plurimos ad fidem conuertisse. Sed cum Hispani Regem offenderent, abire coguntur, Religiosi regulis suis spoliati: Imagines, aliaque pietatis instrumenta, quæ ferebant, Indi in campo effoderunt, ex quo loco radices quædam, *Axi* dictæ, ad modum rapulorum, in Crucis formam mirabiliter prodierunt. Mansit Regio illa, Hispaniola tunc nuncupata, sub Columbi gubernio, & spirituali Fratrum Minorum directione, vsque ad annum 1500. quo plures iam connumerabantur ibi Minoritæ Missionarij.

S. 7. Anno deinde 1502. apud eandem Hispanioląe Insulam, in conuertendis Paganis, destruendis Idolis, & Christianorum Catechesi, impigrè laborat, præ cæteris, Ioannes de Trasiera, qui illuc nauigauerat, cum Francisco de Bouadilla, à Regibus Catholicis, anno proximè elapso, destinato, Christophori Columbi in regimine successore. Per illum, & per Ioannem Velazquez Regium Thesaurarium, misit Bouadilla suæ potestatis instrumenta ad Columbum, quibus parendum prudentèr iste existimauit. Verùm exortis, occasione noui regiminis temporalis, aliquibus dissidijs, Reges Catholici, Ferdinandus, & Isabella res Indicas ampliùs stabilituri, turbas, inter ipsos Hispanos fœde grassantes, opportunè sedare, & Christophoro Columbo, Fratribusque à Francisco Bouadillo indignè habitis, satisfacere cupientes, Nicolaum Ouandum, militiæ Alcantarensis, Larensem Commendatarium, Virum probum, & prudentem, cum summa potestate, ad eam Insulam destinare, & Bouadillum in Hispaniam reuocare, anno 1502. consultò decreuerunt. Vt autem Imperij fines protenderet Ouandus, numerosam classem vnius, & triginta Nauium, militemque copiosum Reges subministrarunt; ad instruendos verò Barbaros idolatras, ac procurandas Christianorum animas, Minoritas decem addiderunt, Præfecto Alphonso Espinario, Viro litteris, pietate, aspectuque venerando.

§. 8. Soluit ille Sanlucario portu Bœtico Idibus Februarij, portumque Sancti Dominici, in Hispaniola tenuit 17. Kal. Maij, vbi ritè, iuxta præscriptas sibi regulas, dispositis rebus, reductisque Indis ad Colonias, & ciuile consortium, cùm priùs sparsim, & absque certa sede vagarentur: Ministri Euangelici commodiùs potuerunt, & vberiori fructu, quàm qui præcesserant, religiosa munera obire. Plurimi tunc homines ad fidē sunt cōuersi, sacro baptismate tincti Infantes, frequenti catechesi instructi

pueri, fœminæ; quæ sexum decebant edoctæ, Idola comminuta, aræ constructæ, diuinus cultus palam institutus, nouaque facie, nouus Orbis cœpit promicare. Pro locorum indigentia Fratres tanquam per stationes, opportunè dispositi, Religioso ardore, quid ad Indorum conuersionem, vel ad Hispanorum procurationem spectabat, solertèr obibant. PorròOuandus grati animi daturus indicia, à Columbo, olim Insulæ Præfecto, in Sancti Dominici Vrbe præcipua, cæptum cœnobium solidè construxit, & Fratribus necessaria quæque ministrauit.

§. 9. Non longè post, crescente fama conuersionis Indorum, primus Episcopus Insulæ Hispaniolæ, seu Sancti Dominici electus est sub annum 1504. Frater Garzia de Padilla, Minorita, cui antequam transfretaret, in Hispania defuncto, substitutus est Alexander Geraldinus. Subinde quia iam anno 1505. nomen dederant Christianæ Religioni aliæ Insulæ, adiacentes Hispaniolæ, & multiplicata extiterant in eis domicilia Fratrum Minorum annis superioribus, concessum est eodem anno à Capitulo Generali, ad Dei laudem, ac Christianæ Religionis augumentum, & Regularis Obseruantię decorem, sub hoc tenore; nimirùm, quod Insulę Indianæ (scilicet Hispaniolę, Cubę, Isabellæ, Iamaicę) fiant, & sint vna Prouincia, & habeat in posterum vnum suffragium in Capitulo Generali;Et Vicarius huius Prouincię habeat tantam, ac talem auctoritatem in vtroq;foro,qualē,& quantā solent habere reliqui Vicarij Prouinciales. Hinc manifestè liquet in his Insulis, nouaque hac Colonia Hispanorum in Indijs, Fratres Regularis Obseruantię primò laborasse, eisque sub hoc tempus aliquot Domicilia contigisse, & de alijs etiam ędificandis tunc cogitasse, constat ex alijs verbis relatis inter statuta huius Capituli, sub hoc tenore. [Fratres Indiarum de licentia sui Archiepiscopi (Vrbis videlicet S. Dominici in Hispaniola) possint ędificare loca, cum nullus contradicit; Et hoc per priuilegium Maris magni Carmelitarum. Interim autem prouidebitur eisdē de auctoritate per litteras Apostolicas.] Et in Capitulo Generali,celebrato anno 1511.inuenies Prouinciam hanc nominatam sub titulo S. Crucis.

§. 10. Indè verò Titulum sortita est Sanctæ Crucis, quod aliqui ex primis exploratoribus in Insulę Hispaniolæ Oppido S. Iacobi de Planitia, vulgo *dela Vega*,ad Maguanæ verticulum, ingentem Crucem cedrinam erexerint, vt illac transeuntes scirent, aliquando ibi stetisse Christianos. Indi huiusmodi veluti Trophæi in suis finibus erectum symbolum perferre nolentes, funibus, & viribus sexcentorum hominum ad terram protrahere intentarunt, sed frustrà; deindè adiecto igne,in fauillas redigere laborarunt, donec apparente speciosa Virgine, toruoque vultu ab opere deterrente, recesserunt, & fideles deinceps sacrum lignum in Veneratione habere cœperunt. In plures partes discissa, diuersis in locis colitur, eiusque contactu plurimi languentes curantur.Ab hac itaq;miraculosa Cruce nomē hoc adhæsisse,nō immeritò reputatur.

§. 11. In eadem Hispaniolæ Insula (illarum,quę in Occidentalibus Indijs hactenùs in Hispanorum redactæ erant potestatem, potissima) licentiosè nimis viuebant primi illi exploratores, qui cum Christophoro Columbo Insulam subegerant. Quod increpare, redarguere, seuerè interdicere non cessabant Franciscani, præcipui tunc Animarum Curatores; sed præ reliquis ardentissimus Fr'Antonius à Martyribus, Nicolai de Ouando Alcantarensis militiæ Commendatarij, qui Insulæ præerat, aures pulsare non cessabat,vt si rebus Catholicorum Regum prospectum vellet, maioresque cuperet in Indijs Christianorum fieri progressus, tantam vitiorum licentiam coerceret. Publico itaque edicto,& seuera lege cautum est, anno 1506. vt Hispani omnes, ad pręscriptum tempus, vel fœminas amasias dimitterent, aut ritè per Matrimonium facerent vxores. Et si verò graue, & durum hoc eis videretur præceptum, præcipui tamen, qui locupletum, & pulchrarum nolebant relinquere consortium, eas sibi Sacro-Sancto Matrimonij fœdere coniunxerunt, atque ab illo tempore solidiori, & clariori cæperunt nexu Indici populi aduenis Hispanis copulari.

§. 12. Interim in Hispania optimę præscriptæ sunt leges, circa Ecclesiarum institutionem, delectis auctoritate Sedis Apostoli.

ſtolicæ Archiepiſcopo Vno, binis Epiſcopis, animarumque Rectoribus: atque vt fęliciùs res Chriſtiana procederet, cautum eſt, ne deeſſent tantæ meſſi neceſſarij operarij, vt Hiſpali neceſſaria quæque è Regio ærario miniſtrarentur Religioſis, ad illas partes conſcenſuris, vt Inſularum Præfectus benignè, & honorificè appellantes admitteret, Cœnobijs ædificandis loca commoda tribueret, Franciſcanas ædes iuſto interuallo terminaret, ad fidem accedentes paternè protegeret, & infidelium Filios paruulos, iuxtà Pontificis determinationem, Religioſi ſacri Baptiſmatis aquis intingerent.

§. 13. Succeſſiuè Ferdinandus Aragonius, Rex Caſtellæ, & Legionis, Imperio, pro Ioanna Filia, mentis impote ſuſcepto, anno 1507. è Regno Neapolitano in Hiſpaniam reuerſus, multa prudenter, pro Indiarum rerum fęliciori progreſſu, ſanctis legibus conſtituit. Pro Cultus verò Chriſtiani incremento, miſit in Hiſpaniolæ Inſulam Fr. Antonium Ioachimum, & Sodalem alterum Franciſcanos, adiunctis ſeruulo, in ſacrorum obſequiũ, ſacris Vaſibus, Veſtibus, Cera, rebuſque omnibus ad ſacra miniſteria neceſſarijs, & conſodalium miniſterio peropportunis. Et cum Didacus Colonus, ſiue Columbus, celeberrimi Viri Chriſtophori, Indiarum Occidentalium primi exploratoris Filius, anno 1508. poſt multos labores, & preces à Ferdinando Rege Catholico impetraſſet, ſibi adiudicari ſolidam, & pacificam poſſeſſionem in iuribus, & priuilegijs Paternis: iubente Rege, in Hiſpaniolę Inſulam inſtructa claſſe ſoluit, Regijs tabulis inſtructus, qua ratione res Indicæ tam humanæ, quàm Diuinæ fœliciùs regerentur. Illudque præcipuum habuit in mandatis, vt quamprimùm Eccleſiæ, Monaſteria, & loca ſacra conſtruerentur, eo ſumptu, & ambitu, quo breuius, & minori populorum onere poſſint abſolui. Miſſi etiam ſunt tunc Locorum Curatores Franciſcani, ſubminiſtratis eiſdem abundè ex Theſauro Regio, & domo Indica, apud Hiſpalim, ſacris Veſtibus, rebuſque omnibus, cultui Diuino neceſſarijs.

§. 14. Quibus quidē in omnimodã Indorum ædificationem ſanctè, ac fideliter vſi ſunt, nouam eam Vineam, Dei Verbo, quotidie diligentiùs excolentes. Hinc anno 1510. Didacus Præfatus Almirantius, ſiue Rector Hiſpaniolæ, illuſtre de eis tranſmiſit teſtimonium ad Ferdinandum, Regem Catholicum, aſſerens proſperè proceſſiſſe negotium fidei, & Conuerſionis Indorum in illis partibus Occiduis, indefeſſo ſtudio, & pietate Minorum, ac Prædicatorum; licèt hi non niſi ab eo tẽpore illuc transfretarint, quos ante plures annos præceſſerant Franciſcani. Qui illinc ſe diffuderunt ad Inſulas Cubanam, & Cumanam, S. Ioannis, ſiue Boriquenam, Iamaicanam, Margaritanam, Sanctę Crucis, de Cubagua Vnionum feraciſſimam; in quibus locis longè, latèque Chriſti nomen, & doctrinam propagarunt, ſibique ipſis Domicilia poſuerunt, & multiplicarunt, ad profectum Animarum. Exorta autem, ſub annum 1511. Controuerſia, circa ſeruitutem, & inſtructionem Indorum, transfretarunt in Hiſpaniam Antonius Monterinus, ex Ordine Prędicatorum, & Alphonſus Eſpinarius Minorita, qui Regi Ferdinando totius negotij ſeriem expoſuerunt. Ille continuo Burgis, vbi tunc reſidebat, cogi iuſſit grauem conſeſſum illuſtrium Virorum, dignitate, & litteris ſpectabilium; cui etiam Eſpinarius interfuit, illorumque conſilio multa decreuit, Indijs fauorabilia, Religionique propagandę opportuna. Inſuper præcepit, vt in Inſula S. Ioannis, Portus locuples, (Hiſpanis *Puerto rico*) conſtruerentur Eccleſiæ, & Cęnobium ædificaretur Minorum: ex quibus viginti tres illuc ſunt eodem anno miſſi, ſacris rebus, & Veſtibus abundanter inſtructi.

§. 15. Tot ſanctiſſimis regulamentis pulchrior euadere debuerat facies illius nouæ Eccleſiæ; verùm ex aduerſo pugnante inferni malitia, non parũ decolorari cęperat circa annum 1513. id ægre ferentibus Minoritis, & Prædicatoribus. Vnde ipſorum, ac aliorum hominum commiſeratio, erga redactas in Hiſpanorum poteſtatem Prouincias, & Inſulas, ſubiectaſque Nationes, dominante in Victoribus, & militibus ſumma imperandi, habendique libidine, eoſdem extimulauit, vt miſeram Indorum Ferdinando Regi patefacerent conditionem. Multa quidem ille, adhibita Doctorum, Opti-

rumque Virorum consultatione, salubritèr decreuit, corporum iniurijs, animæque neglectui opportuna adhibere remedia. Præ reliquis verò statuit; vt Præfectorum, & Magnatum Filij, qui tertiumdecimum non excedebant annum, Franciscanis traderentur per quadriennium in fide instruendi, à quibus etiam legendi, scribendique rationem addiscerent, & demum suis Patribus redderentur. Ità factum est, vt præcipuæ familiæ horum Puerorum, adolescentumque magisterio, faciliùs fidem Christianam perciperent, & ab illis ad subditos, & populos tanquam stillicidia, sacra dogmata descenderent. Hinc ortum habuere frequentia illa; & numerosa, quæ vbique habent Franciscani, puerorum seminaria, quæ vsitato nomine *Christianitates* appellata, in quibus scilicèt Indorum Filij Christianis rudimentis imbuuntur. Incredibile quanto id fructu factum sit, quantumque Franciscanorum opera, per Hispaniolam, adiacentesque Insulas, fides Christi incrementum hoc tempore acceperit, sacro Baptismate multis Indorum millibus intinctis.

§. 15. Anno 1514. Ferdinandus Rex Catholicus accepit per Nuncios à Blasco Nunio, Egregio Indicarum Regionum Exploratore, hostiumque deuictore, à se mandatos Hispanos iam ad continentem Indiarum terram, & Mare Eoum, siue Erithræum (Hispanis *Mar del Zur*) peruenisse, ibique frequentes haberi optimi auri fodinas, & in mari piscationem fieri Vnionum, seu Margaritarum, candore, magnitudine; Orbe, lepore, & pondere, prætio inæstimabilium; decreuit illuc mittere Petrum Arias de Auila, bello strenuum, hastiludio celeberrimum, Comitis Pugni in facie (vulgo Hispanico, *Puño en rostro*) Germanum Fratrem, eique supremum illius regionis Imperium committere; adhibitis tamen Consiliarijs Fr Ioanne de Queuedo, Episcopo Darieni, ex Minoritis assumpto, & quatuor administris, quorum Voto grauia quæque negotitia peragerentur. His datæ piæ, prudentesque Regulæ, quibus Barbari incolæ faciliùs ad Christianam fidem allicerentur, in quod ministerium adiunctus est copiosus numerus Franciscanorum; quod si tam vastæ Regionis conuersioni non sufficeret, iussit Rex, vt alij eiusdem Instituti Viri, ex Hispaniolæ Insula subministrarentur.

§. 16. Episcopo autem Ioanni Sacerdotes adhibuit sæculares, qui in Ecclesiæ propriæ functionibus, aliarumque Erectionibus adlaborarent, præscriptis omnibus æquis stipendijs, & Minoritis necessarijs alimonijs. Leo Pontifex, Rege deprecante, amplissimam contulit Episcopo facultatem, circa animarum curationem, & conuersionem, ac Ecclesiarum à se instituendarum gubernium, multa etiam priuilegia, & largissimas Indulgentias, destinato Episcopatus titulo Sanctæ Mariæ Antiquæ Darieni. Hic itaque primus fuit continentis Indiarum, seu Terræ firmæ, quam vocant, Antistes, primique harum conuersionum, fideique Christianæ disseminandæ in vastissimis illis regionibus Ministri, fuerunt Franciscani. Soluit autem Petrus, Classis præfectus Hispali anno prędicto, duodecima die Aprilis nauibus quindecim, delecto milite, nobilium comitatu, bellico apparatu, & pingui commeatu instructus, & sub finem Iulij Darienum, modò prospero, modò sinistro cursu, applicuit.

§. 17. Applicuit, & cum ipso prælaudatus Episcopus Fr. Ioannes de Queuedo; qui circa annum 1515. in conuersione Indorum procuranda, nullum refugiebat laborem; in Regijs Ministris ab auaritia, tyrannide, libidine cohibendis, omnem impendebat operam; in componendis discordijs Petri Arias, Regij Præfecti, & Blasci Nunij, solertissimi Ducis, sequester pacis erat assiduus; in promouendo Regis Imperio, & multiplicanda Hispanorum Colonia, opportuna quæque suggerebat consilia, vtque Christianè regerentur Indi, & humanitèr tractarentur, rogare, monere, & pro sua auctoritate imperare non cessabat. Nihil alicuius momenti absq; illius consilio, & assensu fieri poterat, vti erat à Rege imperatum, neque ille quidem suam permisit desiderari fidem, solertiam, iustitiam, & animi integritatem. Inde illi circa animarum procurationem magnus labor, & dolor obortus, quod improbo labore, sed exiguo fructu Euangelici ministri inter Barbaras gentes versabantur; Vitiorum enim inueterata consuetudo, su

pini-

pini otij innatus amor, hebesque ad disciplinas ingenium, cassam, sterilemque reddebant vniuersam Prædicatorum industriam. Quibus medendis malis, illud excogitatum est consilium, vt Indi inter Hispanos distribuerentur; Titulo quodam Commendationis (quæ postea in seruitutem degenerauit) atque ita inter Christianos viuentes, Christianos mores, sermonesque apprehenderent, veterique vitæ, atque otij corruptelæ paulatim desuescerent.

§. 18. Rex autem Ferdinandus scire volens, qualiter cum miseris illis nationibus ageretur, non nisi proborum virorum, ex Minoribus præsertim, & Prædicatoribus Hispaniolæ, atque Insularum adiacentium explorabat iudicium, à quibus cum perciperet, parum humaniter agi cum omnibus Indis, tam vi subiectis, quàm sponte se Regiæ fidei commitentibus, seriò de remedio cogitabat. Id verò maiori conatu applicare constituit, postquam sub anni prædicti finem Bartholomæus de las Casas, tunc Presbyter sæcularis, Indorum perpetuus fautor, strenuusque contra Hispanorum iniurias defensor, multas ad eum de militum, & Ministrorum auaritia dedit quærelas, quæ per Curiam negligenter sparsæ, ad illorum manus peruenerunt, qui in odium, & æmulationem Hispanicæ gentis eas curauerunt vbique, varijsque linguis excudi.

§. 19. Regressus etiam è India Occidentali Didacus Columbus, magni Christophori filius, & Oceani Maris Almirantus, vnâ cum Bartholomæo, multa, quæ rem Indicam, Regis prouentus, Imperij propagationem, Fidei Christianæ profectum, Indorum Ciuile, iustumque regimen concernebant, Ferdinando Regi anno currente 1516. efficaciter exponebat: multisque erroribus corrigendis modum requirebat. At mortuo tunc Ferdinando, & Monarchiæ gubernatione ad Venerab. Cardinalem Ximenium, Minoritam, statim deuoluta, ab hoc zelantissimo, & prudentissimo Viro malorum remedia constantissimè expetebat. Iste verò cum crebris petitionibus compelleretur, videretque turbis sedandis, malisque eradicandis, homines requiri integerrimos, qui non tam auri, & argenti cupiditate, quam Religionis, & Reip. studio ad eum laborem capessendum inuitarentur; nullibi verò eos commodiùs posse reperiri, quam in Monachorum cænobijs, sed potissimùm Hieronymianorum, quos rei priuatæ tractandæ industria, & negotiorum agendorum prudentia pollere iudicauit: Ex his mittendos censuit tres Viros graues, & pios, adhibito consilio præcipuorum, ex Regio Senatu, & Fr. Francisci Ruizij ex Minoritæ, Episcopi Abulensis. Neque verò ex eius Minoritis, neque ex Prædicatoribus in hanc rem Curatores mitti voluit, quos diuersi node sentire, circa Indorum regimen, & Conuersorum disciplinam, cognoscebat.

§. 20. Horum Religiosorum Ordinis S. Hieronymi, qui anno eodem Hispaniolam appulerunt, directione, & mandato, cum multa sint prouidenter facta, illud potissimùm memorabile est. Insulani, quos Rex Ferdinandus quibusdam, qui in Hispania degebant, velutì Patronis protegendos commendauerat, vndè & *Commendatarij* vocantur, Ferdinandi actis rescissis, prorsus sunt absentibus ablati. Erat enim omninò iniustum, vt homines absentes, otio, & delitijs in Hispania dediti, potiores haberentur, quàm fortissimi viri, qui post vastum mare emensum, magnos labores in armis tolerauerant, ob Religionis, & Hispanij Imperij prorogationem. Itaque Insulani veteranis militibus, pro cuiusque labore, & meritis, sunt tunc attributi.

§. 21. Curarunt Hieronymiani præterea, vt diuinis Mysterijs, & Christianæ Religionis documentis, Indi per sacros Ministros probè imbuerentur, & tyrannica militum seruitute, qua oppressi tenebantur, non nihil liberati, quoquo modo tandem respirarent. Actum fuit id magnis contentionibus, & vt in rebus nouis, & incertis contingit, non adeò claro, & euidenti opere prætio. Nã cum aliæ Insulanorum diuisiones, partim per Columbum Almirantum, partim per Regios Ministros iam olim factæ essent, atque nunc idem per Hieronymianos nouam hanc tentari milites Hispani conspicerent, coniectantes, quod posteà fuit, alias, atque alias superuenturas, donec Insulani so-

rumque Virorum consultatione, salubritèr decreuit, corporum iniurijs, animæque neglectui opportuna adhibere remedia. Præ reliquis verò statuit; vt Præfectorum, & Magnatum Filij, qui tertiumdecimum non excedebant annum, Franciscanis traderentur per quadriennium in fide instruendi, à quibus etiam legendi, scribendique rationem addiscerent, & demum suis Patribus redderentur. Ità factum est, vt præcipuæ familiæ horum Puerorum, adolescentumque magisterio, faciliùs fidem Christianam perciperent, & ab illis ad subditos, & populos tanquam stillicidia, sacra dogmata descenderent. Hinc ortum habuere frequentia illa; & numerosa, quæ vbique habent Franciscani, puerorum seminaria, quæ vsitato nomine *Christianitates* appellata, in quibus scilicèt Indorum Filij Christianis rudimentis imbuuntur. Incredibile quanto id fructu factum sit, quantumque Franciscanorum opera, per Hispaniolam, adiacentesque Insulas, fides Christi incrementum hoc tempore acceperit, sacro Baptismate multis Indorum millibus intinctis.

§. 15. Anno 1514. Ferdinandus Rex Catholicus accepit per Nuncios à Blasco Nunio, Egregio Indicarum Regionum Exploratore, hostiumque deuictore, à se mandatos Hispanos iam ad continentem Indiarum terram, & Mare Eoum, siue Erithræum (Hispanis *Mar del Zur*) peruenisse, ibique frequentes haberi optimi auri fodinas, & in mari piscationem fieri Vnionum, seu Margaritarum, candore, magnitudine; Orbe, lepore, & pondere, prætio inæstimabilium; decreuit illuc mittere Petrum Arias de Auila, bello strenuum, hastiludio celeberrimum, Comitis Pugni in facie (vulgo Hispanico, *Puño en rostro*) Germanum Fratrem, eique supremum illius regionis Imperium committere; adhibitis tamen Consiliarijs Fr Ioanne de Queuedo, Episcopo Darieni, ex Minoritis assumpto, & quatuor administris, quorum Voto grauia quæque negotitia peragerentur. His datæ piæ, prudentesque Regulæ, quibus Barbari incolæ faciliùs ad Christianam fidem allicerentur, in quod ministerium adiunctus est copiosus numerus Franciscanorum; quod si tam vastæ Regionis conuersioni non sufficeret, iussit Rex, vt alij eiusdem Instituti Viri, ex Hispaniolæ Insula subministrarentur.

§. 16. Episcopo autem Ioanni Sacerdotes adhibuit sæculares, qui in Ecclesiæ propriæ functionibus, aliarumque Erectionibus adlaborarent, præscriptis omnibus æquis stipendijs, & Minoritis necessarijs alimonijs. Leo Pontifex, Rege deprecante, amplissimam contulit Episcopo facultatem, circa animarum curationem, & conuersionem, ac Ecclesiarum à se instituendarum gubernium, multa etiam priuilegia, & largissimas Indulgentias, destinato Episcopatus titulo Sanctæ Mariæ Antiquæ Darieni. Hic itaque primus fuit continentis Indiarum, seu Terræ firmæ, quam vocant, Antistes, primique harum conuersionum, fideique Christianæ disseminandæ in vastissimis illis regionibus Ministri, fuerunt Franciscani. Soluit autem Petrus, Classis præfectus Hispali anno prędicto, duodecima die Aprilis nauibus quindecim, delecto milite, nobilium comitatu, bellico apparatu, & pingui commeatu instructus, & sub finem Iulij Darienum, modò prospero, modò sinistro cursu, applicuit.

§. 17. Applicuit, & cum ipso prędaudatus Episcopus Fr. Ioannes de Queuedo; qui circa annum 1515. in conuersione Indorum procuranda, nullum refugiebat laborem; in Regijs Ministris ab auaritia, tyrannide, libidine cohibendis, omnem impendebat operam; in componendis discordijs Petri Arias, Regij Pręfecti, & Blasci Nunij, solertissimi Ducis, sequester pacis erat assiduus; in promouendo Regis Imperio, & multiplicanda Hispanorum Colonia, opportuna quæque suggerebat consilia, vtque Christianè regerentur Indi, & humanitèr tractarentur, rogare, monere, & pro sua auctoritate imperare non cessabat. Nihil alicuius momenti absq; illius consilio, & assensu fieri poterat, vti erat à Rege imperatum, neque ille quidem suam permisit desiderari fidem, solertiam, iustitiam, & animi integritatem. Inde illi circa animarum procurationem magnus labor, & dolor obortus, quod improbo labore, sed exiguo fructu Euangelici ministri inter Barbaras gentes versabantur; Vitiorum enim inueterata consuetudo, supini-

pini otij innatus amor, hebesque ad disciplinas ingenium, cassam, sterilemque reddebant vniuersam Prædicatorum industriam. Quibus medendis malis, illud excogitatum est consilium, vt Indi inter Hispanos distribuerentur; Titulo quodam Commendationis (quæ postea in seruitutem degenerauit) atque ita inter Christianos viuentes, Christianos mores, sermonesque apprehenderent, veterique vitæ, atque otij corruptelæ paulatim desuescerent.

§. 18. Rex autem Ferdinandus scire volens, qualiter cum miseris illis nationibus ageretur, non nisi proborum virorum, ex Minoribus præsertim, & Prædicatoribus Hispaniolæ, atque Insularum adiacentium explorabat iudicium, à quibus cum perciperet, parum humaniter agi cum omnibus Indis, tam vi subiectis, quàm sponte se Regiæ fidei committentibus, seriò de remedio cogitabat. Id verò maiori conatu applicare constituit, postquam sub anni prædicti finem Bartholomæus de las Casas, tunc Presbyter sæcularis, Indorum perpetuus fautor, strenuusque contra Hispanorum iniurias defensor, multas ad eum de militum, & Ministrorum auaritia dedit querelas, quæ per Curiam negligenter sparsæ, ad illorum manus peruenerunt, qui in odium, & æmulationem Hispanicæ gentis eas curauerunt vbique, varijsque linguis excudi.

§. 19. Regressus etiam è India Occidentali Didacus Columbus, magni Christophori filius, & Oceani Maris Almirantus, vnâ cum Bartholomæo, multa, quæ rem Indicam, Regis prouentus, Imperij propagationem, Fidei Christianæ profectum, Indorum Ciuile, iustumque regimen concernebant, Ferdinando Regi anno currente 1516. efficaciter exponebat: multisque erroribus corrigendis modum requirebat. At mortuo tunc Ferdinando, & Monarchiæ gubernatione ad Venerab. Cardinalem Ximenium, Minoritam, statim deuoluta, ab hoc zelantissimo, & prudentissimo Viro malorum remedia constantissimè expetebat. Iste verò cum crebris petitionibus compelleretur, videretque turbis sedandis, malisque eradicandis, homines requiri integerrimos, qui non tam auri, & argenti cupiditate, quam Religionis, & Reip. studio ad eum laborem capessendum inuitarentur; nullibi verò eos commodiùs posse reperiri, quam in Monachorum cænobijs, sed potissimùm Hieronymianorum, quos rei priuatæ tractandæ industria, & negotiorum agendorum prudentia pollere iudicauit: Ex his mittendos censuit tres Viros graues, & pios, adhibito consilio præcipuorum, ex Regio Senatu, & Fr. Francisci Ruizij ex Minoritæ, Episcopi Abulensis. Neque verò ex eius Minoritis, neque ex Prædicatoribus in hanc rem Curatores mitti voluit, quos diuersimode sentire, circa Indorum regimen, & Conuersorum disciplinam, cognoscebat.

§. 20. Horum Religiosorum Ordinis S. Hieronymi, qui anno eodem Hispaniolam appulerunt, directione, & mandato, cum multa sint prouidenter facta, illud potissimùm memorabile est. Insulani, quos Rex Ferdinandus quibusdam, qui in Hispania degebant, veluti Patronis protegendos commendauerat, vnde & *Commendatarij* vocantur, Ferdinandi actis rescissis, prorsus sunt absentibus ablati. Erat enim omninò iniustum, vt homines absentes, otio, & delitijs in Hispania dediti, potiores haberentur, quàm fortissimi viri, qui post vastum mare emensum, magnos labores in armis tolerauerant, ob Religionis, & Hispanij Imperij prorogationem. Itaque Insulani veteranis militibus, pro cuiusque labore, & meritis, sunt tunc attributi.

§. 21. Curarunt Hieronymiani præterea, vt diuinis Mysterijs, & Christianæ Religionis documentis, Indi per sacros Ministros probè imbuerentur, & tyrannica militum seruitute, qua oppressi tenebantur, non nihil liberati, quoquo modo tandem respirarent. Actum fuit id magnis contentionibus, & vt in rebus nouis, & incertis contingit, non adeò claro, & euidenti opere pretio. Nā cum aliæ Insulanorum diuisiones, partim per Columbum Almirantum, partim per Regios Ministros iam olim factæ essent, atque nunc idem per Hieronymianos nouam hanc tentari milites Hispani conspicerent, coniectantes, quod postea fuit, alias, atque alias superuenturas, donec Insulani

fo-

solida libertate donarentur, multi malis animis, & mentibus præditi, immodicis laboribus Insulanos diuexantes, & vitam tandem migrare coegerunt. Horum Patrum potissimùm industria, artem arundinum mellitarum, totamque illorum Sacchari conficiendi rationem, mirum in modum creuisse, aiunt scriptores illius temporis. Qua re in Hispaniam reuersi, magno in prætio, & honore sunt habiti, vt multarum rerum vtilium Authores.

§. 22. Totus intentus interea Venerab. Cardinalis Ximenius Indorum Conuersioni, inter reliqua statuit, vt nulla Nauis, vel in Indiam ad nouas explorandas terras, vel ex vna Insularum Indicarum, ad aliam subiugandam, vel ad liberandos captiuos mitteretur, quæ viros Religiosos non veheret, quorum industria, & Zelo gens illa, idolatriæ summoperè dedita, ad Christi Fidem conuerteretur: & quidem ipse sub hoc tempus misit quatuordecim Minoritas, qui ex Picardia, in hoc opus venerant, Duce Fr. Remigio, qui postquam per aliquot annos in India strenuè laborauerat, venerat vocatū auxiliares operarios. Inter hos præ alijs effulsit Frater Germanus Regis Scotiæ, eiusdem Instituti, qui zelo propagandę Fidei cum illis transfretauit. Omnibus his, & quibusdam Patribus Ordinis Prędicatorum Ximenius commeatum, & cuncta necessaria abundè ministrari curauit.

§. 23. Rebus ita melius constitutis, & Sacri Euangelij multiplicatis Ministris, Minores, & Prædicatores non solum in Hispaniolæ Insula vberiores, quàm antea produxerunt fructus, Indos per Interpretes docendo, & conuertendo, sed etiam propinquas, aliasque longinquas nauigabant Terras, missellis gentibus, quæ in tenebris iacebant, Dei veri lucem inuecturi. Periere isto anno in huiusmodi Missione tres Minoritæ, Ferdinandus Salzedus, Didacus Botellius, eorumque Socius, Anonymus, ab Indis Caribibus feris, & crudelibus, qui summas reputant delicias, vesci carnibus humanis, sagittis transfixi, dilaniati, & deuorati, vestibus in vexilla mutatis.

§. 24. Alij Minoritæ ab eadem Hispaniolæ Insula ad illam continentis partem, quæ ora Paria (vulgo *Costa de Paria*) appellatur, & Cubaguæ Insulam prospicit vicinam, Vnionibus locupletem, transfretarunt. & in Vrbe Cumana ab Indis humanitèr excepti, eos instruxerunt in Fide Christiana, quamplurimos aquis intinxerunt baptismatis, pueros docuerunt legere, & scribere, & qui in Vrbe erant præcipui, suos filios eorum tradiderunt disciplinæ, ac Fratribus, quorum vita, & conuersatio summoperè placuit, Cœnobium construxerunt, opus promouente Ioanne Garzes, Fratrum Vicario. Ità demum Religiosis moribus, parsimonia Vitæ, humili obsequio, filiorumque doctrina, tam Cumanos, quàm circumuicinos populos ad sui attraxerunt amorem, vt propter illos vniuersi Hispani benè habuerint, & vbique per illas partes eis tam liber pateret accessus, vt in Hispania nihil ampliùs possent expetere. At redeuntibus, siue dolo malo quorumdam, reuocatis in Hispaniam Patribus Hieronymianis, redierunt etiam auari ministri, & milites ad suas pristinas rapinas, & dominandi libidines, itaut omnia confuderint, turbarint, & Verbo Dei seminando graue posuerint offendiculum.

§. 25. Hoc eodem tempore, in componendis multorum controuersijs, præsertim inter Petrum Ariam, Socerum, Prouinciæ Præsidem, eiusque generum, Blascū Nuniū, Virum Antelati dignitate, militari gloria, multisq. subactis Insulis, ac continentis oris maritimis insignē, valdè enituit Virtus, & auctoritas Fr Ioannis de Queuedo, Episcopi Darieni Minoritæ. Etenim Nunij famam quotidie excrescentem, populi applausum, Regios in eum profusos honores Arias sufferre non poterat, sibi detrahi existimans, quòd genero conferebatur; neque Filiæ amor, aut vehementes Episcopi persuasiones omninò eradicare poterant ex eius præcordijs æmulationis, aut inimicitiæ fomenta, licèt sæpè dissidentes composuerit Episcopus, & aliquoties amicitiam redintegrarit.

§. 26. Ex Indijs terræ firmæ iam dictę in Hispaniam peruenit, circa annum 1517. Fr. Franciscus à S. Romano, Fidei propagandæ potiorem rationem expositurus, & causam dicturus misellorum Indorum, sub graui gementium serui-

nitute; eaque dixit efficacia sermonis, Fideique zelo, vt Petrus Arias, summa præfectus potestate terræ continenti, & Mari Australi, commissa abutens auctoritate, in ordinē sit redactus, & vt res Indicæ deinceps exactiori indagine in consessu grauissimorum; hominum sint discussæ; Anno pariter 1517. prærelato, quo iam Martinus Lutherus cœpit per Germaniam hæreses disseminare: doctè, & piè concionari cœpit in Hispania Martinus à Valentia, Hispanus, Vir Sanctissimus, qui detrimentum, quod in Aquilonaribus partibus fides Christiana passura erat, in Indiarum remotissimis Regionibus plenè posteà compensauit Euangelica prædicatione, conuersis ab Idolorum Cultu integris Prouincijs, & Regnis. Ità singulari Dei prouidentia factum est, vt damnum, quod Martinus vnus deprauata inuexit doctrina, Martinus alter integra fide, & mirandis operibus, resarciret. Quanta, & qualia vir optimus in fidei obsequium præstiterit, quàm longè latèque Christianam propagauit doctrinam, & quanto fulgore alijs præluxerit, dicemus statim.

§. 27. Ad Imperium capessendum vocatus in Germaniam Carolus, Primus inter Reges Hispaniarum, & quintus inter Imperatores, antequam Hispania excederet, pro Tribunali anno 1518. coram præcipuis Ministris, propè Barcinonem, Molinis excepit Fr. Ioannis de Quevedo Minoritæ, Episcopi Dariensis in Occidentalibus Indijs, necnon alterius Minoritæ, exinde profecti, & Bartolomæi de Casis, ardentissimi Indorum tutelaris, grauissimas quærelas, circa Hispanorum cum deuictis Indis modum agendi; quibus permotus eas præscripsit leges Carolus, quibus victorum auaritiam, & seueritatem temperauit, & victis nè grauius afficerentur, clementer prospexit. Paulò post Episcopus acuta febri correptus, Barcinone piè decessit. Interim ab Insula Hispaniolæ eodem anno, nauigarunt in continentem aliquot Dominicani, & Franciscani, præter eos, quos supra diximus: ibi ad Oras illius Regionis, quæ à *Margaritis* appellatur, constiruerunt sibi sedes, ex quibus per circuitum suos operarios emittebant, qui rudem, cæcumque populum ad veritatis æternæ regulas instituerent, miserosque Indos à vexationibus, quibus affligabantur in Littoribus Cumanæ, vnde quotidie in miseram seruitutem adducebantur, vendicarent. Horum insimul pio studio summoperè fauit Rex Hispanus, missis litteris efficacibus, vt necessaria quæque subministrarentur, & impedimenta omnia remouerentur.

# DISTINCTIO IV.

*Fratres Minores ardentiores subinde accenderunt lucernas, vt professæ Religionis officio, impensiùs satisfacerent in Indijs Imperij Mexicani.*

## §. I.

Diximus paulò ante, Martini Lutheri peruersitati, opposuisse Diuinam prouidentiam Martini de Valentia integerrimam Vitam, & egregiam prædicationem: addimus nunc, suscitasse eodem tempore, in ipso initio Lutheranismi, pietatem eximiam Regis Caroli, tunc in Romanorum Imperatorem electi: nec non florere fecisse Religionem Santimonialium Annuntiatarum, seu de decem Beneplacitis Beatissimæ Virginis Mariæ, sub Fratrum Minorum directione, vnà cum alijs duobus Ordinibus, in honorem eorundem decem Beneplacitorum, seu decem Virtutum Deiparæ, ab eisdem Fratribus tunc institutis, ac per Sanctam Sedem, ipsorum solicitudine, solemniter approbatis. Sed quòd magis fuit, Ordo ipse Minorum ad eam vnionem redactus est, in qua vsque nunc perseuerat: & vt contra hostes Ecclesiæ, pulsis internis dissidijs, fortiùs dimicaret, & Christi nomen ferret in longinquas Regiones, totus viuificatus apparuit, ac

Dei

Dei, & hominum gratia decoratus, coram populis, & gentibus mirè refulsit.

§. 2. Quod testatum habere sufficiat oraculo piæ recordationis Leonis X. qui anno 1517. in Bulla vnionis prædictæ, *Ite, & Vos*: incipiente, de ipso Ordine ita est effatus. [ Mundi Saluator, atque Redemptor noster Iesus Christus, qui etsi curam gerat de omnibus, cunctaque dirigat, quæ ipse fecit; attamen inter cæteras plantationes, quas per ipsum Pater Cælestis in Solo plantauit Militantis Ecclesiæ, vineam quamdam tam ardenti prosequutus est amore, vt suam velut propriam vbiuis appellet: Hanc siquidem vineam sic, assiduis, solertibus, ac fidelibus excoluit agricolis, vt alios primo mane, alios hora tertia, sexta, nona; decima verò, & vndecima quasi incessanter cultores transmiserit. Hæc est illa Sacra Minorum Fratrum Religio, quæ virentibus cæremoniarum folijs per Viros Apostolicos, tanquam per palmites extensos à mari, vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, vino sapientiæ, & scientiæ irrigauit montes, & impleuit terram. Hæc est Religio Sancta, & Immaculata, in qua per speculum sine macula, Redemptoris contemplatur præsentia, Vitæ Christi, & Apostolorum inspicitur forma, per quam primorum Ecclesiæ Fundatorum ante oculos Christianæ plebis reducitur norma, quæ nihil nisi Diuinum, Angelicum, omni perfectione refertum, Christoque nihil nisi conformè, vt non immeritò sua dicatur, repræsentat.

§. 3. Ad hanc Vineam excolendam primo mane, oriente iam Sole, misit ipse Pater familias *Angelum illum, ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei Viui*, Beatum Franciscum, qui comitantibus miræ Sanctitatis viris, prima vitæ huius iecere fundamenta. His successerunt Viri Religiosi, qui Duce B. Bonauentura, muros huius vineæ iam vtrinque ruinam minantes, hora tertia Trinitatis Sanctæ virtute, & adiutorio reparauerunt. Post hos, veluti hora sexta prodierunt spiritu feruentes, Fratres nonnulli, qui à Sacro Viennensi Concilio, tanquam à Deo missi, & confortati eneruatam penè disciplinæ censuram ad sua principia reuocauerunt. Hora verò nona moriente Domino, surgentibus in dies malis, & scandalosis huius vineæ agricolis, suscitauit Dominus spiritum adolescentis, paucorum videlicet Fratrum, qui signifero Nominis Iesu B. Bernardino ductore, & Præside, Sacri Concilij Constantiensis freti præsidijs, languentem, imò penè mortuum, per Orbem vniuersum, Ordinem viuificarunt. Nouissimè verò diebus istis, quasi hora vltima apparuerunt viri alij, qui zelantes pro domo Israel, succiderunt Lucos, & demoliti sunt delubra: *ac vbi abbundabat peccatum*, adiuuante Domino, curauerunt, per introductâ Reformationis normam, *vt super abundaret, & gratia*.]

§. 4. Horum zelantissimorum Virorum ingens erat multitudo apud Prouinciam Sancti Iacobi, Regularis Obseruantiæ, in Hispania, pro quorum strictissimo incolatu, cum non sufficerent quatuor loca Custodię Sancti Euangelij, assignata fuerunt à Ministro Prouinciali eiusdem Prouinciæ alia septem, & inter ea Conuentus, vulgo de *Manjarretes*, in quo, ante duos annos, habitum susceperat S. Petrus de Alcantara, quem etiam, cum Reformatione ab ipso promouenda, Dominus tunc designauerat ad pugnandum pro decore Domus suæ. Hinc anno 1517. peracta Ordinis vnione, statuit Capitulum Generale, prout legitur apud tom. 3. Orbis Seraphici, sub hoc tenore. [ Præterea Custodia S. Iacobi, de illis quatuor locis, qui dicebantur de Sancto Euangelio, cum alijs septem, quæ offert R. P. Minister S. Iacobi, fiat Custodia, quæ vocabitur Custodia S. Gabrielis: ita tamen, quòd Minister dictæ Prouinciæ non possit, nec debeat aliquem Fratrem ponere, nec amouere, sine voluntate Custodis supradicti. ] Deinde in Comitijs Generalibus anni 1518. sic fuit superadditum. [ Custodia Extremadurę, Prouinciæ S. Iacobi, remanebit cum illis septem locis, quæ R. P. Minister S. Iacobi illis tradidit, & fiet electio noui Custodis ab omnibus Vocalibus dictæ Custodiæ, tam quatuor locorum dictæ Custodiæ quàm etiam dictorum septem locorum: Cui electioni præsidebit R. P. Minister S. Iacobi, aut eius Commissarius, ad hoc specialiter deputatus. ]

§. 5. Et inferiùs. [ Possit autem eri-

erigi in Prouinciam dicta Custodia, si Generali Ministro, cum illuc venerit, videatur, additis locis, quæ Prouincialis S. Iacobi offert, pro erectione dictæ Prouinciæ.] Cuius statuti vigore erecta est anno 1519. inquit ibi Wadingus, nu.11. in Prouinciam, *in Comitijs Prouincialibus Prouinciæ S. Iacobi, ad Beneuentum, die 22. Iulij, habitis, cum interuentu Commissarij Generalis, Gabrielis à S. Maria, Francisci Quinnonij, Prouinciæ Angelorum Ministri, postea totius Ordinis Generalis, & Cardinalis: Iacobi de Alcalà, Guardiani Cæsaraugustani, & Guardianorum Custodiæ prædictæ S. Gabrielis, siue Extremaduræ, vbi conuentum est inter Angelum Vallisoletanum, Procuratorem, & Authorem Custodiæ, ac Franciscum de Zafra, Ministrum S. Iacobi, circa numerum Cœnobiorum, quæ assignanda erant nouæ Prouinciæ. Atque ita, rebus pacificè, & Religiosè transactis, omnia in posterum inter vtramque Prouinciā benè cesserunt, optimosque fructus produxit illud nouum germen Prouinciæ S. Iacobi, qui maximè in eius laudem, & honorem conducunt, vti constabit, cum de illis Apostolicis Viris duodenis, primis Magistris, & Apostolis Indiæ Occidentalis, seu nouæ Hispaniæ, ex hac noua Prouincia destinatis, fuerit agendum.* Quæ cuncta haud quaquam censeantur adducta extra propositum: dicta sunt enim, vt ostendatur, quòd sicut Hispana Gens, Apostoli Iacobi doctrina, & prædicatione, Christianæ Religioni nomen dedit: ità, Diuina disponente Clementia, nouus Orbis eidem refulget aggregatus, per prędicationem Virorum Vitæ Apostolicæ, qui sub ipsius Beati Iacobi tutela, & prędidio, congregauerant sibi doctrinæ, ac sanctarum operationum diuitias, ad aggrediendum opus adeò arduum, ex omni parte mirificum.

§. 6. Iterum, itaque, ad rem nostram deueniendo, nobis circa annum 1520. occurrit Martinus Lutherus, inuerecundo fronte, nequissima moliens aduersus suam Matrem, Almam Romanam Ecclesiam; sed dum hęc in frigidis illis Regionibus Germaniæ venenosa semina sparguntur, in calidis, feruentissimisque Indiarum Plagis, magis magisque quotidie veræ Romanæ doctrinæ rudimenta propagantur, diffundēte sole iustitiæ suos radios in terras lōginquas, quos in propinquis occulto, sed iusto iudicio, decreuit abscondere. Ad quod sacrum mysterium missi sunt eo anno à Carolo V. Franciscani viginti: decreto etiam addito, de submittendis alijs eiusdem Instituti viris, quorum operam in tanta gentium efferarum conuersione, fructuosam probauerant. Hi enim ad Oras Cumanas, è Regione Promontorij de *Araya*, atque Insulæ Margaritæ, intra continentem, multam messem collegerunt illius Regionis hominibus gratissimi, ad quos ante aliquot annos profectos diximus, & Sedem fixisse alios Franciscanos.

§. 7. Interea, in noua Hispania Ferdinandus Cortesius magnos fecit progressus, victo, & capto Pamphilo Naruaesio, Hispano, in Mexicanam Prouinciam misso, vt Cortesium, vsurpata in illis partibus auctoritate, deturbaret. Cum enim Hispanis Præfectum, in suam potestatem redigeret, omnemque illorum exercitum suo aggregaret, auctis viribus, omnem, in circuitu Tlascalæ, confœderatæ Vrbis Regionē, siue pacificare, siue subiugare constituit, vt facilior, & securior esset expeditio Mexicana, quam propediem intentabat. Habuisse in Comitatu Franciscanos, qui fidei disseminandæ, & quocumque ille pręibat, introducendę, insistebant, inde compertum est, quòd Herrera, grauissimus omnium, qui de re Indica scripserunt, Author, referat, quòd ad illorum suggestionem, & preces, Cortesius antequam Yzucano (Vrbs est, ab altera notissima, & opulentissima Guadachula, leucis tribus dissita) discederet, magna solemnitate Baptismum reguli Yzucani, susceptore Petro de Aluardo, celebrauit.

§. 8. Anno deinde 1521. Venerab. Franciscus ab Angelis, ad Purpuram postmodum euectus, Cardinalis Quinnonius nuncupatus, Romam profectus, egit cum Ioanne Glapione, Belga, nuper Cōmissario Generali in Curia Romana, & olim Prouinciæ Franciæ Ministro, ac Carolo V. à Sacris Confessionibus, vt ad vastissimas illas Indiæ Occidentalis Regiones, quas in Hispanorum potestatem deuenisse audiuerant, transfretarent, operam daturi infideliū conuersioni: scribebat namq; Ferdinandus Cortesius, admirabilis

ille Indorum domitor, & potentissimi Imperij Mexicani subiugator, magnam praeparari messem operarijs Euangelicis, vt qne mitterentur idonei tanti operis ministri, animarum, non auri sitibundi, ac nominatim Fratres Minores, repetitis litteris rogabat Carolum V. Imperatorem. Conuenerunt itaque in vnum hi duo praecellentes Viri; Carolo familiares, qui prę caeteris rei magnitudinem, & pratium perpendebant, & cum Leone Pontifice hoc anno egerunt, vt ad istud diuinum opus fidei propagandae sibi, alijsque aggregandis socijs, benedicente, & patrocinante indefectibili fidei Magistro, liceret proficisci. Placuit Leoni piorum Virorum laudabile desiderium, eosque priuilegijs, magnisque tantae molis obeundae fulcimentis, olim proficiscentibus Minoritis in infidelium Regiones, per alios Pontifices concessis, clementer instruxit. Attamen tanti facinoris pij aggressores, quod tantopere cupiebant, assequi nequiuerunt, assumpto Francisco, infra paucos menses, ad familię Vltramontanae gubernium, Glapione itidem morte praepedito: Etenim Mense Septembris, anni sequentis obijt Vallisoleti.

§. 9. Tenor autem Priuilegiorum Leonis X. erat huiusmodi. ( Dilectis Filijs Ioanni Glapion, & Francisco de Angelis, &c. Aliàs foelic. record. Nicolaus IV. & Ioannes XXII. & Vrbanus V. & Eugenius IV. & alij Romani Pontifices prędecessores nostri, debita meditatione considerantes, quòd vestri Ordinis munda Religio, à Christo Domino exemplis, ac verbis Apostolicis suis tradita, ac Beato Francisco, & eum sequentibus inspirata fuerit, ac quòd nonnullos eiusdem Ordinis professores, pro fidei propagatione, ad infidelium partes, cum iam Apostoli in Orbe non existant, destinare opus esset, prout & ipse B. Franciscus suo tempore actualiter fecit, vt in vinea Domini fructuosos palmites producerent, nonnullis vestri Ordinis tunc expressis fratribus, vt in terris infidelium tunc designatis existentes, quod Dei verbum proponere, & constitutos ibidem, si eorum aliqui excommunicationis censura ligati essent, absoluere: quoscumque ad vnitatem fidei Christianae conuerti cupientes, recipere, baptizare, & Ecclesiae filijs aggregare; & hi ex dictis Fratribus, qui in Sacerdotio constituti essent Poenitentiae, Eucharistiae, & Extremae vnctionis; aliaque Ecclesiastica Sacramenta Personis praemissis ministrare, & exercere; necnon in casu necessitatis ( Episcopis in Prouincia non existentibus ) Confirmationis Sacramentum, & Ordinationes, vsque ad minores Ordines fidelibus ministrare: Cappellas, & Altaria; nec non Calices, & paramenta Ecclesiastica benedicere, ac Ecclesias reconciliandas; vel Cemiteria, reconciliare, eisdem de idoneis ministris prouidere: eisque Indulgentias, quas Episcopi in suis Dioecesibus concedere solent, impartire, & alia quęcumque facere, quae ad augmentum Diuini Nominis, ad conuersionem ipsorum Infidelium populorum, & amplificationem Fidei Orthodoxae, & reprobationem & irritationem illorum, quae Sacris Constitutionibus contradicunt, sicuti pro loco, & tempore viderint expedire, valeant, & possint.

§. 10. Nec non vti Oleo Sancto, & Crismate antiquis, vsque ad tres annos, cum in eisdem partibus nouum Oleum, & Balsamum, sine difficultate magna, haberi non possint, liberè, & licitè valerent. Nec non aggregatos eosdem ( vbi Episcopi non habentur ) Clericali insignire caractere, & ipsos ad minores Ordines promouere liceret: Etiam Sedis Apostolicae sententia Excommunicationis irretitis, absolutionis beneficium, iuxta formam Ecclesiae, impartiri, & qui de gentibus Schismaticis, vel aliàs nouiter essent conuersi, dandi licentiam, vt vxores suas, cum quibus in gradibus, à lege Diuina non prohibitis, contraxerunt, retinere valerent: & de causis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam nostram deferre deberent, legitimè cognoscendi, & discordantes inter se concordare: ac etiam eisdem Fratribus licitum esset, omnium fidelium in terris prędictis confessiones audire, & ipsis poenitentias salutares iniungere; & vota commutare, & Excommunicatos à Canone, vel alio modo, iuxta Ecclesiae formam absoluere, dummodo iniuriam, ac damna passis, iuxta possibilitatem satisfecerint. Insuper in locis, in quibus fratres praedicti residentiam facere, vel eos hospitari contingeret,

geret, Missam, & Diuina Officia, cum solita solemnitate, celebrare: & si in eisdem locis vitæ necessaria, ieiuniorum tempore commodè habere non possent, ad prędicta ieiunia eosdem fratres minimè teneri, declararunt, cum eis misericorditer dispensarunt.

§. 11. Et vt de suis laboribus fructum reportarent, Fratribus prædictis, verè pœnitentibus, & Confessis, illam Indulgentiam concesserunt, quam proficiscentibus in subsidium Terræ Sanctæ, Sedes Apostolica concedere consueuit: ac etiam omnibus vtriusque sexus fidelibus, confessisque, qui Ecclesias, & loca fratrum dicti vestri Ordinis in partibus prçmissis constructa, & in posterum construenda singulis diebus, quibus visitarint, causa deuotionis, seu Eleemosinæ faciendæ, ipsis de iniunctis eius pœnitentijs, centum dies misericorditer relaxarunt. Quique eisdem fratribus, auctoritate Apostolica concesserunt, vt in Ciuitatibus, Castris, Villis, seu locis quibuscumque, ad habitandum, domos, & loca quæcumque, seu hactenùs recepta mutare, aut ea venditionis titulo, in alios transferre valerent: ac insuper, vt omnes, & singuli Vestri Ordinis professores, qui in eodem succensi zelo, ad ea loca cum fratribus prædictis transire voluissent, omnibus, & singulis prçmissis gratijs, & Indultis gaudere liberè possent, prout eisdem Fratribus, & eorum cuilibet coniunctim, vel diuisim, pro Fratrum prædictorum vita, tunc pro tempore indultum esset, vel concessum. Nec non fugientes à seculo, in Ordine prædicto recipere, ac omnia, & singula facere, quo ad ea, quæ dicti Ordinis concernerent professionem, & Religionem, quæ Ministri Generales, & Prouinciales, ex officio, & indultis Apostolicis facere possunt, prout in eorundem prędecessorum desuper confectis litteris latiùs enarratur.

§. 12. Quibus omnibus enumeratis, ea cuncta ad prælaudatos, & alios ibi determinatos Religiosos Viros benignè extendit, sub sequenti tamen limitatione. *Volumus autem, quòd ea, quæ ad Episcopalem Ordinem, ac dignitatem dumtaxat pertinent, vigore præsentium nullus vestrum exercere possit, nisi in Prouintijs, vbi Catholicus Antistes non fuerit. In alijs enim locis Pontificalia solùm, per Episcopos exerceri valebunt.* Ad Priuilegiorum huiusmodi vsum, & praxim, deputati sunt postmodum, tum ab ipso Francisco de Angelis, vigore facultatis delegandi ibidem expressæ, tum à Summo Pontifice Adriano VI. vt dicemus statim, sæpedictus Martinus de Valentia, & alij Minoritæ, cum ipso destinati ad Regionem Mexicanam, anno eodem 1521. ditioni Regis Catholici, per Cortesium faustè suppositam.

§. 13. Ipse namque Ferdinandus Cortesius, Clarissimus Indorum Domitor, Hispanique Imperij admirabilis Propagator, vbi Mexicanam Regionem maiori virtute, quàm potentia subiugauit, ad tanti facinoris complementum, Vnum, illudque omnium maximum deesse tam piè quàm prudenter considerabat, vt scilicet vastissimæ hæ Nationes, etiam Christi subderentur Imperio. Repetitis itaque litteris, & Nuncijs, ab Imperatore Carolo, Hispaniarum Rege anno 1522. petebat, instabat, efflagitabat, vt quamprimum Viri probi mitterentur, & docti, timentes Deum, qui Cælestia curarent, & terrena despicerent, animabus Christo lucrandis, non auro, aut argento cumulandis anhelarent, ea que fulgerent Vitæ sanctimonia, vt verè à Deo missi dicerentur, ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum. Hac etiam ratione suo, suique Principis nomini consultum iri, probè iudicabat, ne dum pro sligandæ idolatriæ, & inuehendæ fidei Christianæ titulo, arma, iuxtà Alexandri VI. concessionem, contra gentem, aliàs innocuam, mouerant, arreptis iam Regnis, & rebus, de Religione nihil ampliùs curarent.

§. 14. Hinc Rex Carolus, vti erat pius, & tam doctrinæ Catholicæ in Germania, quàm in Indijs propagandæ cupidus, hoc anno egit cum Adriano VI. post admissam Summi Pontificatus de se factam electionem, aliquandiù in Hispanijs hęrente, vt tanto operi viri mitterentur idonei, Apostolicæ Sedis auctoritate muniti, ijsque priuilegijs, & gratijs instructi, quæ in longinquis Regionibus viderentur necessaria. Dedit itaq; Adrianus litteras, quibus, & Carolo potestatem

tem

tem mittendi, & missis facultatem necessariã, quæque faciendi, concessit. In his litteris Pontifex, vt supra indicatum reliquimus, Fratres Minores, præ alijs Mendicantibus, voluit ad eam Missionem commendatos esse specialiter; & iure meritò, præditi siquidem tunc effulgebant innumeri, in Hispania, illis virtutibus, & donis, quæ desiderabat Cortesius in ablegandis Euangelicis operarijs.

§. 15. Appositis præterea in eisdem litteris Priuilegijs amplissimis, quibus hi vti valerent in illis Regionibus, ea eisdem de nouo concessit, quæ transcripsimus supra, ex indulto Leonis X. ad fauorem Fr. Francisci de Angelis emanato. Circa quæ adest in præmemoratis litteris sequens Clausula. [ Et insuper, vt melius præfata conuersio Infidelium fieri valeat, & saluti animarum omnium, in præfatis terris Indorum, pro tempore degentium prouideatur; volumus, & tenore præsentium de plenitudine potestatis concedimus; Vt præfati Prælati Fratrum, & alij, quibus ipsi de Fratribus suis, in prædictis Indijs commorantibus, duxerint committendum, in partibus, in quibus nondum fuerint Episcopatus creati, vel si fuerint, tamen infra duarum dietarum spatium, Ipsi, vel Officiales eorum inueniri minimè possint, tam quoad Fratres suos, & alios cuiuscumque Ordinis, qui ibidem fuerint ad hoc deputati opus, ac super Indos ad fidem Christi conuersos, quàm & alios Christicolas, ad dictum opus eosdem comitantes, omnimodam auctoritatem nostram, in vtroque foro habeant tantam, quantam ipsi, & per eos deputati de Fratribus suis (vt dictum est) iudicauerint opportunam, & expedientem pro conuersione dictorum Indorum, & manutentione, ac profectu ipsorum, & aliorum præfatorum in fide Catholica, & obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: & quòd præfata auctoritas extendatur etiam quoad omnes actus Episcopales exercendos, qui non requirunt Ordinem Episcopalem; donec per Sedem Apostolicam aliud fuerit ordinatum. Et quia (vt accepimus) per præfatos prædecessores nostros Romanos Pontifices aliqua Indulta concessa fuerunt Fratribus existentibus, aut ire procurantibus in dictis, & ad dictas Indiarum partes: nos omnia illa confirmando, ac (quatenùs opus est) de nouo concedendo, volumus, vt Præfati Prælati Fratrum, pro tempore existentes, & quibus ipsi de suis Fratribus duxerint concedendum, omnibus prędictis Indultis in genere, vel in specie hactenùs concessis, & in posterum concedendis, vti, potiri; & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant. Habentes omnia pro sufficienter expressis, tanquam si de verbo ad verbum insererentur. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, præsertim Sixti IV. incipiente: *Etsi Domini gregis*: ac Bulla Cœnæ Domini, cęterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Cæsaraugustæ, sub annulo Piscatoris die 10. Maij 1522. suscepti à nobis Apostolatus officij anno primo.

§. 16. Egit subinde idem Pijssimus Imperator cum Francisco de Angelis, iam ad Generalatum Minorum assumpto, vt, iuxta Adriani mentem, è suis Fratribus quosdam seligeret, qui præmissis priuilegijs suffulti, Mexicanam Ditionem Sanctæ Fidei, ac Doctrinæ pabulo nutrirent ad æternam salutem. Ipse autem Generalis, anno 1523. in Prouinciam S. Gabrielis profectus: Statuit ibi seligere viros verè Apostolicos, religiosos, zelum Dei, et animarum habentes, quos, ad repetita Imperatoris vota, destinaret ad terras Iucatan *Noua* dictas *Hispania*. Collegit itaque viros duodecim probatæ vitæ, & doctrinæ, tanto muneri idoneos, Franciscum de Soto, Martinum, & Iosephum à Corunia, Ioannem Suarez, Antonium Suarez Ciuitatensem, seu ab Vrbe Roderici, Toribium Beneuentanum, viros doctos, egregios Concionatores, & prudentes Confessarios: Garziam de Cisneros, Ludouicum de Fuensalida, Prædicatores adolescentiores; Ioannē de Riuas, & Franciscum Ximenez, merè Sacerdotes: Andręam de Corduba, & Bernardinum à Turre, Laicos, siue Conuersos, omnes fermè primitus Prouinciæ S. Iacobi, à qua, ista S. Gabrielis nuper prodierat, alumnos. His præfecit, Custodis titulo, Martinum de *Valentia Ioannis*, Oppido tractus Campensis, in Castella, propè Legionis Vrbem, in Conuentu Maioricensi,

vulgo

vulgo *Mayorga*, vsque nunc Prouinciæ S. Iacobi, habitu Seraphico indutum, ac ritè professum: Domosque Regulares, Mexicanam Regionem, & totam nouam Hispaniam terræ firmæ, siue iam erectas, siuè in posterum ædificandas, Custodiam iussit vocari S. Euangelij.

§. 17. Ad illas autem partes Iucatanas, quas Hispani explorauerant, & in quibus sedes, & si non firmas, posuerant, transierant statim Fratres ex Prouincia S. Crucis (quæ ex Insula Hispaniolæ, alijsque Insulis conflabatur) & ex Hispania alij, licet pauci, adnauigarant. Quot quot illi erant, subiectos voluit Quinnonius Martino, Custodi, vtque vitæ, & conuersationis normam ab illo acciperent, sin aliter, vt absque mora redirent, vel ad Prouinciam S. Crucis, siue ad partes, ex quibus erant profecti, excepto, inquit, P. Fr. Ioanne de Tecto, eiusque duobus socijs, quos enuntiat antea ad Indias profectos. Misit etiam antedelectos hos Apostolicos viros, Commissarios, Franciscum de Soto, & Ioannem Suarez, ex Prouincia S. Iacobi, qui visitarent Prouinciam prædictam S. Crucis, & partes illas Iucatanæ, in quibus Fratres residebant, & regressi, referrent in Comitijs Generalibus, proximè celebrandis, statum rerum, qualitates gentium, necessitates operariorum, fructusque vberioris sperandi fundamentum.

§. 18. Martinus Valentinus à Ministro Generali Quinnonio cum duodecim socijs Missioni Indicæ, vti diximus, deputatus, statim se itineri accinxerat; & vale dicto suæ Prouinciæ Patribus, in Conuentu Belli-Visus; rectà perrexit Hispalim via, vbi omnes sub initium Decēbris conuenerunt, excepto Iosepho Corunensi, ad Cæsarem destinato, vt cum eo, circà rem tanti momenti, præsens conferret, & opportuna Principis mandata ad Ministros Indiarum impetraret. Protracta mora in Vrbe Hispalensi, è Comitatu resilijt Fr. Bernardinus à Turre, Laicus, timens fortassis longissimæ nauigationis incommoda, vel etiam corpore dolens, siue spiritu tepescens, in suam redijt Prouinciam. Eius loco suffectus est Ioannes de Palos, Prouinciæ Bæticæ, vir simplex, purus, & timens Deum, qui & locum meruit duodecimum possidere.

Quàm verum illud est; quod *ex duobus molentibus in mola, vnus assumetur, & alter relinquetur*.

§. 19. Die porrò 25. Ianuarij huius anni, à conuersione S. Pauli memoranda, hi Apostolici Viri, conuersioni multarum gentium destinati, in portu S. Lucaris Barramedæ soluerunt, & ad Gomerę Insulam, ex Fortunatis vnam, peruenerunt pridie nonas Februarij, & 5. nonas Martij ad eam, quæ S. Ioannis de Portu locuplete nuncupatur; atque inde nauigantes, feria 4. maioris hebdomadæ Hispaniolam tenuerunt; mox Aprilis vltimo illam Cubanæ Insulæ partem, quę *Trinitatis* appellatur; & demum pridie Idus Maij in Vigilia Spiritus Sancti, cuius afflatu, hoc opus purgandarum mentium perficiendum erat, Portum apprehenderunt S. Ioannis de Vlua, nouæ Hispaniæ stationem fidissimam, à Mexicano Emporio leucis sexaginta distantem.

§. 20. Quamprimum Cortesius Prætor, illos appulisse percepit, misit, qui suo nomine aduentus gratularentur, & per infidas adhuc gentes, illos securè deducerent ad potissimam trituræ aream, ex qua triticum mundum Christi horreis erat inuehendū. Ex pręcursoribus vnus Ioannes de Villa-Gomez, primus occurrit, primusque horum Patrum pia facinora obseruauit, & scripsit, à quo ad nostros peruenerunt. Narrat, Cortesium Regulos omnes, potissimosque viros Mexicani circuitus conuocasse, vt his stipatus, obuiam procederet Dei Ministris, tanquam ab eo missis, vt illuminarent sedentes in tenebris, & in vmbra mortis. At illi transeuntes per Tlascallam, Vrbem magnam, & populosam, in frequentissimis Nundinis viderunt tantam hominum multitudinem, quantam nunquam conspexerant vno loco congregatam; & gratias Deo habentes, quod abundantissimam eis præparauerit messem, in foro signis, & nutibus, quod voce non poterant, cœperunt Dei Maiestatem in Cælis præfigurare, atque inde bonum omne descendere, & mox idola detestari, in ea passim conspuere, & inania dæmonum esse simulacra constanter asserere. Admirati Barbari tantā rerū nouitatē, incultū Vitæ genus, vestē segmentitiā, facies macilentas, pedū nuditatem; pars ridere, & pars flere, & mi-

miserere cœpit, & attentè considerare, quæ faciebant. Sępe repetebant plurimi hanc suæ linguæ voculam: *Motolinia*; cuius interpretationem, dum à quodam Hispano accepit Turibius Beneuentanus, & non nisi, *pauperculum*, significare, exultans dixit: Hoc quidem mihi erit deinceps inter Indos cognomen: id sciant, summoperè cupio, nos Christi *pauperculos* esse, neque quidquam bonorum ipsorum appetere, solas animas in prætio habere; cætera contemptui. Ita quidem factum est, vt in posterum Turibius *Motolinia*, ab omnibus nuncuparetur.

§. 21. Appropinquantes Vrbi, Cruces manibus gerentes, magno excepit Hispanorum, & Indorum Comitatu Cortesius, stratoque pallio sub pedibus Martini Præfecti, omnium manus, flexis genibus osculatus, ab omnibus voluit benedici. Prętorem æmulati, id ipsum fecerunt proceres Hispani, & militum Tribuni, neque permiserunt, vt quicquam obsequij, aut humiliationis Fratres rependerent, monentes, vt, ad maiorem conciliandam Indorum reuerentiam, starent in gradu suo, & omnem illam sibi exhiberi venerationem, patienter permitterent. Pium hunc occursum, prudentemque Christiani Principis actionem, scriptis commendauit Raphael à Trexo, vir nobilis, & præclarus, multarum Regionum Conquisitor, qui tunc adfuit; eamque in plerisque locis publicis Mexicani Imperij, graphicè depictam, licet adhùc intueri. Conuersus autem ad Indos Cortesius: En, inquit, homines à Deo missos, quos nos reuerenter colimus, & qui nobis imperat, Hispaniarum Monarcha, piè veneratur. Hi salutis animarum sitibundi, neque aurum appetunt, neque pecuniam quærunt; cælestia assiduè meditantur, terrena prorsus despiciunt. Veniunt Deum verum vobis annunciaturi, & falsos profligaturi. Vos, non vestra quærunt: pro vestra salute tot maria, terrasque emensi impenderunt, & super impendēt se pro omnibus vobis. Religio, & pietas Christiana vrget eos, vt à crudelis Dæmonis seruitute, ad perfectam Christi vos transferant libertatem; ac pro cruenta, & ferali hominum carnificina, Sacrificium proponant mundum, Agni immaculati. Hos itaque vobis damus fidei magistros, natorum vestrorum pædagogos, patrię tutelares, nostræ erga vos beneuolentiæ fideiussores, fidosque apud Potentissimum nostrum Imperatorē Caduceatores, apud illum magna pollent authoritate, & apud Deum plurimum valet assidua illorum deprecatio.

§. 22. His dictis, Religiosos hospites magna reuerentia, & comitiua in Regiam duxit, summoque habuit honore, præsertim in publicis locis, & Indorum conspectu. Poplite flexo, capite detecto, semper eis loquebatur, in principio, & in fine colloquij osculata veste Religiosa, Magnam ingenerarunt hæc Barbaris Sacrorum hominum Venerationem, quos supra omnes videbant à Prętore honorari; fidemque auxit rerum omnium contemptus, paupercula vestis, oris modestia, sermonis mansuetudo, ciborum parcimonia, Psalmorum grauis concentus, & assidua Numinis veneratio. Confluebant vndique auidè, turmatimque visuri homines, veluti è Cęlo delapsos, quibus Potentissimi rerum Domini, & fortissimi Indorum domitores se committebant. Interim pij viri prædæ impatienter inhiantes, ægerrimè ferebant dies inaniter elabi, qua lingua, quibusue modis rudes gentes edocere possent nescientes. Inito sæpiùs cum Prætore consilio, statuerunt Cacicos populorum Præfectos, gentisque Primates ad cætum conuocare; sui aduentus, adhibito interprete, causam exponere, eamque solam esse, omnium salutem. Hanc verò magno assequendam compendio, si à pueris sumatur exordium, quibus faciliùs Fidei instillantur rudimenta, tenaciùs inhærent, & germina producunt vberiora. Eam proinde sibi inditam mentem, plures efformare stationes, scholas frequentes aperire, pueros instruere, & cum illis puerascere, donec in Christicolas abeant perfectos, qui alijs, quam acceperant, infundere possent doctrinam. Filios itaq; vt per singulas mittant familias, ad loca tyrocinijs designanda, si animabus, si rebus, si vitæ velint consultum Patres, docent ac, & adolescentiores se minimè neglecturos, sed omnium pro viribus curam acturos, vt omnes Christo lucrifacerent obtulerunt,

§. 23. Diebus transactis quindecim, in præparatione Euangelij, aduocatis alijs

alijs quinque Minoritis, Belgis tribus à nobis infra laudandis, qui in Vrbe Tetzucensi idioma apprehendebant, & pueros pro modulo docebant, binisque alijs, qui ex Hispaniola, cum Classiarijs transfretarant, Martinus omnium Præfectus comitiali more leges tulit, facienda præscripsit, regiminis modum instituit, ex quo quis loco huic operi incumberet, designauit. Et si verò à Generali Ministro Quinnonio fuerit omnibus in ea Regione degentibus Prælatus, attamen Religiosa humilitate subesse malens, liberam fecit potestatem alterum præficiendi, vehementer rogans, vt laboris socium admitterent, non tenelli, & quidem electi, gregis Primicerium inclamarent. Illi porrò à Quinnonio decretis inhærentes, & viri virtutem ponderantes, concordi voce voluerunt Superiorem; in funiculo deinde distributionis se diuiserunt per Vrbes propinquas.

§. 24. Martino cum quatuor Socijs commissa moles præcipua Vrbis Mexicanæ, alij totidem abierunt Tlaxcalam, quatuor Tetzucum, reliqui Huexotzincum, Ciuitates maximas, populi feracissimas, in Circuitu Mexicano præcipuas, Mexicano Præsuli incumbebat cura Vallis Tolucanæ, Regni Mechuacani, Quauhtitlani, Tullæ, & Xilotepeci, cum montanis alijs, & minoribus (nunc Patrum Augustinianorum curæ subiectis) vsque ad Meztitlanum. Tetzucano Prouinciæ Otumbæ, Tepepulci, Tullantzinci, cum reliquis, quæ ab illa parte vergunt ad Mare Aquilonare. Tlaxcallensi commissa sunt Zacatlanum, & omnia illius partis montana, vsque ad mare, & Prouincia Xalapæ, & Cempoalæ, per quam primitus ingressi sunt Hispani, cum omnibus Populis, & Prouincijs vsque ad fluuium Aluaradi. Huexotzincano Vrbs magna Cholulæ, altera Tepeacæ, Tecamachalcum, & vniuersa Mixteca superior, & inferior: & Quauhquecola, & Chietla, quæ vergunt ex illa parte ad meridiem. Aduenientibus alijs quatuor, vti dicemus paulò inferiùs, destinatum est Oppidum frequentissimum Cornu Vaccæ, caput, seu emporium Marchionatus de Valle, cuius visitationi, & doctrinæ suberant Prouinciæ de Ocuila Malinalci, & tota illa calida Regio, quæ ad meridiem vergit, vsque ad Mare Australe, quæ amplissimas terras, & diuersæ loquelæ varias Nationes compræhendit.

§. 25. Positis vt cumque sibi sedibus, domos addiderunt amplissimas, in quibus per aulas capacissimas lectulos strauerunt, adhibitis per latera Officinis necessarijs, erectis in capite Altaribus, & pietatis incentiuis, pictis Christi, Mariæ, Sanctorum Apostolorum imaginibus, & Dominicæ Passionis mysterijs. His seminarijs intulerunt optimi quique suos filios; sed multi inuiti, Prætoris timentes indignationem, & multi quidem fraudulenter, pro natis, seruulorum filios submittebant. At decepti sunt in iniquitate sua, dum hi artes quasque bonas à Fratribus discebant, per quas ad præcipua Reipublicæ munia postea peruenerunt, Dominorum filijs antelati. Puerorum numerus erat immensus, aliquando sexcentis, aliquando octingentis, sæpè mille per hæc seminaria congregatis. Disciplina, & instructionis cura erat perquam exacta, adhibitis per classes, & aulas, secundum puerorum numerum, & aulæ amplitudinem, viris grandæuis, qui in Officio continerent, & necessaria quęque, à parentibus ministrata porrigerent; præsidente semper, & accuratè inuigilante vno ex Minoritis. Alternatis vicibus hi legere, scribere, cantare docebant, difficulter quidem in initio, donec ex assidua exercitatione, & intelligi cœperunt, & intelligere, facti puerorum Discipuli, & Pręceptores.

DI-

# DISTINCTIO V.

*Fratres Minores munus prædicandi; ad quod ex Professione sui Ordinis sunt Deputati, impensiùs adimplere studuerunt, dùm ampliores Prouincias imbuendas, eis obtulit Potens Excelsi Dextera.*

§. I.

CAROLVS V. Imperator, percipiens, magnam fieri Regnorum accessionem ad suam Coronam Castellæ: In Indijs Occidentalibus, quibusdam Nationibus spontè se committentibus illius Imperio, alijs bello subactis, multiplicandos duxit Euangelicæ Doctrinæ ministros, qui commendatos sibi populos, iuxta Sedis Apostolicæ præscriptum, fide imbuerent Christiana. Scripsit itaq; ad Quinnonium Ministrum Generalem, vt nuper à se missis numerosissimæ gentis Magistris, alios submitteret; erat enim Messis multa, & operarij pauci, & proinde multiplicandos censebat, ne aliquando vitio verteretur, quòd in populis suæ ditioni subiectis, paruuli petierint panem, & non erat, qui frangeret eis. Quinnonius autem protinus amandauit quatuor probos Viros, & doctos, ex eadem Prouincia S. Gabrielis, ex qua paulò ante tredecim Apostolicos illos operarios præmiserat; videlicet Antonium Maldonatum, Antonium Ortizium, Alphonsum de Herrera, & Didacum de Almonte, quos instructos & educatos in Alma Prouincia S. Iacobi, suos fecerat, in nuperrima separatione, illa Sancti Gabrielis; quique fælici cursu infra paucos Menses, Mexicum peruenerunt, suamque operam, & auxilium prioribus addiderunt.

§. 2. Cæterum, tam ij, quàm præcedentes statim perceperunt, quòd, & si Gentilium Conuersio instaret, non minùs laborandum erat in pacificandis Christianis, & cohibendis à Cæde, & bellis Ciuilibus, ipsis Hispanis. Quos etenim Ferdinandus Cortesius præfecit Mexicanæ Vrbis regimini; dum ipse ad *Hibueras* quas nunc *Honduras* appellant, proficisceretur, æstræ nis inuasit dominandi libido; sed præualuerunt, qui Cortesium è gradu deijcere conspirabant, & qui partes eius substinebant, partim occisi, partim fuga elapsi, ad Fratrum domicilia substiterunt. Aduersæ factionis capita, Sacra violantes refugia, illinc extractos, è medio tollere statuebant, nisi Martinus, qua pollebat Pontificis authoritate, Sacris, igne, aqua, interdixisset, & extractos, Sacro restitui curasset asylo. Multis etiam modis digladiantium furores restrinxit, vsus insuper Generalis Inquisitoris potestate, in puniendis illis, qui Christiano nomine censebantur, & contra fidem peccabant Christianam. Eius fidei, & prudentiæ in tanta rerum commotione, Vrbis salus, & seruata Regi Catholico Prouincia, debetur. Habuit etiam secum Cortesius alium Minoritam, de quo aliàs diximus. Virum optimum; Ioannem de Tecto, qui in hac expeditione non dubitauit pro Deo animam ponere, anno 1525. in itinere, sola inedia defunctus. Tertius huius Instituti vir, partes eius viriliter in Mexico substinuit Petrus Altamiranus, ipsius Patruelis, qui longum, & periculosum iter emensus, ad longinquam, in qua longiorem secessum Cortesius meditabatur regionem profectus, periculi perdendæ Vrbis, & potestatis admonuit, atque posthabitis omnibus, reditum acceleraret, persuasit. Quartus pro eo efficaciter apud Imperatorem hoc ipso tempore, in Hispania exorauit Petrus Melgaresius, cui concredita sunt adaucti honoris, & stabilitæ potestatis, instrumenta, ad Cortesium deferenda. Sed & ipsi Petro ob

præ-

præstita Regi fidelia ministeria, collati sunt tituli honorarij Concionatoris Cæsarij, & Consiliarij Indiarum.

§. 2. Aliorum etiam Franciscanorum, qui in Comitatu erant Cortesij, quando ad Hibueras profectus est, occurrit memoria, eorum scilicet, qui Idolorum Sacerdotibus prædicarunt in Gauitlatano, præsente Cortesio, & duorum ab eo missorum, cum Nauarcho Ioanne de Aualos, & Hispanis sexaginta, qui naufragio periêre ad Promontorium S. Antonij, Insulæ Cubanæ. Obijt sub hoc tempus Ioannes de Aora, supradicti Ioannis de Tecto Socius, Venerandus Senex & Canus Sacerdos, qui omnem posuit operam in docendis pueris in Ciuitate Tetzucensi, in domo cuiusdam nobilis viri, in qua decessit, & sepultus est in Sacello, seu Oratorio, quod Fratres in ijsdem ædibus habebant Sacris peragendis. Translatus est post aliquot annos ad Conuentum S. Antonij de Padua, ea in Vrbe constructum, Guardiano Turibio Beneuentano, Prouinciæ Sancti Iacobi, qui translationem fieri curauit.

§. 3. In Vrbe Mexicana, eodem anno, Ferdinandus Cortesius propè suas ædes, quæ pridem erant Imperatoris Mõtecuzumæ templum, domumque fabricari curauit Franciscanis, certatim suas opes, & operas conferentibus Vrbanis, & Rusticanis, qui Prætoris exemplo, Religiosorumque virtute allecti, breui tempore opus consumarunt. Primum hoc fuit Christianorum templum in noua Hispania, ibique primam accepit Sedem Sanctissimum Christi Corpus, digno conditum Sacrario, auro, gemmisque pretioso. Res mira! ad Dei veri conspectum, realemque præsentiam, inanium Deorum simulachra protinùs obmutuerunt, & spectra euanuerunt: quod etiam per alias contigit Ciuitates, in quibus primi doctrinæ Christianæ magistri, sua constituerunt domicilia. Istud autem Mexicanum sub inuocatione S. Francisci constitutum, magnificum habuit Sacellum Testudineum, quod suis insignibus, & sepulchro, decorauit Cortesius. Ab ingressu Sacelli longo tempore abstinuerunt Indi, decipulam sibi præparatam suspicantes; primum enim illud structuræ genus apud eos visum est, mirabanturque qualiter tanta lapidum, & Calcis moles in aere suspensa maneret, ac proindè timebant, se illic comprimendos, si turmatim, aut numerosè sub testudine coirent. Post aliquot annos redacta ad hanc Vrbis partem, vniuersa fermè Hispanorum gente, stabilita illic Curia, & strepitu Forensi, Sedem mutarunt Fratres ad aliam Indorum Regionem, vt erudiendis, baptizandis, & in fide stabiliendis opportuniùs adessent, & familiariùs cohabitantes faciliùs moribus, & Ritibus imbuerent Christianis.

§. 4. Eiusdem muneris conuersionis Animarũ idonei Ministri, missi sunt anno 1526. Patres Dominicani ex Hispania duodecim, Præfecto Dominico de Betanzos, Viro æquè pio, & prudenti: atque apud Franciscanorum ædes in Vrbe Mexicana, post varios casus, immensique itineris discrimina, fraterna charitate Patres Dominicani recepti, mensibus tribus constiterunt, donec propriam domum acceperunt. Apud eosdem Franciscanos tunc etiam Ferdinandus Cortesius, noui illius Orbis domitor, reuersus à molesta, & periculosa expeditione Prouinciæ Hybueranæ habitabat, ibique nouos instituit Mexicani Imperij administros, vbi etiam conuenerunt Cortesius, & Ludouicus Pontius, in quem postridie Cortesius Imperium transtulit, ita iubente Carolo V. qui Lodouicum instituit, misitque disquisitorem, & Iudicem, vt res Mexicanas firmiùs stabiliret, & contra Cortesij regimen indignè obiecta discuteret. Nihil fermè tunc ponderosum, magnique momenti fiebat, quod apud Franciscanos, & coram Martino Valentino, illorum Præfecto, Apostolico Vicario, omniumque veluti Parenti, & Patrono, non terminaretur. Accesserunt hoc anno eiusdem Instituti, Viri sex, in subsidium missi, Præside Fr. Ioanne à Cruce, viro docto, & Religioso. Inter hos magno fuit adiutorio rebus Indicis, meliùs habendis Ioannes Suarez, Prouinciæ S. Iacobi, & Guardianus Guaxalzingi, siue Guaxocingi (pagus est longè amænissimus, fecundissimus, & populatissimus nouæ Hispaniæ Prouinciæ, siue districtus Tlascalensis, ad radicem Montis Popocatepeci, cuius vertex ad Aethnæ similitudinem, iugiter fumat) 

qui Carolo, & Consilio Supremo Indico, in quo statu illæ versarentur, integrè, & sincerè exposuit, & quibusdam malè constitutis remedium adhiberi, Indos à graui seruitute liberari, atque adolescentes nobiles Indos, quos in Hispaniam duxit, & incolumes reduxit, benè haberi, pretiosis indui vestibus, & honoribus foueri, prudenter obtinuit. Atque ipsi data à Carolo pecuniarum subsidia copiosa, quibus suo Cœnobio paramenta Ecclesiastica, & cultui Diuino necessaria compararet. Secundum hunc inuenio Minoritarum Conuentum in noua Hispania, à Gonzaga tamen in Prouincia S. Euangelij, quæ Regionem illam complectitur, vel penitùs omissum, vel extra ordinem, aut sub alio nomine recensitum.

§. 5. Præter hæc, à Carolo Rege constitutum fuit, vt Classes omnes Indicæ, nouas terras exploraturæ, Religiosos adueherent vitę, & doctrinæ à suis Superioribus probatæ, qui Christianam Fidem in nouis plantarent Colonijs: fauorabile summoperè Fratribus S. Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorum, quorum nonnulli ab expeditionis Indicæ primordijs transfretarunt, & hoc anno duodecim restitutæ disciplinæ, siue Obseruantiæ, sub conductu Francisci de Bouadilla, ex Comitijs Generalibus Burgensibus, sumptibus à Carolo concessis transmissi, data potestate, vt quotquot laxioris vitę ad illas Regiones præseferrent, in Ordinem redigerentur. Vt verò Insularum Indicarum indigenæ in libertatem restituerentur, ad Ciuile conuictum, artiumque Ciuicarum disciplinam, fidemque Christianam faciliùs, & commodiùs attraherentur, iniunctum est Prædicatoribus, & Minoritis, vt solertèr inuigilarent, eosque legum à se circa ista latarū, constituit exequutores Imperator. Quæ autem ad Incolas Insularum Hispaniolæ, & Ferdinandę spectabant, fidei, & prudentię commisit Fr. Petri Mexiæ de Trillo, Ministri Franciscanorum Prouinciæ, vti aliàs diximus, Sanctæ Crucis, ex Insulis compactæ. Mox circa plurima, quę concernebant horum regimen, & securitatem Insulæ Ferdinandæ, vbi frequentes Indorum tumultus, res non erant adeò tutæ, ad eumdem Prouincialem, & Gondisaluum de Guzman, Insulæ Gubernatorem, varię datæ sunt instructiones, eorum arbitrio rebus integrè commissis.

§. 6. In illa verò Occidentalis Indiæ Prouincia, quam primò *Hibueras* à pulcherrimarum cucurbitarum copia, mox *Honduras* ab altitudine maris, iuxta præcipuum Prouinciæ Promontorium, Hispani, priori obsoleto nomine, appellarunt; anno 1527. Didacus Lopez de Salzedo Præfecturam beneficio Caroli Imperatoris accepit, secumque duxit Minoritam vnum, ex Insula Hispaniolæ. Sed vbi indigenas ad fidem Christianam, adduci posse speraret, scripsit ad prædictę Insulæ Magistratum, vt plures submitterentur operarij, quorum industria docerentur populi, & Cœnobium iam inchoatum, in Oppido Truxilli, necessario numero instrueretur, ac perfecta consurgeret structura. Rogauit insuper, vt consulerentur viri docti circa controuersiam, ea in Prouincia agitatam, an statim intingi deberent Indi, qui auidè, & coaceruatim Baptismum expetebant? an differendum lauacrum, donec fidei perciperent rudimenta? Missi protinus sex Fratres cum Ecclesiasticis paramentis: dubioque nimis facilè responsum est, præmitti omninò debere doctrinam necessariam, vbi necessitas populi, feruor, & multitudo, vel Cathechizantium paucitas, aliter faciendum non suaderet. Erant aliquanto flexibiliores huius Prouinciæ populi, & Mexicanis persimiles. Prcter Deos inferiores, aut Idola minora, tria maiora, & præcipua venerabantur, destinato vnicuique per aliquot interualla à prædicto Oppido, capacissimo Templo, ad quod statutis anni temporibus accedebant, & impia parentum, ac liberorum offerebant Sacrificia. Præerat singulis fanis venerando habitu, promissaque barba, qui victimas immolabat, & idolorum promebat Oracula, ac *Papa* nomine audiebat (adeò sacris nostris inuidet, & illudit Satan) cuius summa erat in Populo veneratio. Contritis tamen per Euangelicos ministros Idolis, & destructis templis, Sacrificuli agnita imbecillitate inanium Deorum, qui se comminuentibus resistere non poterant, fidei subscripserunt Christianæ.

§. 7. Crescente itaque quotidiè in

illis

illis partibus Hispanorum Dominio, etiã Regiones factæ sunt albę ad Messem. Disponēte itaque Domino messis, missi sunt præfato anno plures Operarij, qui triticum congregarent in horrea; amandati etenim in nouam Hispaniam, siue in partes Mexicanas, & oras maris Australis, Dominicani quadraginta, & Franciscani totidem, Præside horum Antonio Ciuitatensi, siue ab Vrbe Roderici, Prouinciæ S. Iacobi, quibus Carolus Rex indumenta Sacerdotalia, & Cultui diuino necessaria largitus est, magnamque pecuniæ summam dari pręcepit, vbi peruenirent, vt domos constaurarent, rebusque instruerent necessarijs. Hoc itidem anno missi cum Francisco de Montejo ad peninsulam Yucatanæ alij Franciscani; qui post quam ille Prouinciam penitùs, & ex instituto lustrauerat, indigenis magno rei Christianæ incremento, fidem prædicauerunt, & temporis tractu insigne Cænobium in Vrbe Vallisoleti, seù *Valladolid*, quæ illis præfecturæ, seu Prouinciæ secunda reputatur, ædificarunt. Religiosis curam amandauit Carolus, vt inuigilarent, ne quid faceret Montejus contra Dei, aut à se tradita mandata; vt Hispanos, Prouinciarumque à se institutos præfectos, intra suos limites cohiberent, neque fines alienos inuaderent, aut tyrannicè, vel inhumanè cum Indis agerent, sed officiosè, & humanitèr ad fidem, & Regis attraherent obsequium. Idipsum commendatum est designato Episcopo Franciscano, & Fratribus quatuor, qui cum Pamphilo de Naruaez, hoc etiam anno transfretarunt, ad Palmarum fluuium, siue *Rio de las Palmas*, & ad Floridę Prouincias, quarum præfectura, amplissimo diplomate, Pamphilum Carolus donauit. Tandem cum vbique nouæ fierent expeditiones in Indijs Occidentalibus, & Hispani alias, aliasque terras detegerent, & subigerent, quibus erudiendis copiosus ministrorum numerus erat necessarius, Carolus Imperator per litteras egit cum Superioribus Generalibus Prædicatorum, & Minorum, vt permitterent Vniuersis suis subditis, qui Euangelico huic muneri se dicare vellent, liberè transfretare; cui illi libenter assenserunt.

§. 8. Multiplicatis ergo Prouincijs Christianorum in India tota Occidentali, & in dies crescente multitudine credentium, Carolus Imperator rogatus à Prouinciarum Præfectis, & à suis Consiliarijs persuasus, nominauit pro Episcopatu erigendo in Vrbe Mexicana Fr. Ioannem de Zumarraga, Durangi Oppido tractus Cantabrisii progenitum, Virum optimum, pium, doctum, & prudentem, olim præcipuis muneribus, & Ministeriatu suæ Prouinciæ Conceptionis, necnon Inquisitoris officio per vniuersam Cantabriam perfunctum; tunc Guardianum Religiosissimi Conuentus Tribuli, *del Abrojo*, vbi Imperatori per hebdomadæ maioris ferias animam procuranti, eius virtutes innotuerant. Pro Episcopatu Sanctæ Mariæ Dariensi Fr Martinum de Bejar; Pro Episcopatu vastissimæ Prouinciæ Floridæ, Fr Ioannem Suarez: quos statim hoc anno, vel sub initium sequentis, ad commissas sibi Prouincias amandauit, vt malis, & discordijs, quæ vigebant inter Prouinciarum Præfectos, & grauissimis Indorum pressuris mederentur. Patronum, & Protectorem Indorum instituit Zumarragam, quos ille summa pietate fouit, & paterna charitate protexit, modò precibus, modò comminationibus, demum censuris, & supplicijs retrahens, & comprimens Hispanos ab inferendis misellæ genti tantis iniurijs.

§. 9. Postmodum ineunte anno 1528. statuit Vicarius Generalis Calcena, vt ex Prouincia Conceptionis, quæ Fratribus abundabat; mitterentur aliquot ad Prouinciam S. Crucis in Indijs Occidentalibus, Operarijs indigentem; Vnumque constituit eorundem Præfectum, & Prouinciæ Commissarium Visitatorem, concessa facultate, vt in Ministrum eligeretur, si regimini videretur idoneus; eique auctoritatem impertijt, vt ex suis subditis quosdam mitteret ad Custodiam S. Euangelij nouæ Hispaniæ, aliosque Missionibus ineptos, ad proprias remitteret Prouincias. Amplam denique dedit facultatem omnium Prouinciarum Fratribus transfretandi in nouam Hispaniam, dummodò à suis Ministris idonei haberentur, prohibito tamen regressu ante sexennium. Demùm Visitatorem Generalem omnium Fratrum, tam in Insulis, quam in Continenti commoratium, misit

misit Ioannem de Toledo, Virum nobilem, & prudentem, qui probè discuteret, in quo statu Fratrum Missiones, & gentium conuersiones versarentur. Hic vbi ad Hispaniolam peruenit, protinùs sedauit quasdam controuersias inter Minores, & Prædicatores, circa Theologica dogmata exortas, magnum reputans fidei propagandæ detrimentum, vt Religionis Doctores, circa docenda, dessiderent. In illis autem partibus erant magna suffulti authoritate, & quoad protectionem Indorum, & Prouinciarum partitiones, Fr. Petrus Mexia de Trillo Minister Prouinciæ S. Crucis, & Fr. Ioannes Suarez designatus Episcopus, & Commissarius Floridæ, amplissimæ Prouinciæ, nec non Guardianus Minorum, & Prior Prædicatorum Vrbis Mexicanæ, circa stabiliendum ea in Vrbe Regium Senatum, & Vrbium Magistratum.

§. 10. Res Indicæ multo meliùs innotuerunt Carolo V. Hispaniarum Regi, anno 1529. postquam à Ferdinando Cortesio, quæ ad Mexicanas Prouincias, & à Francisco Pizarro, quæ ad Peruanam attinebant, palàm, & distinctè scripto, & verbo perceperat. Venerunt illi, in Hispaniam, vt, abstersis æmulorum calumnijs, tot laborum, & propagati Imperij præmium acciperent, nouisque Sancitis legibus, tollerentur Gentilium scandala, & iniuriæ, ac restringendæ Hispanorum auaritiæ, & dominandi libidini, modus aliquis præscriberetur.

§. 11. Multa quidem tunc grauiter constituta sunt, accedente Episcoporum, præsertim electi Mexicani, & Religiosorum omnium relatione, magnis illis Ducibus, tot terrarum exploratoribus fauorabili, ipsorumque verbis conformi. Vices rependit Cortesius, laudato summopere Mexicano Antistite, à probitate Vitæ, à prudenti regimine, ab animarum zelo, à summa erga Cęsarem fide, & promouendi Imperij desiderio. Laudauit insuper Franciscanos, quos primus accepit propagandę fidei administros: quas passi essent ærumnas, labores, & contradictiones in conuersionum exordijs, quanta constantia omnia superarint, quo Religionis incremento tot Idola destruxerint, & Deum Verum per Vastissimas Prouincias, cæcutientibus populis, annunciauerint, fideliter exposuit. Eius demùm persuasione, denuò commendata est Indorum protectio, & obseruantia multarum legum, tunc latarum, circa regimen, & doctrinam illarum Prouinciarum, Præsuli Mexicano, alijs item Episcopis, & Prædicatorum, ac Minorum Prælatis. Iussum insuper, vt in Ciuitate Mexicana Monasterium construeretur Clarissarum, sicuti factum erat in Texcuci, & Guaxocingi Vrbibus, in quibus educari possent filię tum Hispanorum, tum Gentilium conuersorum. Et quidem Salmanticæ è Religiosissimo Cænobio Sanctæ Claræ, Prouinciæ S. Iacobi (vt huius Sancti Apostoli Patrocinio, & præsidio suam pariter, quoad sexum fæmineum, nouus Orbis deberet illuminationem, & Doctrinam) missæ sunt selectæ Clarissæ, & Tertiariæ, quas appellant *Beatas*, vt illę Moniales, hæ puellas erudirent. Vxor Cortesij (hoc anno Marchionatu Vallis de Guaxaca, alijsque honoribus à Cæsare condecorati, in Indiam reuertentis cum decore) Ioanna de Zunica, Comitis Aguilaris soror, omnes Mexicum in suo duxit comitatu.

§. 12. Franciscum Pizzarrum multis etiam Cęsar cumulauit beneficijs, magna concepta spe dilatandi sui Imperij in Peruana Prouincia; per quam, vt fides pariter propagaretur, dedit itineris socios Pręd icatores, & Minores, ex quorum sodalitijs, & alijs quamprimum submitterentur, admonuit Primicerios. Magna hic pręparabatur messis virisque; in qua illi quidem, se probarunt operarios inconfusibiles, rectè verba vitæ tractantes.

§. 13. Clarissæ superiùs memoratę, vnâ cum Vxore Cortesij, & quibusdam Tertiarijs Sanctorum Francisci, & Augustini, Mexicum anno 1530. peruenerunt incolumes, statimque instituì cæperunt vtriusque generis domicilia. Mexici inchoatum est hoc anno Monasteriũ Clarissarum, quod infra paucos annos multis creuit Virginibus, tum Indis, tum Hispanis, completa nobili structura, partim Regijs sumptibus, partim dotibus aduentantium. Ibidem etiam alijsque in locis erecta sunt Collegia puellarum Zuchimilci, Tetzcuci, Quauthtitlani, Tlalmanalci, Tepeacæ, & Tecuacanæ, vbi

vbi sub cura, & protectione Fratrum modò quadringentæ, modò quingentæ, modò plures, modò pauciores iuxta Vrbis, vel oppidi qualitatem, & temporum rationes, educabantur, sub matronarum, seu Beatarum disciplina.

§. 14. Secundum annorum differentias distinguebantur per classes; In prima docebantur Cruce signari, Dominicam Orationem, & Angelicam Salutationem recitare; in secunda, Symbolum Apostolorum, & Antiphonam, *Salue Regina*; in tertia, præcepta Decalogi, & Fidei Articulos; in quarta, Ecclesię Mandata, septem Sacramenta; in quinta, reliqua, quæ ad perfectam spectant cathechesim. Succedebant prioribus posteriores, pro doctrinæ captu, classe mutata. Deinde instruebantur nobiliores in librorum lectione, præsertim Hispanæ; tum omnes in opere manuali, & muliebri ministerio; adhibitis instrumentis necessariis: Omnes, vel nere, vel suere linum, lanam, vel gossypium in filum ducere, texere, acu pingere, lintea sacra purificare, Sacrificio adaptare discebant. Statutis horis, & diebus prodibant in atria magna, quibus in hoc munus collegia vtebantur, reliquas Vrbis, vel Oppidi puellas edocturæ, & cum illis Litanias B. Virginis, aliasque Orationes cantaturæ. Rarò extra limen ostij, huiusque atrij contigui circuitum, pedem efferebant; nunquam verò nisi pręscripto numero, & sub Custodia alicuius, vel plurium ex Matronis. Prouectiores conueniebant in Odæum, Officium paruum B. Mariæ Virginis, tribus interuallis, altiori, & sonora voce dicturæ. Hac instructæ disciplina, sui iuris effectæ, alias edocebant; vel viris copulatæ, istud vitæ genus in suis domibus obseruabant, itaut singulę disciplinæ fierent Magistræ, priuataque ædes converterentur in Collegia. Pleraque ex his rara effulserunt pietate, Deo consecrantes Virginitatem, charitatis operibus perpetuò addictæ, alię deuotas Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenti, B. Virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum instituerunt Confraternitates, peculiaribus operibus misericordiæ destinatas. Ità sub cura, & solicitudine Religiosorum primùm exculta est illa senticosa Vinea, & ex sterili reddita fęcundissima, per hæc tenella genimina sexus vtriusque.

§. 15. Postquam, ante aliquot annos Franciscus Pizarrus, & Didacus de Almagro incredibili animorum pertinacia, & laborum tolerantia, Peruuianas oras lustrauerant, multisque in Locis Hispanorum stationes posuerant, venit Pizarrus in Hispaniam, Carolo Regi quæ gesta erant, dicturus, Regionem auri, argentique fodinis, margaritis, rebusque optimis abundantem, descripturus, auxiliares copias, & fidei Christianæ magistros, suique laboris mercedem impetraturus. Rebus fęliciter cum Carolo transactis, nobilique prefectura donatus, ad illas Regiones regressus, pro conuersione gentium in Comitatu duxit, anno 1532. Religiosos sex, Ordinis Prędicatorum, quos Carolus, per Fr. Reginaldum de Pedraza seligi voluerat. Accesserunt, & alij (secundum pacta præscriptasque à Carolo leges, vt quos ipse dare vellet conuersionis ministros, ille reciperet) Instituti Minoritici, ex quo primi fuerant illius Regionis operarij: in qua, circa annum prædictum, laborantes, inuenio Marcum à Nicia, Ioannem è Monzono, Matthæum de Zumilla, Franciscum de Angelis, Franciscum à Cruce, Franciscum è Sancta Anna, Petrum Lusitanum. Quatuor postremos valdè cōmendat Franciscus Fernandez Ord. Pręd. in Compendio historiæ Indiarum, & Cænobia suis consodalibus construxisse refert, in Vrbibus præcipuis Peruuianis. De primo, Marco videlicet Niciensi, celebrem agunt mentionem optimi quique Peruuiani Regni Scriptores, propter immensum, periculosum, & laboriosum iter, quod cum socio suscepit ad Prouinciam, *Cibolam*, in quo plusquam mille, & quadringentas leucas Hispanicas emensus est, vbique per Interpretes pędicans Dei Veri fidem, & Caroli Regis Maiestatem, cui, saxis aliquot in cumulum coaceruatis, & Cruce imposita, dominium vendicabat Prouinciarum, per quas transibat.

§. 16. Erat hic ex Nicia, vrbe Maritima, sub ditione Ducis Sabaudiæ oriundus, habitumque suscepit in Prouincia Aquitaniæ, ex qua, ante aliquot annos, profectus est in Indiam Occidentalem, appulitque ad Hispaniolæ Insulā, Onon anno 1531. (vti scribit Gonzaga) sed

aliquanto priùs, ipse quippè testatur apud Bartholomæum delas Casas Dominicanum, se cum primis Peruuiani Regni exploratoribus illuc progressum. Illuc autem profectos insignes illos Duces, Franciscum Pizarrum, & Didacum Almagrum sub annum 1527. scribit Herrera, variasque in illas oras expeditiones suscepisse, & Prouincias integras subiugasse, ante Pizarri profectionem Hispaniam, multis idem Author recenset. Ex Mexicana porrò Missione ad Peruuianam amandatus est, vbi cum adhuc res titubare, neque firmas adhuc stationes habere Hispanos, sed omnia cæde, & sanguine fœdari conspiceret, nullumque adhuc aperiri ostium Euangelio, reuersus est ad suos consodales Mexicanos. Eum perperam vocant aliqui primum Commissarium Generalem Regni Peruuiani; neque in illa Peruuianæ conuersionis infantia, tot erant Fratres subditi, propter quos additamentum *Generalis* deberet adhiberi, neque in serie Commissariorum Generalium, à Turre Cremata collecta, eius occurrit memoria. Et quidem errorem esse, ego non abs re suspicor; etenim non nisi post aliquot annos insonuit hoc nomen, aut dignitas *Commissarij Generalis*, in illis Regionibus. Missum autem secundò Peruuiam, cum ijs, quos supra dixi, credibile est, & Custodiæ S. Euangelij Superiorem, cum reliquis præfecisse, addito nomine, & potestate *Commissarij*, absque adito *Generalis*. Ille porrò regressus denuò ad Mexicanos, electus est tertius, iam erectæ Prouinciæ, Minister, & in Prouincialatu, doctrina, pietate, & zelo animarum insignis, anno 1542. decessit in Conuentu Mexicano.

§. 17. Prętereà, ad illas partes Peruuianas Minister Generalis Pissotus destinauit, datis litteris obedientialibus, anno 1532. die prima Augusti, Franciscum Aragonium, Prouinciæ Aragoniensis, Virum grauem, & doctum, cui potestatem dedit seligendi, ex quibuscumque Prouincijs, socios duodecim, testimonium bonum habentes à suis Ministris, & Discretis Prouinciarum, atque erigendi in Regno Peruuiano Custodiam sub Titulo *Apostolica*, siue *Sanctorum Apostolorum*, in eaque domos ædificandi, Sacramenta administrandi, & reliqua faciendi, iuxta morem Custodiæ Mexicanæ, siue Sancti Euangelij. Nulli insuper Superiori eum subesse volebat, pręterquam soli Indiarum Commissario, à se instituto. Vt verò commodiùs Fratres transfretaturi, in posterum, se tam immenso itineri possent præparare, assignauit eis Conuentum Sancti Lucę de Barrameda, eiusque Guardianum voluit præesse Fratribus, euntibus ad Indos, & regredientibus, ità rogantibus Præfecto rebus Indicis, alijsque Hispaniarum Magnatibus. Antequam autem hæc Generalis ordinatio innotesceret Patribus Hispanis, in Capitulo Generali intermedio, Tolosæ celebrato, in Vigilia Pentecostes, designatus est Guardianus Hispalensis, Commissarius Fratrū Indicæ missionis euntium, & redeuntium, dum ea in Vrbe remanerent; addito præcepto, ne quis illam Vrbem adiret, ad Indias profecturus, nisi à Commissario Generali, vel à suo Ministro, cum assensu Definitorum mitteretur.

§. 18. Loco Bernardini de Areualo, anno præterito instituti Commissarij super Prouinciam S. Crucis, & Custodiam S. Euangelij in Indijs, se hoc onere leuantis, substitutus est die 27. Ianuarij anni 1533. Ioannes Granatensis, cum facultate conducendi quos vellet cooperarios, pro copiosissimę messis labore, dummodo iuxta Adriani Papæ VI. diploma, bonum haberent testimonium à suis Superioribus: confirmatumque est Decretum Tolosanum circa hospitium, & Superiorem ad Indias euntium, & redeuntium. Commendati sunt impensè Bartholomæo de Popula (*de Puebla*) Ministro Bæticо, Franciscus Aragonius, & quos habebat in Comitatu, ad Regiones Peruuianas, vti aliàs diximus, transfretaturi.

§. 19. Erecta circa annum 1535. Custodia S. Euangelij in Prouinciam, quæ totam terram continentem amplectabatur, legimus apud Antonium de Herrera, Carolum V. per suum Oratorem, Comitem de Centum Fontibus instanter egisse apud Paulum Pontificem, vt, pro ampliori Religionis augumento, cum illa, vel sub illa Prouincia erigeretur Custodia peculiaris, sub *nomine Iesu*: Regemque peculiares dedisse ad Pontificem Litteras, in quibus summoperè commenda-

dabat virtutem, & solertiam in conuersione Indorum, duodecim illorum Patrum, qui primi missi erant ad oras Mexicanas: Ingentem fructum suæ prædicationis illos retulisse, cum magno incremento nominis Christiani, & propterea his, alijsque gratijs se dignos ostendisse, Pontifici enarrabat. Anno 1536. Patres Mexicani primum suum celebrarunt Capitulum Prouinciale, in quo electus est in nouæ Prouinciæ Ministrum, Garzia de Cisneros, Prouinciæ S. Iacobi alumnus, & vnus ex primis illis duodecim Viris Apostolicis, qui ad Regionem Mexicanam transfretarunt: qui Anno vno dumtaxat prudentissimè rexit; cuique vita functo, successit Antonius Ciuitatensis, siue *de Ciudad Rodrigo*, vnus etiam ex duodecim prædictis.

§. 20. Et si tantæ messi, quantam præbebat vastissima illa Prouincia Mexicana, pauci suppetebant Operarij, attamen Antonius Ciuitatensis, vt primùm electus est, anno 1537. Minister Prouinciæ S. Euangelij, destinauit ad oras maritimas Septentrionales consodales quinque, qui superatis laboribus, & difficultatibus quam plurimis, Christi fidem indefessè docuerunt, & propagarunt per vastissimas Prouincias Huatzaqualci, Tabassi, & Xicalanci, penetrantes per vias arduas, & difficiles vsque ad Chanpatonum, consumptis in hac fructifera Missione annis duobus.

§. 21. Hoc etiam anno Carolus V. misso ad illam Regionem, quæ Fluuius argenti (vulgo Rio de la Plata) vocatur, ex nobili flumine, illam copiosè alluente, Alphonso de Cabrera cum duabus nauibus, & Antonio Lopez de Aguiar, cum altera armamentaria, rebusque subsidiarijs, vt opem ferrent ijs pauculis Hispanis, qui Regionem illam suo subiugabant Imperio, misit etiam Franciscanos quinque, qui gentem Barbaram ad fidei Christi notitiam perducerent, data abundanti suppellectile Ecclesiastica, additisque rebus necessarijs.

§. 22. In Prouincia verò Mexicana, indefessè etiam Apostolico muneri docendarum gentium interea incumbebant Minoritę, quorum superior Antonius Ciuitatensis, post missos quinque, per oras maris septentrionalis, anno 1538. alios tres destinauit per maritima Australia, arrepta occasione expeditionis à Marchione Vallis, Ferdinando Cortesio, pro explorandis illis Regionibus susceptæ; At cum exploratoribus, & Præfectis militum, quas viderant terrę, vtpotè pauperes, & incultæ, non placerent, vela verterunt, salutemque gentis miseræ, & pauperculæ neglexerunt, reductis secum ministris Euangelij. Quod vbi percepit prædictus Antonius, ad laceram gentem & conuulsam misit terrestri itinere alios duos, ad nouam vsque Galliciam, & Xaliscum, qui à mari Australi ad Septentrionem deflecterent, salutis remedium illis populis allaturi. Socium itineris habuerunt Ducem, auri, famæque auidum, qui post dies aliquot à Fratribus ad dexterā deflexit, putans, meliores terras, & magis opima spolia ex illa parte spectanda, quam ad læuā; quo Fratres pergendum esse, omninò contendebant. At illum fefellit spes, dum post emensum longum, & pęnosum iter, in conspectu habuit montes altissimos, infructiferos, quorum iuga improbo labore superare, opere pretium nonduxit, absque vlla spe detegendæ felicioris Regionis. Casso itaque itinere, ad Mexicanos redijt, illumque paulò post sequutus est ex Fratribus vnus, quem peruicaci morbo afflictum, à Missione oportuit redire. Alter imperterritus, patiensque laborum, vltra perrexit, Comites habens duos Indicos interpretes, tandemque peruenit ad populum numerosum; sed inopem, qui totus in occursum effusus, cum iubilo excepit, tanquam è Cœlo dilapsum, & Dei nuncium, tactis, osculatisque vestibus, cum summa reuerentia.

§. 23. Instructis his, alias lustraturus terras, contemptis viarum incommodis, & periculis, ampliùs processit. Sed ex populis, quos docebat; sequebantur modò trecenti, modò quadringenti, quasi sui præceptoris Custodes, & Prouisores, ex vno loco ad alium deducentes, & ex venationibus, quarum erant peritissimi sustentantes. Ità alternantes sequelam, circunduxerunt eum per leucas vltra ducentas, iniecto fructiferæ terræ semine copioso, quod fructuum attulit ingentem. Per omnem hunc circuitum constanti fama percepit, vltra interiectos mon-

montes, & fluuios superesse populum numerosum, locupletem, Ciuilem, domos Cæmentitias, & amplas habitantem, multas insuper Vrbes, & Oppida muris munita, ad littora latissimi fluminis, ex vtroque latere constructa, quorum Reguli frequenter semet inuicem hostiliter inuadebant; terramq; ipsam armentis, varijs animalibus, Humano vsui opportunis, optimisque fructibus abundare. Illuc proficisci absque Comite inconsultum ratus; timens ne si ipse periret, cum illo etiam sepeliretur rei tanti momenti notitia, statuit reuerti ad Mexicanum Proregem, & quæ vidit, fecit, audiuit, enarrare. Tam opimæ fertilisque terræ potiundæ in spem erectus Antonius Mendoza, qui Prorege Mexicum, nouamque Hispaniam regebat, anno 1539. statuit illo proficisci, gentemque vti Religiosus Nuntius suadebat, non ferro subiugare sed prædicatione Euangelica ad veram fidem attrahere, & Christiana pietate, ac mansuetudine, ad Hispanorum fœdera conuocare.

§. 24. Anno eodem missi sunt à Ministro Prouinciæ S Euangelij Fratres duo ad Theulos Chichimecas, homines Barbaros, rudes, immanes, omnisque humanitatis penè vacuos, qui inter Ortum, atque Arctum passim in nemoribus, atque Campis, ferarum more, vagantur, latitantque plerumque in Cauernis, & abditis Siluarum, humo subdio cubantes, & ferina, atque agrestibus fructibus vitam miserè tolerantes, partim nudi, partim ferarum exuuijs leuiter tecti, & arcubus, atque sagittis armati, vastis corporibus, nec indecoris: cæterum helluones, & bibones strenui, potione quadam ex agrestibus radicibus composita se inebriant. Chichimecarum autem nomine designantur plurimæ Nationes, linguis, ingenio, atque institutis plurimum diuersæ: Panues, Capuzes, Samues, Zancæ, Maioliæ, Guamares, Guachichiles, diuisi quidem inter se, sed im manitate morum simillimi. Ducentas Leucas terrarum, ab Oppido S. Michaelis, vsque ad alterum Philippi, Soli vbertate, & aeris temperie insignes, occupant, omnibus limitaneis nouæ Hispaniæ Prouincijs infesti. Attamen Fratres istos, ex veste, & vita non adeò incognitos (illuc enim antea alij penetrauerant Minoritæ) humaniter exceperunt; neque enim ab illis Viris vtique pacificis, & inermibus, animarum dumtaxat Curatoribus, sed ab armatis Hispanis, rerum suarum rapacibus, patriæ hostibus, sibi timendum esse, dicebant.

§. 25. Itaque per vniuersam Prouinciam discurrentes hi duo Euangelici Ministri; innumeros Christi fide instructos, Sacris vndis intinxerunt, & municipia circiter triginta, & si paruula trecentorum, aut quadrigentorum incolarum inconditis casellis agglomeratorum, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium adduxerunt. Per Montes, & Siluas vagè dispersos, ad cohabitandum, ad formandos sibi populos, & commercia ineunda induxerunt; vtque Regis Catholici patrocinium, & fidem implorarent, persuaserunt, facta sponsione immunes fore à tributis, nisi ipsis post aliquot annos exigua, & spontanea pendere placeret. Et quidem Antonius Mendozius, Mexicanus Prorex, iu Fratrum reditu, rata habuit, quæ illi cum misella gente pepigerant.

§. 26. Diximus antea, rogasse Carolum Regem, vt Paulus Pontifex nouam institueret Custodiam *Nominis Iesu*, sub Prouincia Sancti Euangelij, quæ Mexicanas terras complectabatur. Ea autem Custodia, vt minor regendi, & visitandi labor Ministro superesset, instituebatur in terris Iucatanis, & Guatimalæ, inter se longè dissitis, multasque Nationes: & particulares Regiones infrà se continentibus. Ità per has terras creuerunt celeriter Fratrum domicilia, vt primum in Custodias, mox in Prouincias coaluerint. Ad Guatimalam verò, cui posteà honorificus adhæsit titulus *Nominis Iesu*, quæque ad Littus maris longè, lateque se extendit, anno 1539. missi sunt à Vincentio Lunello, Ministro Prouinciæ S. Iacobi, Minoritæ sex, Alphonsus Eras, Didacus Ordonnez, Alphonsus Bustillo, Didacus Aluachius, siue Pesquius, Gonsaluus Mendez, & Franciscus de Valderas, Laicus, omnes eiusdem Prouinciæ alumni; sed in Portu veræ Crucis hærentes, nonnisi ad finem anni sequentis, mortuo suo Superiore prædicto, Alphonso de Eras, post plurimas itineris difficultates, & vltra milliarium mil-

mille pedibus emensum, tandem Guatimalam pervenerunt.

§. 27. In Vrbe præcipua, Sancti Iacobi nuncupata, ab Hispanis, & Indis per humaniter excepti, dum tantæ messi, quanta illic parabatur, impares essent, Valderam, Laicum, remittendum iudicarunt in Hispaniam, vt Fratres adscisceret auxiliares. Diligentissimè commissum sibi munus, ille peregit, ex eadem Prouincia enocatis duodecim consocijs, qui ante biennium incolumes appulerunt ad partes Mexicanas, ex quibus, dum ad Guatimalanas pergunt, aeris intemperie, & molesti itineris longitudine, maior pars interijt. Successerunt demum sub annum 1542. multi Fratres (ducentos enumerat Gonzaga) ex omnibus Hispaniæ Prouincijs adlecti, Ductore Iacobo à Testera, Commissario Generali Indiarum, qui per varias Indiarum partes eos distribuit, relictis in Conuentu Guatimalæ duodecim, supradictæ Sancti Iacobi Prouinciæ alumnis, per quos creuit, cum Fide Catholica, Fratrum numerus; & stabilita est noua Custodia.

§. 28. Vsque ad numerosam hanc Sociorum accessionem, incredibile est, quanto feruore, & labore vastissimam illam Dei vineam coluerint pauci illi, qui præerant Operarij. In solo anno 1537. obseruatum est, baptizata fuisse ex paruulis, & adultis plusquam quingenta millia, ex quibus, in sola Prouincia Tepuacana, numerati sunt vltra sexaginta millia. Qui cæteris plus in hoc ministerio laborarunt, adnotantur Martinus à Valentia, primus, verusque nouæ Hispaniæ Apostolus, Garcias Cisneros, Ioan. Canus, Ioannes Perpinianensis, Franciscus à Fauentia, Turibius Motolinius, quorum aliqui, vltra tercentum mille, baptizarunt.

§. 29. Diximus antea, Religiosum illum, terrarum exploratorem, ab Antonio Ciuitatensi, Prouinciali Ministro missum, in regressu optima quæque ex aliorum fama, de terris nondum subactis Antonio Mendozio, Proregi Mexicano, narrasse, atque hunc, in spem magnam potiundarum erectum, statuisse ad illas partes nauigare. Sed hoc anno compositis controuersijs cum Marchione Vallensi, alijsque, qui expeditionem hanc, & terrarum subiugandarum regimen ad se spectare contendebant, statuit rem totam committere Francisco Vasquio de Cornado, nouæ Gallęciæ Præfecto. Socium dedit itineris, & Conuersionis pręcipuum Ministrum, Fr. Marcum de Nicia, Sabaudum; Minoritam, virum industrium, & salutis Animarum sitibundum. Iussit, vt hic præcederet cum Fr. Honorato Consodale, adolescentulo Nigrita, Stephanulo (Hispanis *Estevanico*) quem cognominabant *Dorantes*, olimque socium habuerunt, & interpretem, Pamphilius Narnaezius, alijque exploratores Prouinciarum Floridę, & Indis sex, qui Hispanicum idioma iam callebant, & iuxta instructionem, quam acceperat, tam Religionis Christianæ, quam Regis Hispani momenta promoueret, ac secundum itineris discursus opportunò in issis internuncijs, quid ageret, quid agendum iudicaret, admoneret.

§. 30. Mouit ille, die septimo Martij, ab Oppido S. Michaelis, Prouinciæ Culiacan, versus Petathan, locum sexaginta Leucarum interuallo, à dicto Oppido dissitum, ab Indigenis vbique hospitaliter exceptus. Hic Socium ægrum relinquens, cum reliquis processit; & licèt indigenæ per quorum fines ipsi iter erat, summa annonę penuria laborarent, vt potè qui integro triennio parcè admodum sementem fecerant, nihil tamen ipsi defuit. Triginta porrò leucarum itinere, nihil memorabile ab ipso obseruatum fuit, præterquam, quod Insulares quidam Barbari, ad ipsum venerunt ab Insula, iam ante à Marchione Vallensi visa, & lustrata; itemque ex altera paulò remotiore, qui fragmenta quædam Concarum Margaritiferarum circa ceruicem gestabant, & Margaritarum copiam apud Insulam suam reperiri testabantur (licèt nullas ipsi exiberent) pluresque minores Insulas iuxta sitas esse, quæ vili, atque inopi populo incolerentur.

§. 31. Hinc, per desertum quatridui itinere, cum plurimis Barbaris, qui illum spontè comitabantur, profectus, alios rursus Barbaros obuios habuit, qui non tantùm ad Europæorum habitum, quos nunquam antea viderant, stupebant, sed & Barbaros tanta solicitudinis intercapedine sibi prorsùs incognitos, admira-

mirabantur. Hic cum summa veneratione fuit exceptus, indigenis Barbaris, non tantùm largè commeatum præbentibus, sed, & Vestimenta illius Religiosè contrectantibus, ipsumque Hayotam, idest, Diuinum Virum appellantibus. Ipse veri Dei, & Cæsaris cognitionem, ipsis per interpretes prædicabat; illi autem vicissim narrabant, quatridui à suis finibus itinere, versus mediterranea, latissimā planitiē habitari ab indigenis, qui & vestibus induerētur, & aures, atque nares lapillis quibusdam viridi colore ornarent; illo denique metalli genere abundarent, quod ipsis ostenderat (id autem erat aurum) ita ut & vasis aureis vterentur, & templorum suorū parietes, aureis laminis, incrustarent; verumtamen, quia iussus erat, haud longè à mari, intra continentem diuergere, iter ad illam Prouinciam distulit.

§. 32. De hinc quatridui intinere per eorundem populorum fines confecto, venit *Vacapam*, circiter quadraginta leucas distantem à mari, vbi festo Paschatis subsistit, & Americanos quidem, qui illum comitabantur, tribus diuersis itineribus ad mare, Nigritam autem recta ad septemtrionem mandans, vt simul, ac quid magni, aut memorabilis ostendisset, se se per Nuncios certiorem faceret. Vix quatriduo præcesserat Nigrita, quum Nuncius ab ipso aduenit, obnixè flagitans, vt sequi properaret. Famam enim amplissimæ Prouinciæ, quæ *Cibola* vocaretur, ad aures ipsius accidisse, nec longiùs illam, quam triginta dierum intinere abesse: illic septem ingentia, atque Incolis frequentissima Oppida vni Principi parere, Oppidanos vestibus vti, domos è lapidibus, & cæmento affabrè constructas, & coniunctim dispositas esse, super liminia portarum cyaneis gemmis (*Turcoides* vocant) ornata, Americanus, qui à Nigrita venerat, narrabat.

§. 33. Eodem tempore, qui ad mare requirendum missi fuerant, ipso Paschatis die reuersi, retulerunt triginta quatuor Insulas à se visas, & insulares aliquot adduxerunt, qui parmas aliquot bouillo corio obductas, foraminibus propè brachij retinacula, per quæ aspicere hostes licebat, frequentes, & quæ totum corpus obtegebant, Marco obtulerunt. Venêre, & tres Barbari ab Orientali plaga, pectus, atque brachia picti (vndè illos *Pintados* appellauit) qui se septem illorum Oppidorum vicinos ferebant. Atque his assumptis, iter quod Nigrita indicauerat, prosequi cæpit, & mox alios, atque alios Nuntios obuios habuit, qui rogabant, vt properaret; fama enim *Cibola*, & trium Regnorum *Marata*, *Acus*, & *Tonteac*, in dies increbescere, & confirmari. Ab his populis fuit benignè, & honorificè receptus, vbique cibo, & potu abundè cum suis recreatus, eaque habitus opinione, vt infirmos ab eo curandos afferrent, quos ille Cruci signatos, recitatis super Capita Sacris Euangelijs, lætos dimittebat. Pelles Cibolanas, optimè curatas ei offerebant obuij populi, sed & vltra proficiscentem, semper illi tres depicti comitabantur. Occurrerunt alij, qui *Cibola* famam adauxerunt, Nigritam *Esteuanicum* illac præcessisse narrant, quòd, & magna Crux, quam ille fixerat, indicabat. Maioribus itaque itineribus profectus, quum iam bidui itinere abesset à deserto, ad cuius exordium Nigrita se præstolaturum promisserat, incedit in locum peramænum, aruis satisque vndique cinctum, quæ fossis rigabantur: Incolæ autem ipsi obuiam processerunt, gossyppino panno, & taurinis tergoribus amicti; Regulusque illorum gossyppina tunica indutus, & cyaneis gemmis ornatus, varia illi munera obtulit; quæ refutauit. Vestimento autem illius contrectato, narrabant Barbari, eiuscemodi pannos, maxima copia, in Regno *Tonteac* texi, è pillis bestiarum, quæ canum Venaticorum, quales Nigritam secum ducere viderant, molem excederent.

§. 34. Hinc, desertum quatridui itinere emensus, vallem frequentissimam incolis intrauit, qui ad eundem modum vestiti erant, & ceruicem, auriculas, atque nares eisdem gemmis ornati, quique *Cibolam*, haud secus nouerant, quam nouæ Hispaniæ incolæ Vrbem Mexico, nec pannos *Tonteacenses* ignorabant. Quumque hactenùs littus maris recta ad Arctum vergere obseruasset, illud lustrare voluit, & ad altitudinem sex, & triginta graduum in Occasum se flectere depræhendit. Deinceps per eandem Vallem

iter

iter quinque diebus profecutus, in *Cibola* Ciuem incidit, qui Præfectum, quem Dominus feptem Oppidorum ibidem conftituerat, fugiebat. Erat autem is ingenio, minimè barbaro, Marcumque comitari anebat, & illius fitum, vti, & vicinarum disertè explicabat: Metropolim appellari *Abacum*, ad occafum *Marata* Regnum, fitum effe, olim quidem incolis frequentiffimum, nunc autem bellorum iniuria multum imminutum: *Tonteac*, huic proximum effe, Regnum opulentum, cuius indigenæ pannis vtererentur. In hac Valle denique tergus dono accepit, taurino duplo maius, animali longis pilis tecto colore damæ detractum; quod animal, vt ipsi narrabant, cornu incuruum in fronte geftaret, è quo alterum enafceretur rectum, præcipuum huius feræ robur.

§. 35. In Valle ifta alium excepit Stephanuli Nuncium, qui narrauit, eum hilaritèr præambulare, quod fincerè abfque dolo, aut mendacio barbari per quos tranfierat, fecum egerint: quicquid enim de itineris ratione, diftantia, aut qualitate populorum illi dixerant, verum effe probauerat. Vt fidem itaque narrantibus præberet, admonuit, rogans, vt greffus acceleraret. Itaque Vallis huiusce poffeffione Regi Hifpaniarum vendicata, poftquam triduum hic, Incolarum rogatu, fuiffet commoratus, cum magno Barbarorum, largoque comitatu, folitudinem, quam, quindecim dierum intinere, hanc Vallem à *Cibola* Prouincia diuidere cognouerat, ingreditur nono Maij, latam, tritamque femitam, & crebra pyrarum veftigia, quas viatores hic conftruere folent, inueniens. Duodecimo autem die, vnus Nigritæ Comituum ad ipfum venit, triftis, atque trepidus, qui animo paulùm confirmato narrabat, *Efteuanicum*, cum iam *Cibola* finibus appropinquaffet, cucurbitã fuam tintinnabiculis quibufdam, & candida, rubraque pluma ornatam, per Nuncios ad Præfectum Vrbis præmififfe, aduentus fui indicem; verùm, Præfectum confpecta cucurbita tantopere excanduiffe, vt illam proijceret in terram, & nuncios faceffere, vt & ipforum Dominum quantocitiùs è finibus fuis excedere iuberet; ni facerent, omnes ad internecionem fe deleturum. Nigritam verò, illo Nuncio haud quaquam territum proceffiffe; verùm non modo aditu Vrbis prohibitum fuiffe; fed & omnibus impedimentis, & gemmis, alijfque exutum, profugere coactum; fe quidem fui pœnè exanimatum, ad vicinum fluuium fubduxiffe, quo, & Nigritam fugere, & focios illius ab indigenis, miferè trucidatos, obferuauerit.

§. 36. Hæc narratio Barbaros, qui Marcum comitabantur, fupra modum confternauit; itaque illos confirmare, & Nuntio fidem derogare, ne quicquam conatus, precibus ante conceptis, Sarcinas omnes referat, & inter primarios diuidit, orans atque obteftans, vt fe porrò fequerentur. Quum ergo proceffiffent, & iam vnius diei tantum itinere à *Cibola* abeffent, alij duo è Nigritæ Comitibus occurrerunt, penè exanimati, & multis vulneribus faucij, qui, præcedenti relationi, confentanea retulerunt, & vltra trecentos fuorum cæfos, ipfumque Nigritam haud dubio trucidatum effe, Barbarofque ità denuò perterruerunt, vt Marcus anxius, & quid porrò ageret, incertus, paululum fecederet è turba, & precibus conceptis, ad Comites regreffus, blanditijs, atque munufculis illos placare niteretur. Verùm nihil proficiens, & à Mexicano quodam munitus, Barbaros ob fuorum ftragem, quam ipfi, & Nigritæ imputabant, efferratos extrema ipfi minari, monere Barbaros cæpit, ne quid fecus in ipfum admitterent; exiguum enim ipfis fua cæde folatium fore, neque impunè laturos; Chriftianos enim haud dubio vindices adfuturos. Cum, his, atque fimilibus dictis Barbaros nonnihil commouiffet, fuadere inftitit, vt aliquos fuorum dimitterent exploratum, vt certiora de fuorum & Nigritæ cæde, cognofcerent. Verùm cum non perfuaderet, ipfe, cum paucis proceffit, donec in confpectum *Cibolæ* ventum fuit; quam dixit ad radicem montis in planicie fitam effe, Mexico pauló maiorem, & lapideis ędificijs, atque tectis affabrè conftructam, vt propius accederet, aut Vrbem ingrederetur, inconfultum ipfi vifum, ne fi quid inhumanitus ipfi accidiffet, tam nobilis Oppidi notitia, Hifpanos penitus lateret. Itaque faxis aliquot incumulum coacer-

uatis

natis, & cruce imposita, Prouinciaque dominio Regi Hispaniarum vendicato, via, qua venerat, est regressus, & deserta rursus emensus, planicieque, quam ante prætererat, obiter salutata, primò ad oppidum Sancti Michaelis, & mox Compostellam repedauit, atque itineris sui descriptionem ad nouę Hispaniæ Proregem misit.

§. 37. Ista Marci narratione, ampliùs excitatus Mendozius Prorex, accelerauit expeditionem Francisci Basquij de Cornado, qui coactis centum, & quinquaginta equitibus, quorum multi binos equos ducebant, & ducentis peditibus benè armatis, cum campestribus aliquot machinis, magno belli apparatu, pecorum, atque porcorum grege, largo denique commeatu, mense Aprilis, anni sequentis è Culiacan profectus, tandem post multos itineris labores *Cibolam* peruenit, & *Quiuiram* vsque processit, redactis illis Prouincijs sub Hispanorum dominio. Extant illius ad Mendozium litteræ, perplexi itineris narratiuæ, aliquantulum diuersæ à Marci relatione, in quibus eum taxat, quod facilè barbaris, circa pleraque, fidem præstiterit. Attamen circa res præcipuas, situmque Prouinciarum, exigua est discrepantia. Familiare est gloriæ æmulatoribus, primis facinorum Authoribus detrahere, famamque imminuere. Excelsi belli Duces humiles Monachos, ad gloriæ consortium, non admittunt. Narrationem porrò supradictam Regius Historicus Herrera totam suis Commentarijs inseruit, eamque, ait, magnis expeditionibus, & nauigationibus occasionem dedisse. Porrò Marcus anno sequenti à suis electus est Prouincialis, vnde Vasquius, in suis litteris, sæpè sub huius dignitatis voce illum compellat.

§. 38. Sed neque segniter suum munus peragebat, interea temporis, in partibus Mexicanis, primus ille, insignisque Mexicanus Episcopus, Fr. Ioannes de Zumarraga, quem ab insigni virtute, & sanctę vitæ exemplo, dignè commendat Regius Historicus Herrera. Non solum gentis conuersioni, & animabus medendis, sed & corporibus curandis, pro sua pietate totus intentus, suis impensis, anno 1540. extruere cæpit amplum Xenodochium, illudque iam perfectum demum Regio commendauit patrocinio. Notam, gratamque habuit oblationem hanc Carolus Rex, tituloque Iuris Patronatus ab Episcopo concessi, vbique habendi sua curauit insignia, domumque beneficijs cumulauit.

§. 39. Prodierat, vti diximus, Franciscus Basquez Coronado opulentissimã *Cibolæ* Prouinciam, quam primus Fr. Marcus Nicenus, Minorita, explorandam docuit, subiugaturus, & Sacrorum Curatores Comites adhibuit Ioannem de Padilla, Sacerdotem, ac Ludouicum de Escalona, Sanctissimæ vitæ Laicum, Minoritas, Prouinciæ Beticæ alumnos; quorum primus multum fructum attulit in noua Hispania, dum Guardianum ageret in Conuentu Tulanotzingico, & deinde in Cœnobio Sapotlanensi. Cum autem ad *Quiuira* Prouinciam, aeris temperie, aquarum bonitate, camporum amænitate laudatissimam, à *Cibola* leucas ducentas, versus ortum, diuergentem, peruenisset, & vltra paulisper ad *Azuteas* proficisceretur, vxoris reuisendæ cupidus, redijt ad nouam Galætiam, vndè profectus erat, relicto Padilla, & socio apud Azuteas, qui populi cõuersioni, Martyrio subeundo, valde inhiabat. Vbi illic, & in Prouincia Tignez, aliquantulũ, cũ iuuenculo interprete, & aliquot barbaris Mechuanis, itemque Andræa de Campo, Lusitano, substitissent, & nonnihil profecissent, ac denuò Quiuiram reuerterentur, in itinere ab indigenis fuerunt trucidati, illamque Regionem, suo sanguine, primi consecrarunt. Tanta fuit in veneratione, apud Coronadum, militiæ Præfectum, Ludouicus, vt militibus præceperit, quotiescumque eius nomen audirent, toties capite inclinato, eius vitæ Sanctitatem venerarentur.

DI.

# DISTINCTIO VI.

*Fratres Minores plura, circa Ritus, & Dogmata Sacra, conati sunt stabilire, quæ necessaria videbantur, ad puriorem, & magis consonam Indiarum Conuersionem.*

§. I.

CORtesius, nouæ Hispaniæ subiugator, statim ac anno 1524 primi illi Apostolicæ vitæ viri Minoritæ, Indiam appulerunt, videns amplissimum ostium Fidei Christianæ propagandæ aperiri, cum P. Martino de Valentia, Romani Pontificis Vicario (hæc ei à Clemente VII. concessa potestas) egit, vt senticoso colendo agro, eas traderet regulas, per quas à spinis, & tribulis expurgari, & bono posset semine fœcundari. In eam itum est sententiam, vt communi hæc fierent consilio, & proinde Synodus cogeretur, in qua errores eliminandi censerentur, & opportuna remedia, iuxta Sacros Canones, potuissent sanciri. Hoc ipso anno indicta est omnium illarum partium prima, paucis quidem suffragijs circumscripta, sed bonis legibus absoluta. Conuenerant Martinus Pręses, Presbyteri seculares quinque, nouemdecim Minoritæ, Iuris Canonici doctores Laici sex, interueniente etiam, pro rei Maiestate, Cortesio; inter reliqua Synodalia decreta, abrogata cohabitantium mulierum multitudine, sancitum fuisse, vt qui ex Gentilibus ad Christi fidem accederent, vna essent contenti, selecta ex omnibus, quas superinduxerant, quæ magis placeret, eamque sibi insolubili matrimonij vinculo desponderent, narrat Franciscus Lupus Gomara. Sed rem aliter narrat Turrecremata, dicitque ob linguæ, & Rituum sponsalium, seu contractuum Matrimonialium, quibus Indi vtebantur, imperitiam, nihil tunc ibi fuisse decretum; & sæpè successiuis temporibus missos in Hispaniam, vt dubium exponerent, & tandem sub Paulo III. fuisse decisum.

§. 2. Prima hæc istorum Patrum gesta, Commentarijs excepit Fr. Bernardinus Sahaguntinus, Prouinciæ S. Iacobi alumnus, vir doctus, & disertus Concionator, qui paucos post annos, huic excolendæ vineę auxiliarius accesserat, & per annos sexaginta in hoc ministerio desudauit. Præsens hæc vidit, & breui compendiolo recensuit Franciscus Lupus de Gomara, vniuersæ expeditionis Mexicanæ, rerumque à Cortesio gestarum, fidus Historicus. Laurentius Surius, candidus Author, in Chron. ad ann. 1524. hæc disciplinę Christianæ inter Indos primordia, tunc exorientibus pestilentissimis Marthini Lutheri hæresibus, in hunc modum opposuit.

§. 3. [Anno salutis M.D.XXIV. venit in Ciuitatem Mexicanam Fr. Martinus Valentinus, cum duodecim Monachis, tanquam Vicarius Papæ, à Carolo Cæsare illuc, cum auctoritate eiusdem Pontificis missus; eodemque anno prædicauit ille, in noui Orbis terra continente, Euangelium Christi, & magnos illic progressus, magnaque incrementa fides Christi accepit: & quidem ea ipsa fides, quam Germani, & plerique alij Europæi à Marthino Luthero, & alijs sectarijs malè persuasi, vt Papisticam reijciunt. Baptizabantur illic multa hominum millia: & cum antea plures simul vxores habuissent, dubitareturque, quam ex omnibus retinere deberent, eodem anno Mexicana habita est Synodus solemnis: cui tanquam Papæ Vicarius, præsedit Martinus Valentinus, in qua tandem definitum est, quòd qui fidem Christianam cum omnibus Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ Ritibus, complecterentur, ex omnibus vxoribus vnam tantum, quam vellent, ducerent, Ritu Christiano. Idola omnia ex tem-

templis exturbabantur, Crux Christi, & Sanctissimæ Virginis Mariæ Imago in templis ponebantur, Eucharistia populis ostendebatur, Missæ Sacrificium à Martino, & Collegis duodecim patefiebat, Euangelium Catholico more piè, & purè annunciabatur. Inde verò paucis annis, tot baptizabantur in ea, noui Orbis plaga, vt alij septies dena centena millia, alij quater decies dena centena hominum millia, in solo illo Mexicano Regno, baptizata retulerint. Magna etenim in eo noui Orbis tractu, est hominum copia, adeò, vt in Insula Fani Diui Dominici, quindecies centena hominum millia fuisse reperiantur, & quandoque in processione centum millia hominum se, Christiano more, ceciderint Virgis.

§. 4. Et ò Diuinam prouidentiam! ò terribilem Deum in Consilijs super filios hominum! septimo anno post natum in Germania dogma Lutheranum, in nouo Orbe Martinus Valentinus, vitæ Sanctitate, & miraculorum operibus inclaruit, & cæcis gentibus, Euangelij lucem synceram, quam Germania Marthino Luthero Apostata, infami duce, fastidiuit, inuexit. Qua de re Catholici quidam, hos Versus scripsere.

§. 5. Inuito potuit Romano Præsule Luther
Sacramenta Dei vellere, non premere,
Septem post annos validus Martinus in Orbe
Illa tuo repetit, maximè Carle, nouo.
Iste duodenis sociatus fratribus ipsum
Prototypum sequitur legis Euangelicæ.
Hunc sequitur (quemnam sequitur Germania?) Cæsar.

§. 6. Et certum est, omnes Indos, & noui Orbis Carolini incolas, & accolas, fieri quotidiè magis, ac magis Christianos. ] Eadem attestantur Iosephus à Costa, in histor. Naturali, ac Moral. Indiar. Oriental. & Occidentalium. Daza *cap.* 11. & Martyrolog. Franciscan. *in annot. ad diem* 31. *Augusti*. Sedulius autem in Comment. *ad cap.* 3. Vitæ S. Francisci, adiungit. [ Ad hæc facit, quod ante Surium scripsit Amandus Zirichsæus in fine Chronici, vbi de Carolo V. circiter annum Domini 1519. in quo finit; *vsque adeò ibi propagatur indies, & Confirmatur per Catholicos viros fides Catholica, vtferè cum Ecclesia Latina, comparari possit Ecclesia Indiana*. Et ò Diuinam prouidentiam! Septimo anno post natum in Germania dogma Lutheranum, à Martino inductum, in nouo Orbe Fr. Martinus à Valentia vitæ Sanctitate, & miraculis illustris, eandem illam fidem, & fidei doctrinam prædicauit, & stabiliuit, quam Nouatores Europæi nostri, nimis fastidiosè repellunt. Sed Summus Deus expretis illis contemptoribus, Barbaris illis, ac bardis gentibus suam gratiam offert. Et (vt magis gemat inuidia) quò illi plus perditam eunt exterminatamque fidem, & Obseruantiam Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, hoc ipso apud exteros augetur magis. Non frustra scriptum est Deuteron. *cap.* 32. *Ipsi me irritauerunt in Vanitatibus suis, & ego prouocabo eos, in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos*. Vt lucem Solis, domo excludere possumus, ostijs occlusis, nec tamen ipsam lucem, vel minimum, ne alijs splendeat, obscurare: sic gratiam Dei repudiare in libertate est arbitrij; ipsam verò quin alijs luceat, non possumus impedire. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Matth. cap.* 3. ]

§. 7. Huic sedulij ponderationi, adiungimus aliam doctissimi Viri, inter vtrumque Martinum comparationem. Is est Flormundus Remundus, qui vnius erga Apostolicam doctrinam, veramque Religionem insanias, & furorem; & alterius zelum, miramque sanæ fidei propagationem, paucis his verbis *lib.* 1. *de ortu, & progres. hæres. cap.* 3. *num.* 5. exponit. [ Vnus Martinus tonat, fulgurat, ignem, & flammas vomit; hic denique omnibus modis agit, vt Ecclesiam in Europa subuertat: alter Martinus, Franciscani Ordinis Monachus, & primus Vniuersalis Vicarij, apud Indos Vicarius, Euangelium in nouo Orbe disseminat, & nouam quasi, maximo cum labore, ædificat Ecclesiam. ]

§. 8. Ex tunc Martinus de Valentia, & qui cum eo præerant, impigrè laborabant in conuersione Infidelium, quam se minimè perfecturos prudentèr iudicarunt, si materia, & libertas superessent

ido-

idolatrandi. Inito itaque Consilio, Cortesium rogarunt, vt manifestas, & grauissimas Dei tolleret iniurias, vt sacrificandi quotannis hominum myriades, & cum horrore libandi profluuios Sanguinis humani, libertatem omninò proscriberet. Annuit optimus Præfectus, præcepitque Ministris, vt ne quid huiusmodi, publicè fieri permitterent. At illi, vel timentes populorum impetus, vel aggregandæ rei familiari magis intenti, opus Dei faciebant negligenter. Etenim non solùm in priuatis laribus, sed in templis, nocturno tempore, Indi conueniebant, immolabant, orabant, suas orgias occinebant. Ægerrimè hæc ferentes Serui Dei, ad instar Moysis *Deuter. cap.* 12. decreuerunt, Idola comminuere, Altaria, & templa diruere, nulloque idololatriæ relicto vestigio, in perpetuam obliuionem diabolicos, quibus Indi erant assueti, Ritus, adducere. Ineunte itaque Missionis acceptatione, ducentes secum quos habebant præcipuos Discipulos, Magnatum Filios, incæperunt à Tetzcuci Vrbe, & Regno, in quibus Templa erant magnifica, & cultus solemnior, admoto vndique, præsertim per quatuor angulos, igne, delubra combusserunt, spectante partim, & obstupente, partim ingemente, & vociferante populo, qui pulchras turritasque ædes, à maioribus magno studio constructas, dolebant infauillas reduci, nec audebant in aduersum ire, timentes Præfecti indignationem. Idipsum fecerunt in Mexicana, Tlaxcallatensi, & Huexotzincana Ciuitatibus, imbellibus pueris, tanquam fortissimis militibus, solis adhibitis, ad profliganda tot scelera, & debellandas aereas potestates. Et quidem fœlicissimè per omnes illas Prouincias triumpharunt, contra spiritalia nequitiæ, occulta Dei virtute. *Nam arma militiæ* ipsorum non erant *carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem contra Deum inobedientiam.* 2. ad Cor. *cap.* 10. Præceperat Deus apud Exod. *cap.* 20. *Non habebis Deos alienos coram me: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in Cælo desuper, & quæ in terra deorsum, neque eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes.* Istam inobedientiam vlti sunt Serui Dei, superatis, & destructis præcipuis diaboli arcibus, & monumentis: & mox conuerterunt se ad alia loca publica, & compitaviarum, ex quibus abstulerunt omnes abominationes Idolorum, & inanium Deorum simulacra. Etenim tanquam sibi dicta reputabant illa verba Excelsi: Deutor. *cap.* 12. *Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, Deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum. Dissipate aras eorum, & confringite statuas: Lucos igne comburite, & Idola comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis.* Per hos itaque Viros Apostolicos, adimpletum est, quod idem Dominus se facturum prædixit; apud *Mich. cap.* 5. *Destruam omnes munitiones tuas, & perire faciam omnia sculptilia tua, & statuas tuas de medio tui, & non adorabis vltra opera manuum tuarum.*

§. 9. Et si verò hæc fœliciter, & ritè peracta sint, non defuerunt, qui tam insigne facinus calumniarentur, temeritatem obijcientes, & inprudentiam. Etenim inde (dicebant) exoriri poterat seditio, & commotio vniuersæ gentis in paucu los, qui resistere non poterant Hispanos; & speciosa Templa, cum prætiosis quæ inerant ornamentis, satiùs erat reseruare in Veri Dei cultum nobiliorem. At qui eradicandæ iniquitatis infudit voluntatem, dedit, & faciendi potestatem; ipse dedit, & constanter velle, & fæliciter perficere. *Certamen fortè dedit illis, vt vincerent. Sap. cap.* 10. In prospero operis progressu, & timore Indis incusso, ne mouerentur, ostendit Deus à se ad Indias missos illos duodecim inermes, & imbecilles; constantes tamen, & audentes, verè fidei Magistros, & Idololatriæ profligatores, non aliter quidem, quam cum, iuxta Iustin. *in Apolog.* 2. *ad Antonium*, post medium, *Hierosolymis, duodecim viri numero, in Mundum exierunt; ijque ignari, & idiotæ, nullaque facultate dicendi præditi, vi diuina omni hominis*

*minum generi exposuerunt, missos se à Christo, qui verbum Dei docerent.* Qualiter enim hi pauperes fraterculi, nonnisi puerilis in partem vocatis, tantam longè, latèque propagatam inferorum potentiam destruere, & munitiones, arcesque Dæmonum, in medio, & conspectu numerosissimę gentis, ab his tenebrionibus tot seculis obcęcatæ, debellare potuissent, nisi Deus esset cum illis, & Diuino agitante calescerent igne?

§. 10. Quod verò Idolorum templa in primitijs Indicæ conuersionis deiecerint, & in Ecclesiarum vsum noluerint conuertere, æmulati sunt strenuos illos, fidei athletas, primitiuæ Ecclesiæ Magistros, qui loca Dæmonum indigna existimarunt, in quibus Deo vero Cultus Religionis exhiberetur: quis enim potuit esse *consensus templo Dei, cum Idolis? 2. ad Cor. cap. 6.* Proindè speciosissima, licet dæmonum delubra, Idolorumque fana (vti erant mirifica illa templa Seraphidis Alexandriæ: Marnæ Gazæ: Iouis Apameæ: Cælestis Carthaginis: Iouis Capitolini Romæ, aliaque innumerabilia, quæ ob ingentem structuram videbantur miracula Mundi) exciderunt, & solo æquarunt. Atque ità fieri debuisse docuerunt Gregorius *Epist. 60. lib. 9.* Anglorum Regem, paulò antea ad fidem conuersum, & Hieronymus Epist. 7. Lætam Discipulam. Præterquam quod, Imperatoris legibus cautū etat, vt huiusmodi templa euerterentur. Theodosius Iunior *leg. vltim. de Pagan. in Cod. Theod.* sanciuit, *vt cuncta Idolorum fana, templa, Delubra, si qua etiam restarent integra, præcepto magistratuum destruerentur.* Quod verò tempore Phocæ Imperatoris, Bonifacius IV. expurgato Deorum omnium veteri Fano, quod Pantheon vocabatur, illud in honorem B. Mariæ Virginis, & omnium Martyrum dedicarit, rectè iudicauit Cæsar Card. Baronius, Diuina dispensatione factum, vt inter tot Idolorum fana prostrata, & in anathema obliuionis euersa, Pantheon velut insigne quoddam ac perenne trophęum, de expugnatis hostibus, permaneret, cederetq; triumpho omniū Martyrum, qui omnes Gentilium Deos, Christi Cruce subegerunt. Rectè itaq; Religiosi illi, Religionis Christianæ Præceptores, demoliti sunt Idolorum aras, & templa & simulachra confregerunt, *vt sic disperderent nomina Idolorum de terra, vt vltra non memorarentur. Zach. cap. 13.*

§. 11. Anno 1536. sub Garciæ Prouincialatu, acriter disputatum fuit, circa modum conferendi Baptismi Sacramentum, & demum coacto Concilio Prouinciali, ità decretum est. [Ex dispositione Illustrissimi Domini Proregis nouę Hispaniæ, in India, & Imperialis Consilij, terram istam gubernantis, aduocati, & electi conuenimus Episcopi de Sancto Dominico, & de Tlaxcala, & de Mexico, ad concordandum, & conformandum in Vnum Religiosos, Patres Ordinum Mendicantium, Coadiutores nostros in Conuersione, & instructione Indorum, iuxtà Apostoli præceptum, dicentis: Fratres, omnes id ipsum sapite, & non sint in vobis schismata. Quo circa voluntatem nostram, sententiam, & decretum, nostrorum nominum subscriptione communitum, hic expressimus, ab omnibus vniformiter obseruandum. Primò in omnibus Ecclesijs Parochialibus, Monasteriorum, & Eremitarum sint parata vasa baptismalia in locis decentibus, & sufficienti custodia munitis, quousque aliud decreuerint Episcopi. Secundò. quicumque deinceps Indi venerint ad Baptismum, priusquam baptizentur, cathechizentur, & exorcizentur. Tertiò, saliua, sal, candela, & capucium tribus, aut quatuor vtriusque sexus baptizandis administretur, & eis declaretur, quod ceremoniæ illæ ad Sacramenti solemnitatem pertinent, & non ad substantiam, vel necessitatem. Quartò, iuxta Ecclesiasticam Regulam, aqua priùs sanctificetur. Quintò, Sanctum Chrisma omnibus in capitis vertice ponatur, absque vllo scrupulo, quod tingat, vel vngat capillos; & oleum in spatulis, & super omnibus Viris adultis; in parte illa Corporis, vbi commodiùs, & honestiùs videbitur. Et hoc extra casum necessitatis, ab omnibus obseruetur vniformiter. Casum autem necessitatis hic non determinamus; sed arbitrio, & conscientię ministri huius Sacramenti relinquimus. Hæc deliberata sunt, & subscripta à nobis, in die S. Andręæ Apostoli, hoc est, vltima Nouembris 1536.]

§. 12.

§. 12. Huic autem Decreto, quod ex Ordinis regesto Vltramõtano exscripsit P. Wadingus, tom. 8. ann. 1536. addi debet post verbum, adultis, *pueris, & puellis: Feminis autem adultis*: Eique pariter sequentem, P. Franciscus Castillus, Prouinciæ S. Iacobi alumnus, Caroli V. Concionator, & Ordinis eo tempore Procurator Generalis, adiunxit annotationem. [Et quamuis isti Reuerendissimi Domini Episcopi non declarauerunt, qui sint casus necessitatum, in quibus præter Catechismum, & exorcismum cæteræ cęrimoniæ possint prætermitti; ad tollendam tamen omnem dubitationem, & contentiones quorundam, necessarium videtur, quod Sanctissimus Dominus noster hoc declaret, & maximè si multitudo baptizandorum, vbi ministrorum est paucitas, necessitatis casum faciat. Hoc enim nonnulli opinantur, cum legamus in Actis Apostolorum, B. Petrum, Apostolum, plures simul, non tamen ob aliam causam, baptizasse; & temporibus nostris Ecclesias Granatensem, & Valentinam, Saracenos, propter eorum multitudinem, absque cærimonijs baptizasse. Et hoc multorum virorum doctorum, vita, & moribus probatissimorum, consilio, & auctoritate decreuisse: periculosum eis nimis videbatur, propter solas cærimonias, quas aliundè, aut tempore Confirmationis poterant supplere, rem tam salutiferam, & necessariam, baptismum vtique, in pluribus corpore, & anima periclitantibus, in longum tempus differre. Hoc etiam decreuit, & obseruauit primus Episcopus Granatensis litteris, & sanctimonia probatus, post mortem multis clarus miraculis, qui etiam proprijs manibus, aliquos ex Saracenis, sine cęrimonijs, sine oleo, & Chrismate, baptizauit, & sic ab alijs faciendum statuit, decernens illa esse supplenda à se, & suis Coadiutoribus Episcopis, tempore Confirmationis. Cuius rei ego Fr. Franciscus Castillus, Procurator Ordinis Minorum, in Romana Curia, fui tunc, & sum nunc testis oculatus.] Quid tamen, circa hanc materiam administrationis Baptismi obseruatum extiterit, cum Mauris in Hispania, expediet plenius scire, ex historia super hac re congesta à prelaudato P. Wadingo, cuius ad ann. 1525. hæc sunt verba.

§. 13. Nongentis fermè annis aliqua ex parte gemuerunt Hispani, sub graui, & inhumano Maurorum iugo, & si verò paulatim se in pristinam asseruisse libertatem, à deuictis nihilominus inimicis, semper erat timendum. Nè itaque hi timerentur, aut fouerentur in sinu serpentes, decretum fuit, ante aliquot annos, vt Mauri omnes, vel in alienas terras migrarent, vel fidem profiterentur Christianam. Illi exilium declinaturi, Baptismum susceperunt, sed nihil prioris vitæ deposuerunt, clam, & vbicumque licebat, Ritus exercentes Mahumetanos. Grassabatur hæc Christianæ Religionis iniuria, in Regno potissimùm Valentino, in quo Maurorum copiosior erat numerus, & obstinatior perfidia. Monuerunt Prælati Ecclesiastici, Clem. VII. & Carolum V. periculi, quod proximè imminebat Regni perdendi, & fidei Christianæ subuertendæ: nihil enim non excogitabant occulti hostes, in perniciem Christianorum, quorum plurimos etiam suis Ritibus infecerunt. Clemens datis Litteris 12. Maij anni 1524. Cæsari persuasit vt tantis malis occurreret, & consultis Inquisitoribus curaret, mitti Prædicatores per Aragoniam, Valentiam, & Cataloniam, qui Agarenis fidem explicarent Christianam, & terminum præscriberent suscipiendi Baptismi; quem si respuerent, vel ab vniuersa exularent Hispania, vel seruilibus deputarentur ministerijs.

§. 14. Re maturè considerata, & perpenso periculo tantæ multitudinis compellendæ, executionem aliquantisper distulit Cęsar, tum bello Italico, tum funestis Germanię motibus, distractus; donec tandem hoc anno, Madriti, pręcipuos Regni Consiliarios, & Viros doctos rei amplius examinandæ, & perficiendæ congregauit; Kalendis Martij, in Cænobio S. Francisci coierunt Consilium Regium, Castellæ, Aragonicum, Sanctæ Inquisitionis, Ordinum Militarium, & Indiarum, atque vndique vocati Theologi famæ celebrioris. Inter hos, non parum emicuisse Antonium de Gueuara, Minoritam, Cæsareum Historicum, & Ecclesiasten, recenset Prudentius Sandoualius, Gueuaræ, in scribendis gestis Carolinis, successor. Protracta est consultatio per dies viginti duos, & postremò ad confessum

venit ipse Carolus, auditurus ab Alphonso Manriquez, Archiepiscopo Hispalensi, summo in Caufis Fidei Præside, quæ in re tanti momenti, erant decernenda. Ea fuit omnium sententia, vt qui sacris aquis fuerant intincti, ad Christianæ Fidei professionem compellerentur; & qui Baptismum nondum subierant, circa fidei mysteria instruerentur, & mox baptizarentur; si qui verò pertinaciter renuerent, vel extra Regnum fierent, vel intra Regnũ seruilibus deputarentur ministerijs.

§. 15. Delecti sunt ardui operis Commissarij, Gaspar de Aualos, Episcopus Guadicensis, cui prædictus Gueuara in Pontificatu successit: N. Escatmierus, Cataloniæ Consiliarius, Ioannes à Salamanca Ordinis Prædicatorij, & Gueuara Minorita. Magnas illi passi difficultates, Mauris detrectantibus Cæsaris obedire mandatis; donec tandem post aliquot menses in montanis Spadani, & Berniæ, quo confugerant, debellati, ad baptismum suscipiendum sunt inducti. Solus Gueuara viginti septem millia familiarum (adeò numerosa erat illa impia Colluuies) baptizauit, vti ipse refert in Epistola ad Garziam Sanchez, quæ habetur in secunda parte familiarum. Ità consultum fuit hoc anno Regno, Maurisque Valentinis: sed & anno sequenti non dissimiliter consulendum fuit Granatensibus, qui licèt baptismum ante annos viginti septem, cura, & industria Francisci Ximenij, Archiepiscopi Toletani, suscepissent, pauci in fide perstiterant. Ad hos etiam missi, supradicti Episcopus Guadicensis, & Gueuara, cum alijs duobus, quorum consilio indictus fuit grauissimus Prælatorum consessus, Granatæ, vbi tunc erat Imperator, cautumque fuit, optimis præscriptis legibus, vt qui Christi Charactere in Baptismo fuerant insigniti, etiam fidem ab eo traditam profiterentur; & reliqui ad Religionis Christianæ consortium, quibus liceret modis, attraherentur.]

§. 16. Factum hoc fortassis non approbabũt omnes (inquit Wadingus *tom.* 8. *ann.* 1525. *n.* 8.) præsertim fermè violentam illam Maurorũ, suscipiendi baptismi coactionem. Et si enim vniuersi conueniant Theologi, & Canonici Iuris interpretes, in illa Concilij Toletani quarti doctrina, quam Innocentius Tertius grauissima Decretali, *cap. Maiores: de Baptismo*: Arelatensi Archiepiscopo sequendam præscripsit, circa compellendos ad Christianæ fidei professionem eos, qui baptismum quantumuis coacti, sed volentes susceperunt; ægrè tamen plurimi admittent primam illam coactionem ad baptismum; quam per eiusdem Concilij, prædicti Innocentij, & repetita Iuris Canonici decreta, censent interdictam. Attamen alij non infimi nominis viri, neque lege diuina, neque naturali eam prohiberi, imò persuaderi existimant; quam etiam, lege Ciuili plurium Imperatorum, quos Ambrosius *Epist.* 30. & Augustinus *Epist.* 48. *&* 50. collaudant, dicunt fuisse præscriptam. Et quidem Visigothi in Hispania seuerissimas tulerunt leges in Iudæos, nolentes se, vel filios, aut famulos baptizari. Sed & Sisebutus Rex, qui flagellis, decaluatione, exilio, & bonorum mulcta, coegit Iudæos, vt ad fidem venirent Christianam, *Religiosissimi Principis* encomio celebratur à Patribus Concilij Toletani, neque vllo verbo indicatur, eius decretum fuisse iniquum; quod Viri docti peculiariter obseruarunt.

§. 17. Videndus Augustinus *Serm.* 33 de Verbis Domini, in illa verba Luc. c. 14. *Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc*: quæ licèt de hæreticis exponat; pari tamen ratione ad alios Infideles possunt extendi. Consulendus etiã est Epistola 50. citata, & magnificanda ista eiusdem, quam subiungo doctrina. *Meliùs est quidem ad Deum colendum doctrina homines duci, quam pœnæ timore, vel dolore compelli; sed non quia meliores sunt, ideò illi, qui tales non sunt, negligendi sunt: multis enim profuit (quod experimentis probauimus, & probamus) priùs timore, & dolore cogi, vt postea possint doceri*. Legendus Ambrosius citatus, & Gregorius *lib.* 3. *epist.* 20. ad Calaritanum Episcopum, quem repræhendit, quod Paganos in sua Diæcesi pateretur, iubetque, vt ad fidem modis omnibus, etiam pœnis, & vexationibus, illos adducat. Sufficientissimè tandem Caroli factum commendari potest, tum ex circumstantijs grauissimis periculi rebellionis, Regni perdendi, & fidei subuertendæ;

tum

tum maximè, ex Clementis VII. quod supra diximus, constituto; & demum ex consilio celeberrimorum totius Hispaniæ Virorum. Rem omnem disertè narrant, ritèque factam probant duo Viri docti, Ordinis Prędicatorum, Iaimius, siue Iacobus Bleda, & Damianus Fonseca. Ille in Chronicis Maurorum Hispanię, iste in Historia expulsionis eorundem sub Philippo III. doctèque respondent ijs, quæ obijci possunt, siue ex doctrina S Thomæ, siue ex Iure Canonico. Inter Scholasticos, videndus præ reliquis Petrus de Lorca, Cisterciensis *in 2.2.q.10.art.8. disput. 36.* qui pro more suo, difficultatem istam doctissimè expendit: ex cuius enodatione non pauca desumi, quę valent applicanda conuersioni Indorum.

§. 18. Ad quam commodiùs, & facilius promouendam, Minoritæ, anno 1536. in Vrbe Mexicana, Collegium in suo fundarunt Cęnobio, præcipuo authore, & Curatore Fr. Petro Gandauensi, Grammaticæ instituto professore, Fr. Arnoldo de Bassacio, Gallo, erudito Viro, linguæ Mexicanæ perito, Antonius item de Mendoza Prorex (erga Indos summè misericors, benignus, & beneficus, proptereà à multis vocatus Indorum Patronus, & Pater) acceptis à Rege Carolo litteris, vt pueris Indorum excolendis, atque in re politica, & litteraria instruendis, curam omnem impenderet, videnſque plurimum adolescentum sub Fratrum disciplina in virtute, & littensprofectum, & incommodum, ac perturbationem, quam ex tot puerorum concursu, & frequentia, Religiosi patiebantur. Regijs sumptibus ædificauit in ea Vrbis regione, quę Tlatilulco vocabatur, Collegium capacissimum, sub Titulo S. Crucis, propè alterum Cænobium eorumdem Fratrum, S. Iacobi Apostoli nuncupatum, cuius Guardiano curam, & Præfecturam dicti Collegij voluit commissam. Addidit insuper annuos census, & quidquid tanto operi erat necessariū: præscripsitque conditiones, & ætates eo in loco admittendorum, quos ex præcipuis familijs, Vrbibus, & nationum Emporijs, voluit assumi. Breui tempore per Fratres, qui per Mexicanas Prouincias erant distributi, collecti sunt vltra centum iuuenculi, qui solemni incessu, processionali ritu, deducti sunt à Cænobio maiori S. Francisci, ad Collegium, Comitantibus Prorege, Episcopis Mexicano, & S. Dominici, & vniuersa fermè Ciuitate. Priusquam è Templo S. Francisci discessissent, sermonem habuit Franciscus Ceruantes, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis; alterum, Fr. Alphonsus de Herrera, vbi peruentum est ad templum S. Iacobi, tertium in triclinio Fratrum, in quo manducauerant Prorex, & Episcopi.

§. 19. Optimis præscriptis legibus, communi victu, eademque sub Veste externa, ducari cæperunt pueri. Magnis in aulis dispositis lectis, plures dormiebant, accensa semper lucerna, & præsente cubiculi Præfecto. Arculam habebat vnusquisque pro recondendis libris, & panniculis, obseratam. Matutinas preces Officij B. Mariæ Virginis simul recitabant, antequam irent cubitum; reliquas horas summo manè, & in Festiuitatibus cantabant hymnum *Te Deum laudamus*. Expletis horis, audiebant Sacrum, mox incumbebant studio. Diebus festiuis assistebant Missæ Solemni Fratrum, & Vesperis, & seruiebant in Altaris ministerio. Post prædictum Bassacium, Lectores habuerunt Gramaticæ, Bernardinum Sahaguntinum, per quatraginta annos, & Andræam de Vlmis Rhetoricæ; Logicæ, & Philosophiæ, Ioannem de Gaona, Franciscum de Bustamante, & Ioannem Fucherum, omnes, præter vltimum, linguæ Mexicanæ insignitèr peritos, in qua perutiles libros ediderunt. Prodierunt ex hoc Collegio multi florentis indolis viri, qui Reipublicæ, suæque nationi vtilem, & honorificam operam præstiterunt, Huic tamen laudabili operi, plerique ex Hispanis, offendicula posuerunt, dicentes: non illius esse capacitatis Indos, vt tanti deberet constare illorum doctrina; magnumque sub esse periculum errorum, & hæresis, si ad altiores Scientias capessendas promouerentur. Plenè tamen his obiectionibus satisfecerunt Fratres, & qui inde prodibant viri, & virtute, & doctrina præstantes, reipsa probabant indignè suam traduci Nationem.

§. 20. In tanta verò messe, & operariorum paucitate, quanta erat cum primùm missi sunt Franciscani ad Prouin-

uincias Mexicanas, vt vitæ pietate, ac doctrinę efficacia numerosissimas Vrbes, & Oppida ad fidē attraherent Christianam; diximus aliàs non potuisse omnibus Baptismum conferri, ea solemnitate, quam præscribunt libri Rituales Romani, & Catholicæ gentis Europeæ fert consuetudo. Etenim, præter quamquod in ipsa Mexicana Vrbe, omnium præstantissima, magno feruore ad fidem, & Sacrum Baptismum accedebant Ciues, vicini etiam populi illùc confluebant, vt eiusdem gratiæ fierent participes. Deinde in nationum primarijs Vrbibus, ad quas maiori conuersionis compendio, & gentis commoditati Fratres ex Mexicana prodibant, ea congregabantur multitudine, vt neque tempus, neque vires tam numeroso sufficerēt Baptismati. In Mexicano, & Oppidis, ac Villis in circuitu positis, Xuchimilco, Tlalmanalco, Chalco, Quauhnahuac, Yacapichla, Quauhquechula, & Chietle vltrà vnā myriadē Baptizarunt primi illi gentiū Doctores Minoritæ. In Tetzcuco, Otumpano, Tepepulco, Tulantzinco, Quauhtitlano, Tulla, & Xilotepeto, alterum non imparem numerum. In Tlaxcalla, Cholulla, Huexotzinao, Calpano, Tepeyacac, Tehuacan, Teclatan, Hueytlalpan, cum adiectis Prouincijs, aliam myriadem. Et ne prolixior, molestiorque sim in referendis ignotis, barbatisque nominibus, in alijs illius regionis partibus, plusquam tres myriades, Sacro abluerunt lauacro; itaut ab illorum ad Indias accessu, vsque ad annum 1539. ferme septem infidelium milliones, hoc beneficio, omnium maximo, Sacerdotes Minoritæ sexaginta, paulo plus, minusue Christi Ecclesiæ aggregarint.

§. 21. Hoc autem modo tantæ fiebat satis multitudini, Congregatis in amplissima area Baptizandis, & per suas classes distinctis, ministri incipiebant ab Infantibus, quorum tribus, aut quatuor Baptismus completè conferebatur, ritu, & Cærimonijs Romanis. Deinde reliqui aquis intingebantur, sola adhibita forma Sacramenti. Mox fœminis, deinde viris, eodem modo ex singulis ordinibus Baptizatis, ternis, aut quaternis ministrabatur Sacramentum, aqua in verticibus effusa. Omnibus masculis vno, eodemque die Baptizatis, imponebatur nomen *Ioannis*, fœminis *Mariæ*. Qui alio die Baptizabantur *Petri* accipiebant nomen, Mulieres *Catharinæ*, & sic per singulos dies nomina variabant ministri Euangelici, habita præsertim ratione, & delectu Sanctorum, quorum Natalitia diebus illis colebantur. Tot conueniebant aliquando Baptizandorum millia, vt integro die, alijsque sequentibus, continuò laborandum fuerit, & Ministrorum vires defecerint, ac fesso brachio vno, altero subuenire opportuerit, atque ita frequenter vtriusque brachij vices alternare.

§. 22. Fuerunt tamen, qui laborem hunc improbarent, & ministrandi Sacramenti, modum incusarent. Contendebant enim, non nisi adhibitis cunctis Ecclesiasticis cęrimonijs, Salis, Saliuæ Candelæ, Chrismatis, alijsque huiusmodi, Baptizari debere infantes, & adultos non nisi Sabbatis Resurrectionis, & Pentecostes. Franciscani, qui primi fuerunt tantæ conuersionis, & ablutionis Ministri, dicebant, in tanta Conuersorum multitudine, hæc adamussim obseruari non posse, & proinde cærimonialia omitti posse, licere, vt essentialia pluribus applicarentur. Addebant, in sola Xuchimilci Vrbe, Baptizatos fuisse vno, eodemque die à binis Minoritis, quindecies mille homines, quibus per tot ritus initiandis, neque tempus, neque Chrisma sufficere posse; sed neque Ministris tantam effluere saliuam, etsi ad singulas horas epotarent. Attamen eo processit contentionis Studium, vt neque prisca Exorientis Ecclesiæ Baptismata, absque huiusmodi ritibus collata, quæ aspersionis nomine Tertullianus expressit, neque Exempla Petri Apostoli, neque Pauli, & Barnabæ, neque aliorum Apostolorum, qui per Nationes, & Regna circuibant, aqua dumtaxat, & verbis abluentes; neque Philippi Diaconi, qui Candacis Reginæ Eunuchum, simpliciter intinxit; neque Maurorum Granatensium, aut Valentinorum, de quibus aliàs dictum est, festina, & compendiosa initiatio, sufficerent, vt à controuersijs, altercationibus, & ferendis censuris, abstinerent,

qui

qui Maiestate, non simplicitate commendari Sacramentum; qui cærimonijs ornari, non spoliari cupiebant. Et quidem tanta fuit inter Ministros de hac re disputatio, vt decernendæ plurima fuerit in Indijs consultatio, mox in Accademijs Salmaticensi, & Complutensi, demum Romæ à Paulo Pontifice hæc prodierit Constitutio, quæ regenerationis modum à Franciscanis eatenus obseruatum, admittit; quid in posterum faciendum sit, præscribit, & quæ circa Matrimonia, ieiunia, dies festiuos colendos, & casus Apostolicæ Sedi reseruatos tenendum sit, distinctè pronuntiat.

§. 23. Paulus Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus, Vniuersis Episcopis Occidentalis, & Meridionalis Indiæ, salutem, &c. Altitudo Diuini Consilij (quod humana nequit ratio comprehendere) ex suæ immensæ bonitatis essentia, aliquid semper ad humani generis salutem postulans, tempore congruo, & soli suo secreto ministerio, (quod ipse Deus nouit) opportuno producit, & manifestat, vt cognoscant mortales ex suis meritis, tanquam ab ipsis, nihil proficere posse; sed eorum salutem, & omne donum gratiæ ab ipso summo Deo, & Patre Luminum prouenire. Sanè, cum sicut (non sine grandi, & spirituali mentis nostræ lætitia) accepimus, quod plures incolæ Occidentalis Indiæ, licèt Diuinæ sint legis expertes, Sancto Spiritu tamen cooperante illustrati, errores, quos hactenùs obseruarunt, pœnitùs ab eorum mentibus, & cordibus abiecerint, ac fidei Catholicæ veritatem, & S. Ecclesiæ vnitatem amplecti, & secundum Ritum eiusdem Romanæ Ecclesiæ viuere desiderent, & proponant.

§. 24. Nos, quibus omnes oues diuinitus sunt commissæ, cupientes eas, quæ extra verum ouile (quod est Christus) sunt, ad ipsum ouile, vt fiat ex illis vnus Pastor, & Vnum Ouile, perducere, ac Sanctissimorum Apostolorum, qui nobis verbo, & exemplo Pastoralis Officij formam tradentes, nascentis Ecclesiæ infantiam lacte, prouectam verò eius ætatem, solido cibo nutrierunt, vestigijs inhærendo, nouellas plantationes ipsius Ecclesiæ, quas in dicta Occidentali, & Meridionali India Altissimus plantare dignatus est, sic donec coalescant, vt non omnia, quæ per Orbem, Ecclesia iam firmata custodit, illis custodienda mandemus, sed tanquam paruulis in Christo, aliqua, Paterno affectu, indulgeamus, confouere. Ac circa eorum regenerationes, nonulla (vt etiam accepimus) suborta dubia, primitùs submouere volentes, matura super hoc deliberatione præhabita, authoritate Apostolica, nobis ab ipso Domino Nostro Iesu Christo, per Beatum Petrum, cui, & Successoribus suis Apostolatus ministerij dispansationem commisit, tradita; tenore præsentium decernimus, & declaramus, illos, qui Indos ad fidem Christi venientes, non adhibitis cærimonijs, & solemnitatibus ab Ecclesia obseruatis, in nomine tamen Sanctissimæ Trinitatis baptizauerunt, non peccasse; cum consideratis tunc occurentibus, sic illis, bona ex causa putamus, visum fuisse expedire.

§. 25. Et, vt huiusmodi nouellæ plantationes, quantæ dignitatis lauacrum regenerationis, quantumque ab illis lauacris, quibus antea in sua infidelitate vtebantur, differat, non ignorent, statuimus, vt qui in posterum extra vrgentem necessitatem Sacrum Baptisma ministrabunt, ea obseruent, quæ à dicta Ecclesia obseruantur, oneratis super tali necessitate conscientijs eorum, extra quam quidem necessitatem, saltem hæc quatuor obseruentur. Primùm, Aqua Sacris actionibus Sanctificetur. Secundùm, Cathechismus, & Exorcismus fiat singulis. Tertiùm, Sal, Saliua, Capillum, & Candela ponatur duobus, vel tribus, pro omnibus vtriusque sexus, tunc baptizandis. Quartùm, Chrisma ponatur in vertice capitis, & Oleum Cathecumenorum ponatur super os viri adulti, puerorum, & puellarum. Adultis verò mulieribus ponatur in illa parte, quam ratio pudicitiæ demonstrabit. Super eorum matrimonijs, hoc obseruandum decernimus, vt qui ante conuersionem plures, iuxta illorum morem, habebant vxores, & non recordantur, quam primò acceperint, conuersi ad fidem, vnam ex illis accipiant, quam voluerint, & cum ea matrimonium contrahant, per verba de

præsenti, vt moris est. Qui verò recordantur, quam primò acceperint, alijs dimissis, eam retineant. Ac eis concedimus, vt coniuncti etiam in tertio gradu tam consanguinitatis quā affinitatis nō excludantur à Matrimonijs contrahendis, donec huic Sanctæ Sedi super hoc, aliud visum fuerit statuendum.

§. 26. Et circa abstinentiam ab illis suscipiendam, etiam statuimus, quòd in Vigilia Natiuitatis, & Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, & omnibus sextis ferijs Quadragesimæ ieiunare teneantur. Cæteros verò ieiuniorum dies eorum beneplacito, propter nouam ad fidem eorum conuersionem, permittimus. Ità quod ieiunium repugnans sanitati, vel non benè quadrans officio, vel exercitio alicuius, non censeatur illis ab Ecclesia præceptum. Eisque etiam concedimus, quod Quadrages. & alijs prohibitis anni temporibus, Lacticinijs, Ouis, & Carnibus, tunc temporis dumtaxat vesci possint, cum cæteris Christianis, ob aliquot Sanctum opus obeundum, similibus cibis vesci posse à Sede Apostolica pro tempore fuerit concessum. Dies autem, in quibus eos volumus è seruilibus operibus cessare, declaramus esse omnes dies Dominicos, ac Natiuitatis, Circuncisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & Ascensionis, ac Corporis eiusdem Domini Nostri Iesu Christi; & Pentecostes, nec non Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, ac Assumptionis Gloriosæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, ac eiusdem B. Petri, & Pauli, eius Coapostoli. Cæteros verò dies festos, ex causis supradictis, illis indulgemus.

§. 27. Et insuper considerantes maximam ipsius Indiæ Occidentalis, & Meridionalis à Sede Apostolica distantiam, tam vobis, qui in partem Apostolicæ sollicitudinis assumpti estis, quam ijs, quibus vices vestras, authoritate per Nos vobis super hoc concessa, specialiter duxeritis committendas, omnes nouiter conuersos prædictos in quibuscumque Sedi Apostolicæ reseruatis casibus, etiam in litteris in die Cœnæ Domini legi consuetis (nihil nobis de illorum absolutionibus reseruantes) auctoritate Apostolica, iniuncta eis pænitentia salutari, in forma Ecclesiæ consueta, prout prudentiæ vestræ videbitur expedire, absoluendi plenam, & liberam à dictæ Sedis beneplacito facultatem concedimus. Et postremo, ne in Christo paruuli, malis exemplis corrumpantur, quod aliquis Apostata ad illas Partes se conferre non præsumat, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, à qua, nisi post suum istinc recessum absolui nequeat, decernimus: Vobis nihilominus iniungentes, vt ipsos Apostatas ex vestris Diœcesibus omninò expellatis, & expellere satagatis, ne teneras in fide animas corrumpere, & seducere possint. Et quia difficile foret præsentes litteras nostras ad singula loca, vbi opus fuerit, deferri: volumus, & eadem auctoritate Apostolica decernimus, quod ipsarū litterarū transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Episcopi munitis, eadē fides prorsus in iudicio, & extra iudiciū adhibeatur, sicuti adhiberetur Originalibus litteris, si forēt exhibitæ, vel ostensæ. Nō obstātibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M.D.XXXVII. Kalend. Iunij Pontificatus nostri ann. III.

§. 28. Aliam edidit hoc anno Paulus Constitutionem contra eos, qui Indos, quos summa cura, & pietate Ministri Euangelici ad fidem conuertebant, incapaces dicebant Sacramentorum: temerèque impediebant Religiosos viros, ne illis ea ministrarent, Verbum Dei prædicarent, aut ad Ciuilem viuendi rationem perducerent. Huic irrationabili modo, cum hominibus agendi, obuiare volens Paulus, ita decreuit: [ Vniuersis Christi fidelibus, præsentes litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Veritas ipsa, quæ nec falli; nec fallere potest, cum Prædicatores Fidei ad officium prædicationis destinaret, dixisse dignoscitur; Euntes docete omnes gentes. Omnes dixit, absque omni delectu, cum omnes fidei disciplinæ capaces existant. Quod videns, & inuidens ipsius humani generis æmulus, qui humanis operibus, vt pereant, semper aduersatur, modum excogitauit, hactenùs inauditum, quo impediret, ne Verbum Dei gentibus, vt salui fierent prædicaretur, ac quosdam suos satellites commouit, qui suam cupidi,

piditatem adimplere cupientes, Occidentales, & Meridionales Indos, & alias gentes, quæ temporibus istis ad nostram notitiam peruenerunt, sub prætextu, quod Fidei Catholicæ expertes existant, vti bruta animalia illis seruientia vrgeant.

§. 29. Nos igitur, qui eiusdem Domini nostri vices, licèt indigni; gerimus in terris, & oues gregis sui nobis commissas, quæ extra eius ouile sunt, ad ipsum ouile toto nisu exquirimus, attendentes Indos ipsos, vt potè veros homines, non solum Christianę Fidei capaces existere, sed vt nobis innotuit, ad fidem ipsam promptissimè currere: ac volentes super his congruis remedijs prouidere, prædictos Indos, & omnes alias gentes ad notitiam Christianorum in posterum deuenturas; licèt extra fidem existant, sua libertate, ac rerum suarum dominio priuatos, siue priuandos non esse, imò libertate, & dominio huiusmodi vti, & potiri, & gaudere liberè, & licitè posse, nec in seruitutem redigi debere, ac quidquid secus fieri contigerit, irritum, & inane: ipsosque Indos, & alias gentes Verbi Dei Prędicatione,& exemplo bonæ vitæ, ad dictam Fidem Christi inuitandos fore, auctoritate Apostolica per pręsentes litteras decernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ anno 1537. quarto nonas Iunij, Pontificatus nostri anno III.]

# DISTINCTIO VII.

*Expenduntur Actus Vitæ Euangelicæ, & Fructus Prædicationis Apostolicæ, quibus primi noui Orbis Missionarij, Minoritæ, ad Sanctam æmulationem excitant recentiores.*

## §. I.

MODVM enarrantes Gonzaga, Sedulius, Wadingus; Martyrologium, ac Menologium Seraphici Ordinis quo se gesserunt,in primordijs illius magnæ partis Ecclesiæ, primitiui, ac maximi nominis Minoritæ,Missionarij præxelati, inter alia commemorant; quod illi, iuxtà *professæ Religionis Officium*, audita deputatione, lætissimè ad iter se accingentes, spem omnem in mittentis reponebant virtute. Considerabant siquidem Prælatum suum, non tanquam hominem, sed loquentem in ipso Christum, pro cuius amore se illi subiecerant. *Hæc est propria hominis obedientia* (inquit S. Bernardus serm. de obedientia) *quam homini debemus, qui homini subditi sumus. Communis est ista inter Deum, & hominem, quia quic quid obedientia Prælatis exhibetur, ei exhibetur, qui dicit. Qui vos audit, me audit.* Licèt ad nouum belli genus destinarentur, & insolitum præliandi morem pensitarent (cum illos Prælatus absque vllis subsidijs humanis, ad efferas gentes, & longinquas Regiones *nudos mitteret, vna indutos tunica, sine calceis, absque Virga, & absque Zona, & Pera, & ab excipientibus, imò à contradicentibus ali prætenderet*, vt scripsit Chrysostomus homil. 34. in Matth.) & ampliùs cogitarent se inermes, imparatos, iniurijs quibusque obnoxios, mitti sicut oues in medio Luporum; non tamen animum dependent, nec Superioris Ordinationi resistunt. *Auida est*, iuxta Senec. lib. 4. de Prouid. cap. 4. *periculi virtus, & quo tendat; non quid passura sit, cogitat, quoniam, & quod, & passura est, gloriæ pars est.*

§. 2. Præcipuum autem adhibuerunt studium, & laborem, circa pietatem, & Dei Venerationem infundendam, atque hinc illis consuetudo, omnia,

nia, quæ huc spectabant, in conspectu puerorum faciendi. Dum erant in Domibus, & Seminarijs, seu Collegijs antea descriptis, in capite aulæ maximæ, è quo per aulas minores conspiciebantur, Sacra peragebant, Diuinum psallebant Officium, Orationi, & Meditationi vacabant, in Crucis formam brachia extendebant, flagris se cædebant in tenebris, alijsque se macerabant corporis cruciatibus. Neque infructuosus fuit omnis iste Magistrorum labor, dum numeroso prouentu correspondebant pueri litteris, moribus, pietate, musica, alijsque artibus breui tempore, vltra quam credi potest, exculti. Eam insuper conceperunt erga suos instructores fidem, & amorem, vt quidquid Genitores in rem Christianam peccabant, ad se ipsos deferrent, & Idola secretis commissa latibulis, comminuenda propalarent. Nulli parcebant labori boni Viri, die noctuque vigilantes super tenellum suum gregem, cupientes, vt quam primû ex scholis istis prodirent, qui alios edocerent.

§. 3. Ea vitæ parsimonia, & rerum omnium contemptu, opus hoc Apostolicum aggressi sunt, vt animabus curandis, non auro, vel Argento cotrahendis, se aduenire fecerint compertum. Quando Apostolos Christus miserat prædicatum, vetuit, vt legimus apud cap. 10 Matth. *Ne possiderent aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta*; vt docerent, Verbi Dei Ministros à rebus, & affectibus mundanis longè alienos esse debere, ne viderentur non causa salutis prædicari, sed lucri. *Quid enim* (aiebat Cgrysostomus homil. 18. in Matth.) *non suspectum est, vbi quis pecuniarum gratia, spiritualia dispensat*? Virgam etiam *per quam* (iuxta Lyranum) *intelligitur appetitus nimium dominandi*, ferri prohibuit, ne, dicerentur Regna prædicare Cælestia, & surripere terrena. Insatiabilis illa cupiditas auri, & effrænis imperandi libido, quæ in militibus, & Ducibus præcesserat, nomenque Christianum exosum Gentibus effecerat, corrigenda erat, tanta rerum omnium nuditate, vt propè necessaria amputanda essent, si Euangelij veritatem, in tanta Indiarum commotione, & Incolarum exacerbatione, vellent persuadere.

§. 4. Adeò porrò hi Euangelici viri, à rerum cupidine abstinuerunt, corporumque curam neglexerunt, vt solis plangentulis è Mayzio, farte Indico, ac Chille, cerasis syluestribus, tunis (ficus Indicas vocant Europæi) confectis, pro cibo; aqua pro potu vterentur. Carnes verò, & parcissimè commedebant. Lacera plurimum, & absoleta incedebant veste, quam varijs resarciebant Tegmentis, ita in plures producentes annos habitum religiosorum, quem ex Hispanijs asportarunt. Nullum calceamenti genus, neque Sandalia ferebant, nudis omninò pedibus incedentes. Pro lectis storeas, pro ceruicalibus ligna, aut manipulos sternebant ramorum, siue aridarum herbarum, palliola dumtaxat pro coopertorijs obducentes. Somnum excipiebant, non extensò corpore, sed contracto, sedentium more, muris innixi, vt esset parcissimus, minùsque sentirent, ad opus consurgere; Fructu vacuum, & inane reputantes tempus omne, quod extra cultum Dei, aut proximorum transigebant salutem. Tuguriola, humilesque incolebant casas, nihil inferentes superfluum, aut prætiosum, solius Ecclesiæ nitorem procurantes. Orationi instantes, corpus flagellis, varijsque macerabant cruciatibus, nulli dantes offensionem, erga omnes benigni, & mansueti. Extra domum, summa incedebant modestia, oculos erga nullum, absque necessitate leuantes. Vbi occurrebant Cruces, aut Sacræ Imagines, ab ipsis studiosè ijs locis, & viarum compitis, atque angulis, in quibus Gentiles, Deos lares, ac pænates colebant, erectæ, orabant, & adorabant spectatoribus ostendentes, quanta reuerentia diuinarum rerum typis erat occurrendum. Horas Canonicas, piarumque orationum pensum, mira persolvebant religione, distincta, & canora voce, debitaque, vbi opus erat morula, cuncta interpungentes.

§. 5. Huiusmodi vitæ genus Indos, aliàs in vitia pronos, mirum in modum excitauit, vt Diuinum quid in hominibus latere cogitarent, tractique funiculis pietatis, & in vinculis charitatis, in eorum prorsus se effuderunt amicitiam, & reuerentiam. Dei seruos plurimum af-

flige-

affligebat impotentia suos affectus erga innocnam, creditamque sibi gentem explicandi, & rogabant Dominum messis, qui linguas infantium facit esse disertas, vt illorũ linguas erudiret, vel idioma infunderet, quo eius iustificationes, & mandata docerent. Ante annum vnum varijs loquebantur linguis, iuxta variarum Regionum, quæ sibi contigerant, distribntiones. Primi verò Mexicanam multo studio, & labore apprehenderunt Ludouicus à Fuensalida, & Franciscus Ximenez, qui Grammaticam, aliosque libros huius idiomatis euulgauit. Acquisito, vel cælitus infuso, vbi cæperunt loqui, vndique cæperunt discurrere, Deum verum edicere, falsos detestari, discipulos aggregare, puerorum instituere Seminaria, ex quibus multi prodierant suorum gentilium Præceptores. Ab istis suis discipulis prima rudimenta, & vocabula linguæ acceperunt Religiosi magistri, rerum obuiarnm nomina interrogantes, singuli super suas classes, atque inuicem noctu conferentes quotas, qualesque voces die illo didicerant; in peregrina illa lingua facti quasi paruuli fluctuantes. Fuerunt inter paruulos duo, reliquis ingenio præcellentes, qui priùs Hispanum à Magistris hauserunt idioma, quam illi Indicum perceperunt. His adiunxerunt Religiosi viri alium, Hispanæ cuiusdam fœminæ filium, nomine Alphonsum de Molina, ex Indorum continuo consortio, illorum linguam mediocriter callentem, quem sibi à genitrice tradi, iubente Cortesio, tandem impetrarunt. Perseuerauit hic semper in Fratrum obsequio, præsertim in sermonum interpretatione, & domesticis officijs, donec ætate adulta habitum suscepit. Plurimum profuit gentis conuersioni, ad varios populos, secundum rerum exigentiam destinatus; mortuusque est iu bona senectute, in Conuentu Mexicano, postquam multos libros in illa lingua, erudiendis populis apprimè vtiles, ediderat, eisque per annos quinquaginta sacrum Euangeliũ annunciarat.

§. 6. Postquam Mexici primùm, deinde in alijs Vrbibus templa construxerunt, & Sanctissimam Eucharistiam feuerentèr exposuerunt, cæperunt Idola omnia obmutescere, nulla deinceps promentes oracula. Hinc imminutus honor Sacerdotum, & rara fiebant sacrificia, stupente primùm, mox despiciente populo muta simulacra. Et si verò dæmon spectris nocturnis, horrendisque apparitionibus, & præstigijs frequenter terreret, vt in consueta idolatria misellos contineret, parum, aut nihil profecit, declinante quotidie inanium Deorum cultu, ad veri Numinis conspectum, vti prostratum est Dagonis Idolum, Arca testamenti in templum introducta. Dispositis ità, flexisque vtcumque Indorum mentibus, videntes Religiosi, Regiones iam albas esse ad messem, vbi suos intelligere discipulos, & ab eisdem intelligi cæperunt, eorum operam adhibuerunt, vt ex ore infantium, & puerorum perficerent laudem Dei, & destruerent inimicum, & vltorem. Solidioris ingenij, & tenacioris memoriæ adolescentulos, cathechismi rudimenta, pias orationes Dominicã, salutationẽ Angelicam, Fidei articulos, Indico docebant idiomate, mox salutares exhortatiunculas, deinde breues aliquot sermones scriptos tradebant, quos memoriæ traditos, vt ritè, rectèque proferrent, diligenter instruebant. Ità instructos per Vrbem, Vicos, & Castella modò conducebant, modò cum prouectioribus mittebant; cumulatosque fructus reportabant, benedicente Domino, labores eorum, & dante incrementa semini, per innocuos pueros seminata. Insuper, vt faciliorem redderent Catechismum, & auribus gratiorem, per breues, & claros distribuerunt rhythmos Mexicanos, notis Musicis interpunctos, quos per reliquos inferioris notæ, & minoris capacitatis puerulos, publicè decantari faciebant per plateas, per forum, & loca publica, in quibus frequentiores videbantur populi congressus. Inuitati hoc concentu; accedebant turmatim viri, & mulieres, atque cum pueris concinentes, placido, & hilari modo, lac istud fidei sugebant, allectique cantus suauitate, & dicendorũ breuitate, paruo tẽpore integrũ possederunt catechismũ, abijtque in tantã consuetudinẽ hæc salutaris armonia, vt nihil aliud per Vrbes, & Oppida resonaret.

§. 7. His Innocentibus, & proficuis auxiliarijs, cæpit in immensum crescere numerus credentium, & propagari simul cum Religione Christiana, pariter, &

Franciscana. Singulis proinde domibus, quas sibi Fratres construebant, addebant puerorum Seminaria, in quibus præter diuinas instructiones; humanas litteras, ciuilia documenta, artificia etiam honestiora, & quæ ad bonam spectabant iuuentutis educationem, conductis aliquando artificum magistris, per distinctas cellas, & aulas accuratè docebant. Tanta Religiosorum humanitate, beneficijs, amoris indicijs, sacris munusculis allecti iuuenculi, tanta veneratione, & affectu eos prosequebantur, vt parentes, & cognatos obliti, in obsequio, & disciplina Fratrum constanter perstiterint, & promptissimè dictis obaudierint. Seminarium omnium, fermè primum, posuerunt in Vrbe Tlaxcallensi, Hispanis, & Religiosis amicissima, quo conuenerunt nobilium Filij, & ex Vicinis Oppidis innumeri. Fidem Christianam edocti, idolatriæ odio, & horrore cœperunt exardescere, eamque vbique licebat, extirpare. Sacrificulos summo studiò persequentes, cæcitatem, & ignorantiam exprobrabant, & ne populos decipere, atque in errores traducere deinceps persisterent, nisi malè perire vellent, commi-natoriè admonebant.

§. 8. Postquam optimi hi Christianæ messis operarij, cum exultatione primos, adiutorio discipulorum, reportarunt manipulos, statim ac ipsi variarum illarum Nationum linguas vtcumque didicerunt, cœperunt vbique indefessè prædicare, discurrentes per Pagos, & Oppida vicina, vno eodemque die septies, aut octies prędicantes, summo manè, & sub vesperam, modò in Ecclesijs, modò in spatiosis areis; siue Campis catechizantes, & baptizantes multas vtriusque sexus myriades. Præter hęc, ad singula charitatis opera promptissimi, nullam dabant suo Corpori requiem, modò infirmis ministrabant, modò assistebant morituris, pauperibus opitulabâtur: à Magistratibus, vel Hispanis oppressos, auxilio vndique conquisito subleuabant, nunc pænitentum confessiones excipiebant; nunc alia Sacramenta administrabant, non omittentes functiones domesticas, aut Chori Psalmodiam. Post tot vnius diei ministeria, quam tenuis lassati corporis refectio, expetendà erat ex Mayzij pane, herbarum, et aquæ prandiola. Misserat semel ad Patres Mexicanos Episcopus Zumarraga vini Hispani Vasculum in profesto Dominici Natalitij, Martinus Præfectus remisit dicens; illud tantum apud eos vinum admitti, quantum Missæ Sacrificio erat necessarium. Et cum aliàs idem Episcopus, Missionarijs magnum iter per suam diæcesim confecturis, lagenulas vini prępararet, rogauit indignabundus Martinus, ne per huiusmodi prętiosa fercula viam sterneret, aut ostium aperiret Fratribus emolliendis, aut relaxandis.

§. 9. Mirum profectò, & consideratione dignum, qualiter homines inopes, nudi, afflicti, in tanta rerum inopia, & ciborum parcitate, duris, longisque itineribus attriti, tot adire labores potuerint. Sed ardens amor proximi vrgebat, *Charitas omnia suffert, omnia substinet* 1. ad Cor. cap. 13. à qua, iuxta Apostoli ad Roman. cap. 8. *neque tribulatio, neque Angustia, neque fames, neque nuditas, neque periculum* poterat illos separare. *Omnia poterant in eo, qui illos confortabat. Quidni omnia possibilia sunt innitenti super eum, qui omnia potest?* aiebat Bernardus sermon. 85. in Cantic. ibi subiungendo *Nihil omnipotentiam verbi clariorem reddit quam quod Omnipotentes facit omnes, qui in se sperant.* Propter spem in ipso repositam, propter Christum quidem mortificabantur tota die, & facti sunt velut oues occisionis. *Sed in his omnibus superabant per eum, qui dilexit nos.* Aduertendum tamen ex Chrysostomo. ser. 15. in cap. 8. ad Roman. *quod non simpliciter superabant, sed plusquam superabant, hoc est cum omni facilitate citra sudores, ac labores, non enim molestias tolerantes, sed animum modò præparantes sic vbique trophæa contra hostes statuerunt.* Omnia vincit amor, præsertim Diuinus. Hoc ęstuantes igne viri isti Religiosi, patriam, parentes neglexerant; exierant de terra, & de cognatione sua, per tot maris terręque discrimina ad nouum mundum, nouas gentes, hactenus inauditas, perrexerant: illam linguam, quam non nouerant, audierant: Omnia laborum genera perpessi, ibant gaudentes, quoniam digni habiti extiterant pro fide Christi, ærumnas istas sufferre, & no-

nomen Iesu portare, coram gentibus, & Regibus, & vsque ad vltimos fines terræ.

§. 10. Eorum vestimenta pauperrima erant, & vilia, potiusque ad præsignandum suæ professionis statum, & vitandam nimiæ nuditatis indecentiam, quàm ad humanæ Vitæ commodum, vtebantur, concessis per suam Regulam, tanquam cilicijs asperrimis, vt sua corpora, ad Apostoli instar, redigerent in seruitutem Ministerij, quod assumpserant propter Crucifixum: memores sententiæ ipsius Pauli ad Galatas, cap. 5. dicentis: *qui autem sunt Christi, carnem suam Crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs.* Necnon imitantes Redemptorem, de quo Chrysostomus homilia 33. in Matthæum scripsit: *Antequam apparuisset Iesus, prædicabat eum Ioannes Baptista, vt facilè susceptibilis esset, vestimento innotescente, ità enim vili Veste annuntiabatur, forma communi, omnibus Christus, vt Samaritanæ meretrices, & Publicani, cum magno ausu, auderent ei appropinquare, & loqui.*

§. 11. Quot autem ex hac exemplarissima vita prouenerint fructus, circa conuersionem Indorum, deprehendi poterit ex Epistola Fr. Petri de Gant, seu Gandauensis, quam ipse ad Belgas direxit, cuius verba, transcripta à Gonzaga, Sedulio, & VVandingo sunt hæc. [Nati in hac Regione sunt homines optimæ complexionis, & naturæ: ad quod suis agendum parati, & maximè ad fidem nostram recipiendam. Verùm hoc habent mali, quod seruilis sunt conditionis, nihil agentes nisi coacti: amore autem, aut bonitate nihil; quòd tamen, non tam ex natura, quàm consuetudine procedere videtur; videlicet quia nunquam assueuerunt aliquid agere amore virtutis, sed solùm metu, & timore. Nam vniuersa eorum Sacrificia, quæ erant occidere proprios filios, aut eos mutilare; ex maximo timore fiebant, non Deorum amore. Dæmones enim huius Regionis, qui Dij ab eis reputabantur; tam multi, & varij erant, vt ipsimet eorum numerum ignorarent. Singulis rebus, singulos Deos constitutos esse credebant: Vnum huic rei, alium alij præpositum existimantes. Vnum appellant Deum ignis, alium Deum aeris, alium Deum terræ. Alium appellant colubrum, alium vxorem colubri: alium septem colubros, aliam quinque cuniculos; & ità de alijs sine numero. Maxima autem Deorum pars, nomina habet Colubrorum, atque Serpentium. Et alij quidem Dij sunt virorum, alij mulierum, alij puerorum, alij totius mundi. Et eorum vni Corda hominum sacrificabant; alteri humanum sanguinem; alijs filios suos, alijs Coturnices, alijs Passeres, alijs Thus, Papyrum, Cereuisiam, & alias huiusmodi materiam plurimas; iuxta varios ritus, & modos sacrificiorum, quos ipsi dæmones exigebant. Quod si ea, quæ ab illis exigebantur, illi non obtulissent: interficiebantur ab eis, & deuorabantur corpore simul, & anima.

§. 12. Atque ideò Dijs suis, qui veri sunt Dæmones, non ex amore, sed solo timore sacrificabant: certabantque hac ratione, alter alterū superare donis, ac Sacrificijs, vt mortem possent euadere. Habebant etiam Dij isti magnum numerum Religiosorum, vel Sacerdotum, sola Puerorum carne vescentium, & sanguinem eorundem bibentium, qui Sancti habebantur. Alij Deorum Sacerdotes vxores non habebant, sed earum loco pueros, quibus abutebantur: quod quidem peccatum, vsque adeò erat vulgare in his Regionibus, vt tam pueri, quam senes eo vitio essent dediti; imò pueri sex annorum, huiusmodi interdum labe erant infecti. Sed (benedictus Deus) aliam viam multi nunc cœperunt ingredi, se se ad Christianismum conuertentes, maxima deuotione baptisma postulant, confitentes peccata sua. Et baptizauimus ego, cum Socio Fratre meo in hac Prouincia Mexico, vltra bis centena millia: Imò adeò multos, vt mihi de numero constare non possit; Frequenter vna die baptizauimus quatuordecim millia hominum, interdum octo; singulę autem Prouincię, Loca, & Parochię modo habent sua Templa, & Sacella, tabulas pictas, Cruces, & Vexilla, maximum erga Deum amorem, & deuotionem attestantia. *Et quibusdam interiectis.*

§. 13. Sic laboramus in istorum Infidelium conuersione ad fidem, vnusquisque

que pro viribus, & Spiritu suo. Mihi est officium docere, & prędicare noctes; atque dies. In die legere, & scribere; simul & cantare doceo: nocte verò doctrinam Christianam, & sermones. Et quoniam terra ista est admodum magna, & populus infinitus, & Fratres euangelizantes pauci ad docendam tantam multitudinem: nos Fratres collegimus in domibus nostris filios Principum, & Magnatum huius Regionis, ad erudiendum eos in fide Catholica, qui postmodum Parentes suos instruunt. Nouerunt autem hi pueri legere, scribere, cantare, concionari, & Diuinum Officium, more Sacedotum, peragere, quorum puerorum ego in hac Ciuitate Mexico curam gero; suntque quingenti, aut plures: eò quod hæc Ciuitas sit Caput Regionis. Ex quibus pueris, circiter quinquaginta excellentioris ingenij segregaui, quos singulis hebdomadibus doceo singulatim, quid dicendum erit, & prædicandum Dominica sequenti. Singulis autem diebus Dominicis hi pueri exeunt Ciuitatem, & totam terram prædicando percurrunt, interdum ad quatuor, nonnunquam ad octo, vel decem, subinde ad viginti, & triginta milliaria, annuntiantes fidem Catholicam, & per doctrinam suam populum præparantes ad baptismum. Et nos cum ipsis circumeuntes, Idola destruimus, & templa eorum diruimus ex parte vna, & ipsi similiter faciunt ex parte altera, & templa Dei veri construimus. Hoc modo, & in hac occupatione tempus nostrum transigimus, quemuis laborem nocte, ac die substinentes: vt populum istum infidelem, tandem ad fidem Christi inducamus, &c.] *Data est epistola hac per Petrum de Gant. Mexici, ex Cęnobio S. Francisci, anno Domini* 1529. *Mensis Iunij vigesima septima die.*

§. 14. Alij prædictis consimiles fructus recensentur in epistola superiùs laudati Martini de Valentia, primi earum partium Vicarij Apostolici, quam scripsit anno 1531. (dum secundò Custos esset Custodiæ Sancti Euangelij) ad Commissarium Generalem Vltramontanæ Familiæ, sub hac verborum serie. [Reuerendissime, & Dignissimine Pater. Fr. Martinus de Valentia, Custodiæ S. Euangelij Custos, ac cęteri Fratres Ordin. Min. Regularis Obseruantiæ, in noua hac Hispania existentes filij, & subditi Reuerendissimę Paternitatis vestræ, fidelem ei obedientiam præstamus, eiusque manus osculamur. Nos quidem constituti sumus in extremis Mundi partibus, vbi Christi Euangelium à filijs, & subditis vestris primum cæpit prædicari, & noua fidei semina pollulare in arētibus antea Sulcis, quia riuos eius inebrians gratia salutari, in stillicidijs eorum multiplicauit genimina eius. Nam (verè loquor non hyperbolicè) plusquā decies centena millia Indorum sunt à filijs vestris baptizata, eorum quisque, prȩsertim illi duodecim, qui missi sunt vna mecum, plusquam centum millia baptizarunt. Et omnes, præter me, didicerunt linguam Indorum, imò varias linguas eorundem. Et prædicant eis, & instruunt innumerabilem multitudinem eorum. Et inter eos infantuli, & pueri Magnatum, & Nobilium filij, largam nobis spem præbent, qui à Fratribus nostris instruuntur in vita, & moribus, religiosè nutriuntur in nostris Cœnobijs, quæ iam ferè viginti condidimus, & in dies multiplicantur, & construuntur ab ipsismet Indijs feruida deuotione.

§. 15. Et habemus in habitaculis, contiguis nostris Conuentibus plusquam quingentos pueros, in quibusdam aliquando pauciores, in quibusdam verò plures, qui iam in doctrina Christiana sunt instructi, & prædicant filij Patribus suis, & in ambone publicè concionantur miro modo. Multi ex eis docent alios pueros, qui simul canunt horas Dominæ nostræ quotidiè, & surgunt eadem illa hora, qua Fratres, & in sua Ecclesia canunt seorsim matutinas, & canunt solemniter Missas. Sunt enim tenacis memoriæ, valdè dociles, & perspicaces; sunt pacifici, & inter eos nunquam est rixa, nec iurgium. Loquuntur submissa voce, oculis depressis. Mulieres fulgent incredibili honestate, & verecundia fæminea naturaliter inest eis. Confessiones eorum, maximè fœminarum, sunt incomparabilis puritatis, & inauditæ claritatis. Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum abundanti lacrymarum effusione suscipiunt. Religiosos, præcipuè Fratres Minores, pro magno ducunt, puta primò eos

eos cognouerunt, & per Dei gratiam bonum exemplum ab eis suscipiunt, &c. Ex nostro Conuentu Tlalmanalco, iuxtà magnam Mexici Ciuitatem, 12. Iunij, anno millesimo quingētesimo, trigesimo primo.

§. 16. Visum est etiam, circa eosdem fructus hic exscribere, quæ legimus in Epistola primi Archiepiscopi Magnę Vrbis Mexico, quam Abrahamus Ortelius, omnium noui Orbis Vrbium *Reginam* vocat. Est enim eiusdem argumenti cum præmissa, cui adiuncta erat, & eodem anno destinata ad prædictum P. Commissarium Generalem, & cæteros Patres in Capitulo Generali Tolosæ, anno Domini 1532. congregatos. [Reuerendi Patres, notum vobis facimus, nos in magnis, & assiduis laboribus, in Infidelium conuersione esse occupatos. Ex quibus, præuia Dei gratia, per manus Fratrum nostrorum, Ordinis S. Francisci de Regulari Obseruantia, baptizata sunt plusquam decies centena millia hominum, quingenta Deorum Templa destructa, & plusquam vicesies millæ figuræ Dæmonum, quas adorabant, fractæ, & combustæ. In multis enim locis structa sunt Sacella, & Oratoria: in pluribus arma decora, & fulgida S. Crucis sunt eleuata, quæ ab Indis adorantur. Et quod horrendum dictu, olim solitum erat in illa magna Ciuitate Temistlitan, Dijs annuatim vltra viginti millia puerorum, puellarumque corda sacrificare; iam illa humana corda, non Dæmonibus, sed Altissimo Deo, per doctrinam, & bonum exemplum Fratrum, innùmeras laudis hostias offerunt. Soli Deo sit honor, & gloria, qui in illis Locis à Filijs Indorum, quos apud nos habemus, reuerenter adoratur. Multa ieiunia, & alia opera pęnitentialia, multiplicatę Orationes, lacrymæ, & suspiria ab ipsis fiunt, & emittuntur. Multi istorum puerorum benè legere, scribere, & canere sciunt. Assiduè confitentur, & deuotissimè Sanctum Sacramentum suscipiunt. Parentibus suis Dei Verbū facundè proponūt, prout à Fratribus didicerunt. Ad matutinas horas noctē cū Fratribus surgunt; & Virgini Matris Dei, ad quā specialem deuotionem habent, integrum officium dicunt: Idola parentum suorum accuratissimè explorant, & ad Fratres fideliter ad ferunt, cuius causa aliqui à parentibus sunt occisi, sed viuunt laureati cum Deo. Vnaquæque Domus Sancti Francisci, habet aliam Domum, sibi coniunctam, pro docendis pueris; habet Scholā, Dormitorium, Refectorium, & deuotum Sacellum. Sunt valdè humiles, & Fratribus obtemperantes. & eos plusquam Patres diligunt, Benedictus Deus, per omnia. Inter Fratres istos, in lingua Indica eruditos, est vnus Laicus, Petrus de Gante nomine, lingua illa facundissimè vtens, sexcentorum puerorum, & ampliùs diligentissimam curam habens.] Hactenùs ex epistola Archiepiscopi Mexicani, qui vocabatur Fr. Io: à Zumarraga, *apud Sedul.*

§. 17. Is venit in nouum Orbem post omnes supradictos, missus à Carolo V. Imperatore, anno Domini 1528. Indè rediens in Hispanias, omnium primus consecratus Archiepiscopus Mexicanus, reuertit in Mexicum, anno 1534. Eius vitam, & Sanctitatem magnam, Franciscus Gonzaga, in descriptione Prouinciæ S. Euangelij enarrans, inter cætera, adfert illud cuiusdam in eum elogium: *O Falicem Vrbem, quæ talem Præsulem habere meruisti.* In Tezetlanztoc non admodum procul à Mexico, vna die confirmauit quatuordecim Indorum millia, præscius suæ mortis, sanctè mortuus est octogenarius, anno 1548. Apud Clerum vniuersum, Proceres, Plebem, magno sui relicto desiderio, tantus omnium luctus fuit, quasi Orbis adfuisset excidium. Corpus eius etiam nunc integrum, & incorruptum habetur.

§. 18. Hic in Epistola dilaudat Fr. Petrum à Gant, propter indefessum laborem in Vinea Domini. Nec immeritò: nam Successor præfati Archiepiscopi, dicere solebat in Fr. Petrum; *Non ego Mexici Archiepiscopus sum, sed Fr. Petrus à Gandauo, Laicus Sancti Francisci.* Quinquaginta ferè annis strenuam operam præstitit in fide Catholica, Indos erudiendo. Illuc venit anno 1523. vixit vsque ad annū 72. A primò tempore, quo illuc Fratres nostri missi sunt, sola illa Prouincia S. Euangelij aucta est sexaginta septem Monasterijs, Fratrum Minorum. Deindè alię post alias, in varijs Regionibus, Prouinciæ constitutę, crescente indies fide Indorum, & pietate. Si quis plura

desiderat, adeat P. Gonzagam, Thomam Bozium lib. 12. de signis Ecclesiæ Dei cap. 21. & Wadingum, qui referunt, quanta pietate, quot prodigijs, & miraculis in Vita pariter, & in morte primi illi Fratres Minores, apud Indos inclaruerũt.

§. 19. Ab his, initia hæc Christianæ Religionis nouus Orbis habuit. Indè verò (quod Surius tradit *in Chron.*) paucis annis. [ Tot baptizabantur, vt alij septies dena centena millia, alij quater decies dena centena millia, in solo illo Mexicano Regno, Christo nomen dedisse, retulerint ( *& post pauca* ) in Archiuijs Caroli Cæsaris lectum est, Vnum quemdam Sacerdotem septies centena millia hominum baptizasse, alium tercentum millia, alium centum millia, alios plures, alios pauciores. In solo Mexico referunt multi, summa fide dignissimi Viri, triginta fuisse Dynastas, quorum quilibet habuerit sub se centum millia hominum, aut circiter. Et ex ea Vrbe non licebat recedere ad suas Prouincias, nisi Regis permissu, ac relictis siue Filijs, siue Fratribus in Ciuitate, Obsidum loco. Et quod dictu horrendum est, mille plerumque homines, vno die, in Ciuitate Mexicana immolabantur.]

§. 20. Incrementum maximum susceperunt præmemorati Fructus, non longè post, apud insignem Prouinciam Yucatanam, quam, primam occuparunt Hispani in continenti nouæ Hispaniæ, in eaque Ciuitatem Meridæ (vbi quondam magnum Barbarorum municipium, Mayapam fuisse dicitur.) construxerunt, ad similitudinem Augustæ Emeritæ, vel Meridæ Hispanæ, quæ illius Prouinciæ primaria est, & Episcopalis, distans ab Aequatore, versus Arctum, gradus viginti, ibique degit Præfectus totius Prouinciæ, vna cum Regijs Ministris. Ad hanc Vrbem cum anno 1534. appulisset Fr. Iacobus Testera, de quo aliàs dictum est, Cœnobium humile, auxilijs Oppidanorum, quorum gratiam sua virtute, & doctrina iniuit, sub inuocatione Matris Dei construxit, quod postmodum, propter Militum nimiam licentiam Indos vexandi, aurumque cumulandi, dereliquit. Resumpsit tamen Fr. Laurentius Bienuenida, in Alma Prouincia S. Iacobi professus, & sub annum 1544. indigenarum ope, in pulchriorem, ampliorem que formam reduxit. Iacent hic Fr. Franciscus à Turre, Prouinciæ Bethicæ Alumnus, Prouinciæ Yucatanæ Fundatorum vnus, deinde Custos, & Minister. Et Fr. Didacus Landa, ex Prouincia Castellæ, illuc profectus, vir insignis, demum Yucatanæ Meridę Episcopus.

§. 21. In Ciuitate Regum, seu Lima, à Valle, in qua sita est, frequenter nuncupata, ab Aequatore duodecim gradus, & triginta, (vel vt alij quadraginta) scrupulos versus Austrum distante, Peruuiani Imperij Metropoli, magnitudine, opulentia, & magnificentia, vrbium omnium prima, sub annum 1534. Fr. Franciscus à Cruce, ex Insula Hispaniola illuc traijciens, Cœnobiũ Minoritarũ inchoauit, assentiente, & auxiliante Marchione, Francisco Pizarro, illius gentis admirabili, sed infælici, domitore. Infestis autem signis dimicantibus, & implacabili odio dissidentibus Hispanis, atque hinc inde trucidatis Pizarro, eiusque æmulo Didaco de Almagro, cum omnia cęde, & sanguine polluerentur, oportuit Fratres abire. Sedatis aliquantulum rebus, post biennium regressi, authoribus Fr. Francisco à Marchena, Custodiæ Peruuianæ tunc Præfecto, & Francisco Aragonio, aliud extructum est domicilium loco salubriori, multoque amæniori, quod nunc, omnium Religiosorum illius Vrbis maximum est; occupat enim, cum suo horto, quadras duas Ciuitatis, & secundum illius parietes, ducitur secundus Vrbis callis ad Monasterium S. Claræ, rectaque inde tenditur ad suburbium indigenarum, versus Arctum, & hinc ad stagnum, siue pulcherrimum fontem, è quo per fistulas subterraneas, siue aquæductus, aqua deducitur ad reliquos fontes Ciuitatis. Obijt hic Fr. Alphonsus Alcannizes, Laicus, singulari pietate præditus, Beneuentano Oppido in Hispania oriundus: & Prouinciæ S. Iacobi, intra quam Beneuentanum Oppidum existit, pius Alumnus, qui maxima in Veneratione habetur, tum ab Indis, tum ab Hispanis, ob insignes Virtutes, quibus eluxit. Obijt etiam ibidem huius Serui Dei Socius, Fr. Antonius Rodericus, in oppido de Vigo, Regni Gallæciæ, intra memoratam Prouinciam natus, ac sodalitio Minoritico aggre-

aggregatus, huius sanctæ Vitę laus habetur apud Menologium Franciscanum, die 5. Decembris, num. 7. Alij etiam pij viri, virtute illustres, illic requiescunt.

§. 22. Illius etiam temporis factus est Cænobium Vrbis *del Cusco*, olim Peruuiæ Metropolis, & Yngarum Regum domicilij, Ciuitatis nobilissimæ, sitæ ad decimum tertium gradum, & semissem altitudinalis Australis, centum, & triginta leucis ab Vrbe Limensi, versus Ortum. Nihil videtur, naturam huic Ciuitati negasse, quæ ad opulentiam, magnificentiam, & decorem spectabant. Multa hic erant ædificia Regia, & in primis Templum Soli dicatum, longè sumptuosissimum, auro, atque argento locupletissimum; ad quod, omnes fermè nationes conueniebant, suasque superstitiones, & varia Idolatriæ genera exercebant. Vbi primùm illuc Minoritæ peruenerunt, omni studio, gentis conuersioni institerunt, atque vt humaniores erga illam essent Hispani, cum supradicto Pizarro, eiusque Tribunis, quotidie intercedebant. Inuenit præ cæteris Fr. Petrus Lusitanus gratiam in oculis Pizarri, eiusque ope Cænobium sui Instituti cæpit ædificare. Post aliquot annos, sedem mutarunt Fratres, propter aeris intemperiem. Sed cum neque in illo Loco ex toto esset salutaris, commodiori loco, intra Vrbis mænia, intercessoribus Fr. Petro de Algarbijs, & Ferdinando de Hinojosa, vir nobilis, Ioannes Rodriguez de Villalobos tertium domicilium construxit, sibique Ecclesiæ ius patronatus reseruauit. Decessit hic, magna Sanctitatis opinione, Fr. Ioannes Callelena, Laicus, qui relicta sæculari militia, Christo fæliciùs, sub vexillo S. Francisci inseruiuit.

§. 23. Ex prædict. Pizarri Ducibus vnus, Sebastianus Belalcazar Popaianicæ posteà Prouinciæ Gubernator, hoc ipso tempore; quo Pizarrus Yngam, & potissima Peruuianæ Prouinciæ Oppida debellabat, in amænissima quadam Valle, sita ad altitudinem triginta tantum scrupulorum, citra Æquatorum, versus Austrum, Ciuitatem ædificauit, sub nomine S. Francisci, super ruinas Oppidi Quito, vetusto Regum illius Prouinciæ Palatio, percelebris, in eaque pulchrum Franciscanorum Cænobium, sub titulo S. Pauli, tùm suis, tum aliorum istius Regionis expugnatorum sumptibus, construi curauit. Primus Franciscanorum in hanc Vrbem venit Fr. Iodocus de RycKe Belga, Mechliniensis, vti ipse, in Epistola ad Guardianum Gandensem scripta, testatur, his verbis, quæ in Lectoris gratiam, illiusque gentis perfectiorem notitiam, libentèr exscribo. Præmisso exordio, subiunxit.

§. 24. [Noscat tua Reuerentia, me resedisse in Ciuitate Diui Patris nostri Francisci de Quito, viginti duobus annis. In his autem partibus messis magnæ, messores non habentur, cum tamen omnes fidem sitiant. Ciuitas hæc de Quito participat de Æquinoctio, & aliquando de Austro. Per anni circulum temperata est hæc Prouincia, quæmadmodum finis Aprilis ibidem, sic hic per anni circulum. Longum foret hominum illorum conditiones, & mores enarrare. Quamuis Barbari, & sine Litteris, tamen natura, habent optimas consuetudines. Inter ipsos pauper non inuenitur, quamquam pauperes omnes in victu, & vestitu. Apud hos tanta iustitia, & rectitudo viuendi, vt superent illos, qui legibus, & libris, & litteris abundant. Facilè in Fide instruuntur. Omnium rerum Creatorem esse affirmant, quem venerantur quidem, sed Soli summam Venerationem exhibent. Diuinationes, superstitiones, & similia abundant inter eos. Sunt ingeniosi, & facilè litteras addiscunt, canere item, & ludere instrumentis musicis. Oremus Deum, vt mittat Operarios in hanc Domini nouam vineam, & nos conseruet in salute animæ, & corporis, & tandem, Domino annuente, cęlestibus perfruamur. Tantæ sunt nostræ occupationes, vt hanc Epistolam sine impedimento scribere nequiuerim (& paulò post.) Ego fui primus Franciscanorum, qui hanc Ciuitatem Diui Patris Francisci incolui, & hinc, reliqui omnes Conuentus, & Custodiæ, principium habuerunt. Consodalem habeo Fr. Petrum Gosseal à Louanio, professum Brugis, in Prouincia Flandriæ, qui in hunc vsque diem Comes indiuiduus extitit; hic apud omnes in veneratione est &c. Data ex Conuentu de Quito ann. 1556. 12. Ianuarij.]

§. 25. Celebratis anno 1535. apud

Vr

Vrbem Niciensem Comitijs Generalibus, perpēsisq;in eis vberrimis fructibus Prædicationis Missionariorum Minoritarū, qui vsq;tunc euāgelizauerāt in Indijs,& plura sibi iā erexerant Domicilia,&Cōuentus in illis partibus : ad perennandam ibi Catholicam Religionem, sequentia, ab eo Capitulo, emanarunt statuta, legenda apud tom. 3. Orbis Seraphici. [ Custodia S. Euangelij, attento multiplici Fratrum, in Fide Christiana feruore, ac profectu, in Prouinciam erigitur, quæ auctoritate Apostolica post hac, Prouincia S.Euangelij nuncupetur, apud Indos. Et in amplissima Regione Perù noua erigatur Custodia, quæ Custodia Peruuiana vocabitur. Omnes Ministri Hispaniarum, vnoquoque tertio anno respectiuè, teneantur dare tres, vel quatuor Fratres probos, ac iuxta Regulam, idoneos pro Indianis partibus, prout aliàs Catholicæ Maiestati promissum est; idque cum à Guardiano Hispalensi, qui eos vno, & certo tempore teneatur aduocare, & congregare solerter, aduocabuntur. Hi autem progredientes, cum Hispalim peruenerint, tenebuntur Ministro Bęthicæ Prouinciæ, vel eo absente, Guardiano Hispalensi obedire : quorum quidem ordinatione, & electione, vt rectiùs procedant, in Domino, exemplo Sanctissimi P. N.Francisci, cæteris vnus præficiatur, qui auctoritate Ministri Prouincialis fungatur, donec ad præsentiam Ordinarij Indiarum Prælati peruenerint. Ex alijs verò Nationibus, nulli Fratres mittantur, nisi qui à Generali Ministro, vel Generali Commissario fuerint examinati, & approbati, & qui sic missi fuerint, hanc præsentem Constitutionem tenebuntur obseruare.

§. 26. Post primam inuentionem Fluminis ingentis Indici, vulgo *Rio de la Plata*, per Ioannem Diaz de Solis, anno 1525. variasque intra hoc flumen Hispanorum expeditiones : missus est anno 1535. Petrus de Mendoza cum vndecim Nauibus, & octingentis viris, qui reliquis exploratoribus fæliciùs fluminis æstuarium ingressus, ad sinistram ripam Insulæ S. Gabrielis, Oppidum moliri cæpit, nomenque imposuit, *Nuestra Señora de buenos ayres*: Vbi fame, & omnium rerum ad vitam necessariarum inopia, quāplurimos ex suis amisit. Itaque Legatum suum Ioannem de Ayolas dimisit, vt annonam à Barbaris conquireret, qui modicam retulit. Denique postquam magno labore, & exiguo profectu varia Loca lustrassent; Ayola quidem hic substitit; Mendoza autem in Hispaniam remeans, in itinere obijt. Missi auxiliares (vti diximus) Alphonsus Cabrera, & Antonius Lopez de Aguiar, cum Nauibus tribus, & pro conuersione Indorum Franciscanis quinq; qui teste Herrera, statim interiora terræ penetrarunt, & per Interpretes, donec illud idioma apprehenderunt, prædicantes, ingentem fructum reportarunt, magna multitudine ad Fidem conuersa, & Sacris vndis intincta. Eorum Primarius Bernardinus de Armentia, de his, anno 1538. sequentes dedit litteras ad Ioannem Bernal Diaz de Lugo, Regium Consiliarum, in Senatu Indico, Hispalensi, virum pium, & doctum, postea Episcopum dignissimum Calaguritanum; ex quibus gentis mores, & quid circa illius conuersionem, breui illo tempore, præstitum sit, percipi poterit. Ex Hispanis damus Latinas.

§. 27. [ Et si tibi aspectu, & alloquio incognitus; noui tamen ex verbis Licentiati Gudinno tibi addictissimi, qui Hispali apud vos residet, se velle à me scire, quę in his Regionibus Dei, & Regis concernunt obsequium. Vt id præstem præmitto, me illum esse Franciscanum Prouinciæ Bœticę, cui noster Minister Generalis licentiam dedit, vt cum quatuor consodalibus ad flumen *de la Plata* transfretarem. Huc autem perueni, cum Alphonso de Cabrera; suę Maiestatis Censore, in subsidium misso his, qui in hac Regione permanserunt, post obitum Petri de Mendoza. Deo propitiante, fœliciter peruenimus ad ipsum ęstuarium fluminis, cuius impetum, etsi secundò, & tertiò superare tentauerimus, valido semper in aduersum flante vento, non potuimus; sed reiecti sumus ad portum, seu flumen S. Francisci, priùs à *Don Rodrigo* nuncupatum. Diuina prouidentia, ità factum est; hic enim ego inueni gentis Barbaræ interpretes, tres Christianos, qui ex longo incolatu rectè hac lingua loquuntur. Hi nobis retulerunt, ante annos quatuor, ex his Indis vnum, Esiguarum nomine,

ad vatis modum, magno agitatum Spiritu, per leucas plusquam ducentas discurrentem, prædixisse citò venturos veros Christianos, discipulorum S. Thomæ Apostoli germanos, qui gentem omnem batizarent, atque inde præcepisse, vt amicè admitterentur, nec cuipiam liceret eos offendere. Adeò quidem eius verbis commota est vniuersa Natio, vt nostris, qui ex calamitatibus, & pressuris arduæ huius expeditionis superfuerunt, perquam amanter propitiati, in suis mappalijs eos receperint, cibo, & potu refecerint, & vias, per quas ambulabant, scopis mundarint. Ab illo etiam edocti, rhythmos intonant, & cantica, quibus Dei mandata iubet obseruari, vxoremque ducere vnam, consanguinitatis gradu remotam. Reliquit hic post se aliquot discipulos, qui ad nostrum aduentum, incredibili affecti lætitia, semper nobis, ad molestiam vsque assistunt.

§. 28. Tantus est baptizandorum numerus, vt vix quidpiam liceat, præter hoc ministerium præstare; & quidem somno, aut cibo capiendo vix potest esse interuallum. Vna contenti vxore, libenter matrimonia contrahunt: sed & qui pluribus erant assueti, libellum reliquis dant repudij. Grandæui, quorum plurimi annos centum excedunt, maiori ad fidem accedunt feruore, & quam à nobis recipiunt, alijs palam impertiunt. Mirabilia, quæ inter eos Dominus operari dignatur, neque verbis referri, neque scriptis possunt comprehendi. Quapropter per immensum Christi Iesu amorem, erga genus humanum, quo in arbore Crucis voluit omnes redimere, & animarum (quarum hic innumerabilis est numerus) saluti prospicere, te obtestor, quòd sanctum hoc opus, in te suscipias, & cum Rege, & Collegis tuis Consiliarijs agas, vt illud promoueant, mittantque ex nostris Confratribus saltem duodecim, electos ex Prouincijs Bæticæ, & Angelorum, quorum vita censeatur Apostolica. Mittantur insuper, sub perito aliquo Camporum præfecto, multi agricolæ, qui plus proficient, quam milites; hi etenim indigene amore vinciendi, non ferro vincendi sunt. Si enim exacerbentur, potenter offendent, sunt namque lacertosi, viribus potentes, statura proceri, armigeri, pilis, arcu, & sagittis feroces.

§. 29. Pro comperto etiam habeas, propter prauos mores, auaritiam, sæuamque crudelitatem nostrorum militum, & Ducum, illos, nisi remedium adhibeatur, contemptui habituros fidem Christianam, qui enim in tenera hac Religionis infantia iuxta nostram Catechesin Dei mandata ad vnguem alacriter obseruent, dum prospexerint in fide prouectos Hispanos, adeò longè à Dei præceptis recedere, nos sibi illusisse clamabunt, & ad pristina redibunt præstigia. Heù quantum mali vbique inuehitur vita probrosa Pseudo-Christianorum. Accedant itaque agricolæ multi, opifices, &c. Afferant armenta, ferrum, (*& post multa huius argumenti in rem publicam, & domesticam, consilia subiungit.*) His artibus apud gentem hanc, plus proficiet res Ecclesiastica, & Ciuilis, quam apud alias: facili enim negotio attrahuntur ad fidem, & libenter eius suaui iugo, colla subijciunt. Hoc experimur nos quotidiè, dum quinque nostrum opera, Iesum Christum, Deum verum maxima ex parte isti confitentur, seque nobis omnes absque victoribus, aut debellatoribus dedunt, & fideliter credunt. Tanta quidem est ad nos gentis accessio, vt recipiendis non sufficiamus. Ego insuper in Domino confido, vt antequam hæc Epistola ad te peruenerit, terrarum spatium, vltra leucas octoginta, ad fidem conuertemus.

§. 30. Proinde denuò precor, vt tecum tuus ille Indicus Senatus, in opus hoc diligenter aduertat, neque tantum boni operis deperdi permittat, rationem inde redditurus in die postremi Iudicij. Mittendi accedant ad portum *de Don Rodrigo*, vel ad Insulam S. Catharinæ, vbi statim quosdam ex nostris reperient, & abundè omni carnium genere, farinæ domesticæ, altilium, & piscium vesci licebit, atque aura frui saluberrima, Itaut ad prouectæ senectutis tædium, frequenter vita protrahatur. Hanc ergo Regionem despicere non expediet, vbi omnia suppetunt vitæ commoda, & quod potissimum est, in qua tantum fieri possit lucrum animarum, Prouinciæ ego nomen imposui, Iesus, cuius virtute subiugatur, & tot in illa fiunt prodigia. Dignetur

Diuina pietas propter pretiosum Christi sanguinem, quo sumus redempti, tuum tuorumque Sociorum intellectus illuminare, vt tàm sanctæ operæ prouideant, & Regi inspirare, vt hoc vobis præcipiat. Donec sciam te huic rei manum admonisse, ad Regem non scribam; scio enim sine te nihil facturum: sed spero in Deo nostro per te inchoandi operis, bonum finem consecuturum. Deus Reuerendam tuam personam in suo sancto obsequio diù conseruet incolumem. Data in Portu S. Francisci, Prouinciæ Iesus, propè Portum D. Roderici, die 1. Maij anno 1538. Tuæ Dominationis Humillimus Sacellanus. Fr. Bernardus de Armentia Commissarius Fluminis *de la Plata*.

# DISTINCTIO VIII.

*Recensentur alij Actus, & Fructus Primitiuorum Missionariorum in Indijs, haud parum ad instructionem Moderniorum conferentes.*

## §. I.

ENucleatis iam gestis præclarissimis præmemoratoru Patrum, quoad exemplarissimam vitam, & verbalem Indorum instructionem, Regulariaque, per eosdem constructa Domicilia: plura suppeterent dicenda, circa scripta, quibus se perpetuos earum Regionum Euangelizatores, ac Doctores reddidere; ad vitandam tamen prolixitatem, eorum dumtaxat mentio fiet, qui à sola vna Prouincia (Sancti Iacobi nimirum) inter primos nouæ Hispaniæ Apostolos, à Scriptoribus cognominatos, suscepti sunt ad Euangelicæ Vitæ professionem. Horum Præcipuus fuit sæpe laudatus Martinus de Valentia, de quo, apud Martyrologium Franciscanum, die 31. Augusti, sequens adest memoria. *Tlamanalci in India Occidentali B. Martini à Valentia, Confessoris, qui verbo prædicationis, & summis virtutibus clarus, Legatus Apostolicus in Indiam Occidentalem traiecit, vbi tantopere in Euangelio disseminando laborauit, vt Indorum Apostolus iure vocatus sit, & dono prophetiæ, atque Miraculorum gloriosus extiterit.* Circa cuius præclarissimi Viri Patriam, & Prouinciam, Wadingus tom. 8. anno 1534. numero 8. hæc habet. [ In Valentino Oppido, Legionem inter, & Beneuentum, in Hispania pijs, & honestis parentibus ortus, à pueritia cæpit Deum timere, & reuereri. In iuuenili ætate, post superatas difficultates multas, quibus eum Satan à proposito deterrebat, habitum suscepit Minorum, in Cænobio Maioricano, Prouinciæ S. Iacobi, sub disciplina Ioannis de Argomanes, viri docti, & pij, eiusdem Prouincię postea Ministri. Inter alios libros spirituales legit vnum Bartholomæi Pisani, de Conformitate Vitæ Christi, & Sancti Francisci, ex quo plurimum hausit virtutis, & ardoris pro Christo martyrium subeundi. ]

§. 2. De eodem Venerabili Seruo Dei, Martino de Valentia, Fridericus Forerus, Societatis Iesu, in Palma Triumphalis Ecclesiæ, *lib. 1. cap. 21.* sequentia profert. [ Corpus eius triginta tres annos integrum, incorruptumque permansit, innumeris quotidiè fulgens miraculis. Vrnæ tandem inclusum, & sepultum, cum anno 1567. Apostolicæ Sedis Iussu, & auctoritate, recludi theca, & sacræ eius Reliquiæ, solemniori honore efferri iuberentur, sigilla quidem tumbæ omnia integra, & illæsa comparuere; at sacrum Corpus non est repertum: neque quod inde clam fuerit asportatum, vbi summa diligentia à Magistratu inquisitum, suspicioni locus est relictus. Credidere cordati omnes, sacrum hoc Pignus, aut diuinitùs translatum, aut Resurrectionis gloria, singulari Priuilegio, ante communem carnis humanæ viuificationem, do-

tatum. Et ficut Indi Orientales Sanctissimum P. Franciscum Xauerium, Apostolum nacti, & nomine summos ipsi honores impendunt; sic Occidentales Indi, sub ipsis hæreseos Lutheranæ incunabulis, Martinum istum mirabilem indeptl, velut Apostolum, diuinitùs ad ipsos destinatum, summa vsque in hodiernam diem veneratione prosequuntur. Vndè cùm Sacrum Corpus eius præsto non sit, eius quæcumque vtensilia, vestimenta, veluti cælestia quædam Cimelia colligentes, sacro in loco reposuerūt, è quorum tactu, morborum omnium, pestiferæ luis etiam, & quarumcumque contagionum medelæ promanant.]

§. 3. Ipsius etiam Doctrinam, & Sanctos mores commendat Eximius Doctor D. Nicolaus Antonius, in sua Bibliotheca Hispana tom. 2. litt. M. Dicendo, quod extiterit [Dux, & Magister duodecim Illustrium Franciscanorum, qui primi ad Mexicanas oras penetrarunt, anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto. Primus fuit Custos Prouinciæ S. Euangelij, ac mirificus Operator in Vastissimis nouæ Hispaniæ Regionibus, qui multas Indorum myriades per se, & per suos Comites ad Christi fidem conuertit. Scripsit *Epistolas multas*, quibus suos, suorumque labores referebat, & Indorum narrabat Conuersiones, tum Adriano VI. Pontifici, tum Carolo V. Imperatori, tum sui Ordinis Generali Ministro, alijsque præcipuis Viris, ex quorum adiutorio, & directione huius numerosissimæ Conuersionis negotium dependebat. Vnam habet lectu dignissimam, Franciscus Gonzaga, qui pijssimi hominis vitam scripsit. Obijt in loco de Ayotzmoo ann. 1534. sepultus est in Conuentu Tlamanalci, vbi miraculis inclaruit.]

§. 4. Secundus scriptor locum etiam adeptus est in Martyrologio Franciscano, die 30. Iulij, sub isto Elogio. *Mexici in India Occidentali, Beati Ioannis à Sancto Francisco, Confessoris, qui Orationi, Contemplationi, ac Verbo Prædicationis vacans, multa millia Infidelium ad Christum conuertit: & maximis coruscat Miraculis*. Et in annotatione, de ipso habetur ita. Natus est in Oppidulo Veaz Regni Murciæ: cumque litteris Salmanticæ vacaret, habitum Seraphici Ordinis inibi suscepit, in Conuentu S. Francisci, peractoque studiorum cursu, salutis animarum Zelo ductus, in Prouinciam S. Euangelij se contulit, vir fuit in contemplatione, & precibus assiduus: maximèque in excolenda Dei vinea sedulus, toto enim die in ea laborabat, propter credentium multitudinem, & Ministrorum paucitatem; noctu verò ad contemplationem se recipiebat: reipsa executioni mandans illud Psal. 41. *In die mandauit Dominus misericordiam suam: & nocte Canticum eius*. Quo factum est, vt tam in susceptis laboribus, quàm in Vitæ probitate, insignis haberetur: octauusque istius Prouinciæ (post renuntiationem B. Ioannis de Goana) Prouincialis an. 1558. eligeretur, quam Sanctissimè regit. Electus est etiam nouæ Gallęciæ Episcopus; sed ob humilitatem tantum acceptare abnuit, minimè se idoneum esse asserens. Mexicana lingua, cuius notitiam, dono supernaturali adeptus est, varias collationes, & Conciones edidit. Exinde vberrimos in noua Hispania fructus collegit; indigenas ad fidem instruens Idolatriam destruens, Dæmoniorum templa diruens, infinitum Idolorum numerum confringens, immensamque, in diuersis Prouincijs Baptizans Infidelium multitudinem. Mortuum ad Vitam reuocauit, & pluribus signis claruit.

§. 5. Mexicum tandem profectus, infirmatus est ad mortem, quam per annum integrum præuiderat: quare diuinis susceptis Sacramentis, die Veneris, hora 11. ann. 1565. verba illa pronuncias: *In manus tuas Domine: commendo Spiritum meum*, animam efflauit; ac post obitum multis gloriosus apparuit. Hæc ex Gonzaga 4. *par. sup.* in eo Mexicano Conuentu, qui est 1. Prou. S. Euangelij. Barezzo *lib. 3. cap.* 61. 62. 63. *&* 64. Vuilloto Athenar. Ortodox. Franciscan. littera Ioannes. Coccio *de signis Eccles. art.* 2. Gualterio in Tabula Chronol. *Secul.* 16. in Sanctis, & Illustribus viris. Costæo *lib. 1. histor. Catholic. pag.* 215. Daza *part. 4. Chronic. minor. 2. cap.* 25. ex multis alijs. Bosio *tom. 1. de Signis Eccles lib* 12. *cap.* 21. Cottono *lib. 3. Institution. Catholic. cap.* 68.

68. Mariano *lib. 1. cap. 4. Chronic. Reformat.* Marieta *lib. 17. histor. Eccles. SS. Hispanor. cap. 17. 18. & 19.* Grauina, in voce Turturis *part. 2. cap. 27.* Petro Caluo indefensōro Sacrar. Relig.

§. 6. D. Nicolaus Antonius in sua Bibliotheca Hispana *lib. 1.* postquam præclarum hunc Minoritam, alumnum Conuentus S Francisci Salmanticensis, Prouinciæ S. Iacobi commemorat, de ipso ita subiungit. In Nouam Hispaniam se cum grege illo Sanctorum Sodalium duodecim, annunciaturus Incolis Euangelium, transtulit; operatusque est magno profectu, & quidem infusa sibi à Deo, vt fertur, per extemporale donum, Sermonis Mexicani cognitione, quo scripsit. *Concionum librum perfectissimum: Orationes varias: Collationes multas*, testimonio futuras accepti à Deo beneficij, vt ait Franciscus Gonzaga 4. part. *Histor. in Prouincia S. Euangelij*, multa de illo mirabilia referens. Denatus est anno 1556.

§. 7. Tertius Scriptor in Prouincia S. Iacobi, ad vitæ Euangelicæ professionem admissus, quam postmodum in Prouincia S. Gabrielis immaculatè seruauit; descriptus reperitur apud Menologium Franciscanum, sub die 25. Iunij, his verbis. Tescucani in America, anno 1562. Ioannes de Ribbas, sextus ex duodecim primis Missionarijs, stupendo mortis genere, Cœlos propitios est ingressus. Erat is obseruantissimus Religionis, & paupertatis, ideòque in omnibus Congregationibus, quoties de rebus Ordinis agebatur, adeò Spiritu stimulabatur, vt vehementer inflammaretur, & vocem supra modum, ac præter morem attolleret. Cum autem plurimos labores, tum pro obseruando Regulæ nitore, tū in Infidelium conuersione exantlasset, & omnia Religiosi Zelotis munia compleuisset, deuotaque aliquot opuscula, nempè Christianam doctrinam, seu Cathechismum, deuotissimum Dialogum de Christiani hominis vita tractantem, & Dominicales per totum annum sermones, Mexicana lingua vulgasset, insuper etiam vitas Patrum, ex latina in eandem vertisset, extra lectulum genuflexus, mentisque ad vltimum vsque halitum compos, ex graui quadam infirmitate defunctus concidit. Marianus Orscelar, *lib. 2. Ep:40.*

§. 8. De eodem D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana, litt. I. hæc testatur. Zelo ardens commissæ sibi Prouinciæ vtiliùs gerendæ, conscripsit Mexicano Idiomate. *Christianam Doctrinam seu Cathechismum. Dominicales per totum annum Sermones. Dialogum deuotissimum de Vita hominis Christiani*: necnon & ex latino in eandem linguam convertit. *Vitas Patrum Sanctorum: itemque Vitas Patrum, & suorum Sociorum, qui primi lucem Euangelij his populis intulerunt.* Tetzeucano in Cœnobio curuatis, propè lectulum genibus, Sanctissimè expirauit, die Iunij xxv. 1562.

§. 9. Quartus Scriptor celebris est, apud iam dictum Martyrologium Franciscanum, die 9. Augusti, vbi ita commemoratur. *In Mexico Beati Toribij à Beneuento, Confessoris, qui scientia pietate, & Vita integritate pollens, tanto Spiritus feruore accensus est, circa Indorum conuersionem, vt quatuor centum millia ex eis, aqua Baptismali lauerit, Christoque pepererit.* In annotatione verò asseritur, *In Prouincia Sancti Iacobi Professus*. Et post eandem assertionem, ità commendatur. Vir erat virtutum ornamentis decoratus, paupertatis Euangelicæ amantissimus, Diuini honoris zelo semper inflammatus, Regulæ Obseruantissimus, & & pietati admodum deditus. Cum nouam Hispaniam cum Socijs peruenisset, omnesque nudis pedibus incederent, perspicientes Indi hanc eorum paupertatem, inuicem acclamabant: Motolinia, Motolinia; Quod Mexicano idiomate, pauperes significat. Interrogans ille, quid ea vox sibi vellet, pauperemque sonare cum intellexisset: hæc (inquit) prima vox est, quam linguę huius intellexi, atque hoc mihi nomen erit: ex eaque die Fr. Toribius Motolinia nuncupatus est, cum de Beneuento, anteà cognominaretur.

§. 10. Eximio Spiritu, multaque in diuinis rebus meditatione, pollebat: castitatem summè diligebat. In doctrina Christiana edenda, & pueris baptizandis, atque populis conuertendis, ità strenuè laborabat, vt eius rei causa, etiam Regiones longissimas adierit. Pluuiam, temporis serenitatem, & alia suis precibus à Deo obtinuit. Inter 12. Patres primos, qui

in

in Indiam traiecerunt quintum obtinet locum: Sed tamen omnium vltimus mortuus est. Vide Gonzagam 4. par. supra in Conuentu Mexicano, qui est 1. Prouinciæ S. Euangelij. Barezzum supra lib. 4. cap. 20. ad ann. 1560. Willotum Athenar. Ortodoxar. Franciscan. littera T. Rapinæam in histor. vniuers. Orig. Recollector. par. 1. parag. 9. Decad. 5. & par. 2. par. 29. 4. Hilarionem à Costa lib. 1. histor. Catholic. pag. 115. Bosium tom. 1. de signis Eccles. lib. 12. cap. 21. Marianum lib. 1. cap. 39. Dazam 4. part. Chronic. Minor. lib. 2. cap. 20. ex multis alijs.

§. 11. V. P Wadingus in lib. de Scriptoribus Ordinis Seraphici, de hoc insigni Viro ita fatur. Turibius Motolinius Hispanus, Beneuentanus, Prouinciæ S. Iacobi, è qua ad eam, quæ S. Gabrielis appellatur, transiuit, Vir Sanctissimus, sextus ex duodecim illis Viris Apostolicis, qui primùm Indis Mexicanis Euangelizarunt, & qui annis multis in Vastissimis illis Regionibus prædicauit, & sextus fuit Minister Prouinciæ S Euangelij: edidit lingua Mexicana. *Doctrinam Christianam, seu Catechismum. De Ritibus, & moribus Indorum. Tractatus diuersos de rebus spiritualibus. Historiam duodecim primorum Patrum Franciscanorum, qui in India prędicauerunt*: quæ assiduè in illis Regionibus omnium manibus teruntur. Vltimus duodecim Consodalium, obijt Mexici, in Vigilia S. Laurentij, postquam quadraginta millia Indorum baptizauit, destructis innumeris Idolorum fanis: adfuit Exequijs Petrus de Ayola, Xalisci Episcopus, qui vestis partem in Reliquias venerabundus abscidit.

§. 12. Doctor eximius Nicolaus Antonius, in Bibliotheca Hispana, litt. T. omissis operibus linguæ Mexicanæ, relatis à Wadingo, de alijs, inquit. Fr. Toribius de Motolinea alias de Benauente (oriundus quippe ab hoc Oppido Veteris Castellæ) vnus fuit è duodecim Franciscanis Sodalibus, qui primi in Septentrionalem Americam Crucis vexillum inuexerunt: ex quibus omnibus, post innumeram Indorum multitudinem, ad Sacri Fontis lauacrum exceptam, Christianisque moribus institutam, decessit Vltimus, iacetque ad S. Francisci, in principe Vrbe Mexico. Scripsit, non edidit. *De moribus Indorum*, latinè. Gonzaga & Ant. Leonius. Item si aliud Opus est. *Relacion de las Cosas, Ritos, Idolatrias, Ceremonias de la Nueua España*. M.S. teste Antonio Leone in Bibliotheca Occidentali, Tit. XVII. *Memoriales Historicos* M.SS. eodem Antonio Leone teste. Hic fortè liber est, quem sic designat Gonzaga, in IV. parte, loquens de Prouincia S. Euangelij *De aduentu 12. Patrum, qui primi in eas regiones deuenerunt, ac de eorum rebus gestis*, siue ille, quem Aloysius Rebolledo de Scriptoribus Franciscanis agens, in historia sui Ordinis, *De la Guerra de los Indios de Nueua España* tractare ait. Sed Antonius Leonius, vtriusque horum duorum, meminit varijs in locis, vnde apparet non idem Opus fuisse. Quare eum seorsim ponimus librum, qui sequitur. *Venida de los doze primeros PP. de S. Francisco à Nueua España M.S. Vide Bibliothec. Occidental. tit. XX. Vida y muerte de los tres niños principales de la Ciudad de Tlascala llamados Christoual, Antonio, y. Iuan, que murieron por la Confession de la Feè*. Hunc ex Hispanico authore in Mexicanum vertit Ioannes Baptista, eiusdem Ordinis Præfectus, siue Guardianus Monasterij de Tlatilulco, editque ibidem Typis Didaci Lopez Daualos anno 1601. in 8. D. Laurentius Coquus in *Appendice M. S. Bibliothecæ Indicæ*, quæ apud me est, huius libri meminit. *Camino del Espiritu*. Rebolledus laudat. *Doctrina Christiana*, idiomate Mexicano; & alios *Tractatus spirituales*, qui apud Indos in magno prætio habentur, vti ait Gonzaga: qui & refert sepultum fuisse ad S. Francisci Mexicanæ Vrbis, vt diximus.

§. 13. Quintus Sriptor, & Doctor suum pariter Elogium habet, apud Martyrologium Franciscanum, sub die 31. Iulij, huius tenoris. *Mexici, Beati Francisci Ximenij Confessoris, & Concionatoris Egregij, qui Indorum iugiter inuigilans, meritis, ac bonorum operum fructibus plenus, excessit è Vita*. Deinde in annotatione recolitur. Iuris Pontificij studiosissimus, sinceritatis, ac puritatis amator eximius; ob singularem mansuetudi-

68. Mariano *lib. 1. cap. 4. Chronic. Reformat.* Marieta *lib. 17. histor. Eccles. SS. Hispanor. cap. 17. 18. & 19.* Grauina, in voce Turturis *part. 2. cap. 27.* Petro Caluo indefensôro Sacrar. Relig.

§. 6. D. Nicolaus Antonius in sua Bibliotheca Hispana *lib. 1.* postquam præclarum hunc Minoritam, alumnum Conuentus S. Francisci Salmanticensis, Prouinciæ S. Iacobi commemorat, de ipso ita subiungit: In Nouam Hispaniam se cum grege illo Sanctorum Sodalium duodecim, annunciaturus Incolis Euangelium, transtulit; operatusque est magno profectu, & quidem infusa sibi à Deo, vt fertur, per extemporale donum, Sermonis Mexicani cognitione, quo scripsit: *Concionum librum perfectissimum: Orationes varias: Collationes multas*, testimonio futuras accepti à Deo beneficij, vt ait Franciscus Gonzaga 4. part. *Histor. in Prouincia S. Euangelij*, multa de illo mirabilia referens. Denatus est anno 1556.

§. 7. Tertius Scriptor in Prouincia S. Iacobi, ad vitæ Euangelicæ professionem admissus, quam postmodum in Prouincia S. Gabrielis immaculatè seruauit; descriptus reperitur apud Menologium Franciscanum, sub die 25. Iunij, his verbis. Tescucani in America, anno 1562. Ioannes de Ribbas, sextus ex duodecim primis Missionarijs, stupendo mortis genere, Cœlos propitios est ingressus. Erat is obseruantissimus Religionis, & paupertatis, ideòque in omnibus Congregationibus, quoties de rebus Ordinis agebatur, adeò Spiritu stimulabatur, vt vehementer inflammaretur, & vocem supra modum, ac præter morem attolleret. Cum autem plurimos labores, tum pro obseruando Regulæ nitore, tū in Infidelium conuersione exantlasset, & omnia Religiosi Zelotis munia compleuisset, deuotaque aliquot opuscula, nempè Christianam doctrinam, seu Cathechismum, deuotissimum Dialogum de Christiani hominis vita tractantem, & Dominicales per totum annum sermones, Mexicana lingua vulgasset, insuper etiam vitas Patrum, ex latina in eandem vertisset, extra lectulum genuflexus, mentisque ad vltimum vsque halitum compos, ex graui quadam infirmitate defunctus concidit. Marianus Orscelar, *lib. 1. Ep. 40.*

§. 8. De eodem D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana, litt. I. hæc testatur. Zelo ardens commissæ sibi Prouinciæ vtiliùs gerendæ, conscripsit Mexicano Idiomate. *Christianam Doctrinam seu Cathechismum. Dominicales per totum annum Sermones. Dialogum deuotissimum de Vita hominis Christiani*: necnon & ex latino in eandem linguam conuertit. *Vitas Patrum Sanctorum: itemque Vitas Patrum, & suorum Sociorum, qui primi lucem Euangelij his populis intulerunt.* Tetzeucano in Cœnobio curuatis, propè lectulum genibus, Sanctissimè expirauit, die Iunij xxv. 1562.

§. 9. Quartus Scriptor celebris est, apud iam dictum Martyrologium Franciscanum, die 9. Augusti, vbi ita commemoratur. *In Mexico Beati Toribij à Beneuento, Confessoris, qui scientia pietate, & Vita integritate pollens, tanto Spiritus feruore accensus est, circa Indorum conuersionem, vt quatuor centum millia ex eis, aqua Baptismali lauerit, Christoque pepererit.* In annotatione verò asseritur, *In Prouincia Sancti Iacobi Professus.* Et post eandem assertionem, ità commendatur. Vir erat virtutum ornamentis decoratus, paupertatis Euangelicæ amantissimus, Diuini honoris zelo semper inflammatus, Regulæ Obseruantissimus, & & pietati admodum deditus. Cum nouam Hispaniam cum Socijs perueniſſet, omnesque nudis pedibus incederent, perspicientes Indi hanc eorum paupertatem, inuicem acclamabant: Motolinia, Motolinia; Quod Mexicano idiomate, pauperes significat. Interrogans ille, quid ea vox sibi vellet, pauperemque sonare cum intellexisset: hæc (inquit) prima vox est, quam linguę huius intellexi, atque hoc mihi nomen erit: ex eaque die Fr. Toribius Motolinia nuncupatus est, cum de Beneuento, anteà cognominaretur.

§. 10. Eximio Spiritu, multaque in diuinis rebus meditatione, pollebat: castitatem summè diligebat. In doctrina Christiana edenda, & pueris baptizandis, atque populis conuertendis, ità strenuè laborabat; vt eius rei causa, etiam Regiones longissimas adierit. Pluuiam, temporis serenitatem, & alia suis precibus à Deo obtinuit. Inter 12. Patres primos, qui

in

in Indiam traiecerunt quintum obtinet locum: Sed tamen omnium vltimus mortuus est. Vide Gonzagam 4. par. supra in Conuentu Mexicano, qui est 1. Prouinciæ S. Euangelij. Barezzum supra lib. 4. cap. 20. ad ann. 1560. Willotum Athenar. Ortodoxar. Franciscan. littera T. Rapinæam in histor. vniuers. Orig. Recollector. par. 1. parag. 9. Decad. 5. & par. 2. par. 29. 4. Hilarionem à Costa lib. 1. histor. Catholic. pag. 115. Bosium tom. 1. de signis Eccles. lib. 12. cap. 21. Marianum lib. 1. cap. 39. Dazam 4. part. Chronic. Minor. lib. 2. cap. 20. ex multis alijs.

§. 11. V. P Wadingus in lib. de Scriptoribus Ordinis Seraphici, de hoc insigni Viro ita fatur. Turibius Motolinius Hispanus, Beneuentanus, Prouinciæ S. Iacobi, è qua ad eam, quæ S. Gabrielis appellatur, transiuit, Vir Sanctissimus, sextus ex duodecim illis Viris Apostolicis, qui primùm Indis Mexicanis Euangelizarunt, & qui annis multis in Vastissimis illis Regionibus prædicauit, & sextus fuit Minister Prouinciæ S Euangelij: edidit lingua Mexicana. *Doctrinam Christianam, seu Catechismum. De Ritibus, & moribus Indorum. Tractatus diuersos de rebus spiritualibus. Historiam duodecim primorum Patrum Franciscanorum, qui in India prædicauerunt*: quæ assiduè in illis Regionibus omnium manibus teruntur. Vltimus duodecim Consodalium, obijt Mexici, in Vigilia S. Laurentij, postquam quadraginta millia Indorum baptizauit, destructis innumeris Idolorum fanis: adfuit Exequijs Petrus de Ayola, Xalisci Episcopus, qui vestis partem in Reliquias venerabundus abscidit.

§. 12. Doctor eximius Nicolaus Antonius, in Bibliotheca Hispana, litt. T. omissis operibus linguæ Mexicanæ, relatis à Wadingo, de alijs, inquit. Fr. Toribius de Motolinea aliàs de Benauente (oriundus quippe ab hoc Oppido Veteris Castellæ) vnus fuit è duodecim Franciscanis Sodalibus, qui primi in Septentrionalem Americam Crucis vexillum inuexerunt: ex quibus omnibus, post innumeram Indorum multitudinem, ad Sacri Fontis lauacrum exceptam, Christian'sque moribus institutam, decessit Vltimus, iacetque ad S. Francisci, in principe Vrbe Mexico. Scripsit, non edidit. *De moribus Indorum*, latinè. Gonzaga & Ant. Leonius. Item si aliud Opus est, *Relacion de las Cosas, Ritos, Idolatrias, Ceremonias de la Nueua España*. M.S. teste Antonio Leone in Bibliotheca Occidentali, Tit. XVII. *Memoriales Historicos* M.SS. eodem Antonio Leone teste. Hic fortè liber est, quem sic designat Gonzaga, in IV. parte, loquens de Prouincia S. Euangelij *De aduentu 12. Patrum, qui primi in eas regiones deuenerunt, ac de eorum rebus gestis*; siue ille, quem Aloysius Rebolledo de Scriptoribus Franciscanis agens, in historia sui Ordinis, *De la Guerra de los Indios de Nueua España* tractare ait. Sed Antonius Leonius, vtriusque horum duorum, meminit varijs in locis, vnde apparet non idem Opus fuisse. Quare eum seorsim ponimus librum, qui sequitur. *Venida de los doze primeros PP. de S. Francisco à Nueua España M.S. Vide Bibliothec. Occidental. tit. XX. Vida y muerte de los tres niños principales de la Ciudad de Tlascala llamados Christoual, Antonio, y Iuan, que murieron por la Confession de la Fee*. Hunc ex Hispanico authore in Mexicanum vertit Ioannes Baptista, eiusdem Ordinis Præfectus, siue Guardianus Monasterij de Tlatilulco, editque ibidem Typis Didaci Lopez Daualos anno 1601. in 8. D. Laurentius Coquus in *Appendice M.S. Bibliothecæ Indicæ*, quæ apud me est, huius libri meminit. *Camino del Espiritu*, Rebolledus laudat. *Doctrina Christiana*, idiomate Mexicano; & alios *Tractatus spirituales*, qui apud Indos; in magno prætio habentur, vti ait Gonzaga: qui & refert sepultum fuisse ad S. Francisci Mexicanæ Vrbis, vt diximus.

§. 13. Quintus Sriptor, & Doctor suum pariter Elogium habet, apud Martyrologium Franciscanum, sub die 31. Iulij, huius tenoris. *Mexici, Beati Francisci Ximenij Confessoris, & Concionatoris Egregij, qui Indorum iugiter inuigilans, meritis, ac bonorum operum fructibus plenus, excessit è Vita*. Deinde in annotatione recolitur. Iuris Pontificij studiosissimus, sinceritatis, ac puritatis amator eximius; ob singularem mansuetudi-

nem, & affabilitatem Deo, hominibusque dilectus, professionis verò suæ Zelantissimus. Tanta autem fulgebat humilitate, vt minimè in Hispania, ad Sacros Ordines promoueri voluerit, quousque in Hispaniam nouam profectus, ob inopiam eorum, qui Sacramenta Ecclesiæ ministrare quirent, ibi Sacerdotium suscepit; primusque omnium fuit, qui in nouo eo Orbe, nouam (vt aiunt) Missam decantauit. Episcopatu Tauastensi Indorum à Carolo V. Imperat. oblato, constanter recusato, elegit potiùs in Testamento Patrum suorum, quod reliquum erat vitæ transigere.

§. 14. Tàm à se semper alienus, vt socio indigeret, qui ad sumendum cibum, & mutandum Vestem, adhortaretur: tam extra se positus, vt memoria sanè pollens, quandoque tamen, si abeo quærerent, an cibum iam sumpsisset eius rei non recordaretur. Guardianatu tamen in Quauhnaoaco suscepto, Mexicanum idioma cum optimè calleret, illius Dictionarium, alijs ad idem idioma cappessendum viam sternens, confecit. Libros omnes, Mexicana lingua, ab alijs editos, iussu superiorum euoluit, & censoria virga examinauit. Scripsit accuratè Vitam Beati Martini de Valentia, anno ab illius morte tertio, idest anno Christi 1537.

§. 15. Egregius extitit verbi Diuini præco: etenim non Indis modò, sed & Hispanis frequentissimè concionabatur: charus omnibus, præsertim autem trium medicantium Ordinum Religiosis, quibus cum assiduus erat. Indorum habitationes, atque Oppida inuisens, in primis Templa, oraturus, ingrediebatur; deinde ægrotantium, alio rumque eo conuenientium, confessiones audiebat; hanc laboris ex itinere contracti requiem suscipiens. Morbo tandem oppressus, cum ex ægritudine adeò esset debilitatus, vt vix se posset in lectulo mouere, audiens afferri sibi Christi Corpus, magno Spiritus feruore exiluit, quasi nouas vires concepisset, ac solo genua defixit. Reddidit ille sanctè animam suam Deo Saluatori, apud Mexicum, in Conuentu Sancti Francisci, vbi & sepultus est. Tunc Beatus Lucas de Almadobar, eiusdem Conuentus Infirmarius, vir magnæ Sanctitatis, digitum mortuo abscidit, ac pro Sacra Reliquia deferens, testatus est mirificum ex se odorem solitum emittere. Hæc est Gonzaga 4 *part.* in hoc Conuentu, qui est primus Prouinciæ S. Euangelij. Daza 4. part. Cronic. minor. lib. 2. cap. 21. Grauina in Voce Turturis, part. 2. cap 24.

§. 16. In Bibliotheca Hispana D. Nicolai Antonij, litt. F. his verbis effertur. Fr. Franciscus Ximenez, Franciscanus, Sodalis Prouinciæ S. Iacobi, vnus fuit è duodecim primis Occidentalium Apostolis. Egregia vir pietate, ac propagandæ Religionis zelo. Pontificij Iuris studiosissimum vocat eum Lucas Wadingus. Qui ne in albo Episcoporum censeretur; à Carolo V. Imperatore, ac Rege nostro, qui Tabasco Indorum imponere ipsum voluit, constanti, ad recusandum quicquid honoris esset Pontificij, animo, impetrauit, Monasterij cuiusdam Præfectura contentus. Mexicano idiomate, quod egregiè calebat, scripsit. *Dictionarium, huius linguæ, atque Artem*, librosque omnes Mexicanè ab alijs editos, iussu Superiorum euoluit, ac recensuit. *Vida del P. Fray Martin de Valencia*, eiusdem Ordinis. Qui, iniuria temporum (vt aiunt Posseuinus, & VVadingus) liber excidit, vnico quaternione seruato. *Dela natura. leza y Virtudes delos arboles, plantas, y animales dela nueua España, en especial dela Prouincia de Mexico, deq; se aprouecha la medicina*: Mexici 1615. Passim commendare hunc librum in opere suo de nouo Orbe, Ioannem de Laet Battauum, notat VVadingus. Sed hic labor, ille ipse est Francisci Hernandez Doctoris medici eximij, qui multis voluminibus in Regia Bibliotheca Laurentina adseruatur, de quo alibi: quem librum ex latina in vulgarem linguam nostram vertisse dicitur. Iacent exuuiæ hominis sat gestis inclyti, apud Mexicanos Sodales. Videri potest de eo Franciscus Gonzaga *Historia Seraphica IV. Parte, in Descriptione Prouinciæ S. Euangelij*. apud Martyrolog die 31. Iulij.

§. 17. Sextus scriptor, Magister, & Instructor earum Regionum, è Prouin-

uincia S. Iacobi, ad eam, quæ S. Gabrielis denominatur, translatus, & ex illa in Indiam profectus, his verbis celebris redditur in Martyrologio prælaudato, sub die 20. Septembris. *In Mexico B. Garziæ de Cisneros, Confessoris, qui potens opere, & sermone strenuissimè laborauit, pro Indorum conuersione: & primus Prouincialis Minister Prouinciæ S. Euangelij electus, summa integritate Vitæ, ac prudentia præfuit.* In annotatione vero subiungitur. Vir prudens, & circumspectus extitit: obseruantiæque professionis suæ cupidissimus. Laborabat maximè in annunciando Dei verbo Indis, quibus, ne eo absente aliquibus deesset, pluras ei Mexicano idiomate abs se conscriptas conciones relinquebat, quas illorum peritiores, festiuis diebus, conuocato fidelium cætu, prælegerent. Instituto à se Collegio S. Iacobi Tlatibulco, vbi Mexicanorum pueri instruerentur, & prima elementa caperent, posteàque in triuialibus disciplinis, ac fidei mysterijs, imbuerentur; doctos, pios que Viros Franciscanos præfecit.

§. 18. Menologium Franciscanum, die præmemorata, hos viros vocat Arnaldum de Bassaco, Bernardinum de Sahagune, Andræam de Olmos, & Ioannem de Goana: & in tanti Institutoris studij litterarum laudem, sic prosequitur. [ Cum Custodia S. Euangelij, in Generali Capitulo, Niciæ celebrato, an. 1535. in Prouinciam erigeretur, ac propterea Capitulum in noua Hispania indiceretur, illic vnanimi omnium consensu electus est Minister Prouincialis, ob singularem animi eius probitatem, & præclara merita; quod munus summa integritate, prudentia, omniumque approbatione administrauit. Et licèt esset Prouincia satis vasta, atque ampla; Discalceatus tamen per pedes visitauit omnia Loca, ac prædicauit populis fidem Christi, ritum Catholicum paulatim per habiliores inducendo. Maximè dolebat, quod Hispani milites tàm durè, tractarent neobaptizatos Indos, itaut reliqui Indi eo ipso à Christiana fide abhorrerent: ideoque resignato officio Prouincialatus, determinabat in persona reuerti, & in Castella Carolum V. Monarcham, eiusque Consiliarios de hoc malo tractamento informare, sed verò, cum profectionem pararet, infirmatur ad mortem, sanctè moritur, & Mexici in Loco honorato sepelitur.] Hunc inter Indiarum Scriptores commemorat Bibliotheca Hispana Nicolai Antonij, litt. G. his verbis. Fr. Garzias de Cisneros, Franciscanus, sodalis scripsit, Antonio Leonio teste, in Bibliotheca Indico Occidentali *Tit.* 18. Sermones, Mexicana lingua. De quo & Antonius Posseuinus.

§. 19. Septimus Scriptor, & Defensor Neophitorum nouę Hispaniæ in sæpedicto Martyrologio Franciscano, die 18. Augusti relatus, hac ibi potitur commendatione. *In Mexico Beati Francisci à Soto, Confessoris, qui summa prudentia, patientia, & pietate, atque abstinentia emicans, Prouinciam S. Euangelij sanctissimè rexit, & meritis cumulatus feliciter spiritum Deo reddidit.* In annotatione autem exprimitur, quòd *Prouinciæ S. Iacobi fuerit alumnus*: necnon quod vnus ex duodecim illis Patribus fuit, qui primi omnium in Indiam Occidentalem appulere. Vir erat perspicacis ingenij, maximæque prudentiæ: & in Hispania, atque India plurimi Conuentuum Guardianum egit: sæpè diffinitor Prouincialis extitit: & tandem Prouinciæ S. Euangelij, quartus Minister Prouincialis est electus. Munus Apostolici prædicatoris excellenter obiuit; magno enim spiritus ardore Christianam fidem indigenis, tametsi illorum idioma non optimè calleret, annunciabat. Velut alter Phinees, magno zelo diuini Cultus, & honoris inflammabatur; præsertim autem paupertatis, quam maximè diligebat. Inuictu temperatissimus, atque vini abstemius: seuerus in se cernebatur, qui tamen cæteris admodum benignus erat, & misericors. Multas, easque graues pertulit tribulationes, pro miseris Indis ab oppressione subleuandis: quorum salutem summa auiditate sitiebat. Migrante in Cęlum, Beato Ioanne à Zumarraga, Mexicano Archiepiscopo, eam dignitatem Carolus V. Imperator obtulit ipsi Beato Francisco; deque ea accipienda multis precibus cum eo actum est: qui tamen ad id nullo modo induci potuit, vt humanos honores assumeret: flagranti desiderio optabat in India vitam finire,

& desiderium pauperis exaudiuit Dominus. Cum reuersus esset ex Hispania suscepit magna cum deuotione, ac spiritus alacritate Diuina sacramenta; & ann. 1551. plenus virtutibus, & sanctis operibus, ad Cælos euolauit; cuius corpus terræ humatum est, in Conuentu Mexicano. Agunt de eo Gonzaga par. 4. sup. in eo Conuentu, qui est 1. Prouinciæ S. Euangelij, Bosius tom. 1. de signis Eccles. lib. 12. cap. 2. Daza 4. par. Chronic. Minor. lib. 2. cap. 18. ex Baptista Moles cap 19.

§. 20. Vnus extitit è Patribus, qui munus quasi Episcopale, vigore facultatum Apostolicarum, de quibus loquuti fuimus superiùs, in illis partibus gerentes, primis Concilijs Prouincialibus antea memoratis, interfuerunt, & Decisionibus Doctrinalibus verbo, & scripto inibi fundamenta ministrarunt, consultòque subscripserunt. Epistolis, & Libellis supplicibus, atque Apologeticis, libertatem Indorum Neophitorum summopere tutatus est, tam apud Regem ipsum, & Cæsarem, quam apud eiusdem Ministros, & Consiliarios. Ex quo in Menologio Franciscano, die prærelata, ita laudatur. *Grauia quidem in Hispanijs tractauit argumenta, de Hispanorum exorbitantijs contra Indos, ideoque noluit in Hispania mori; sed desiderium pauperis exaudiuit Dominus, ac proinde reuersus in Indias, susceptis magna cum deuotione, & animi alacritate Diuinis Sacramentis, virtutum, ac Sanctorum operum pretia transportauit in Cælos.*

§. 21. Octauus Scriptor, & Doctor (quoad Prouinciarum alumnatum, & assistentiam in Concilijs, ac Synodis, similis præcedenti) à non semel laudato Martyrologio, die 13. Septembris, sic enuntiatur. *In Mexico, Beati Antonij Ciuitatensis, Confessoris, qui ingenti spiritus feruore, in Indiam traijciens Occiduā, post Guardianatus, Prouincialatusque expleta munia: post Episcopales etiam recusatas Dignitates, multis perfunctis laboribus pro Indorum salute; clarusque meritis, excessit è vita.* In annotatione autem subiungitur. Vir omninò singularis pænitentiæ, & abstinentiæ. Eius opera, ac precibus obtentum est à Carolo V. Imperatore, vt remissiùs agerent cum Indis, & à grauissimis tributis subleuarentur. Electus est in Episcopum nouæ Gallæciæ, sed ob eximiam animi demissionem, munus id constantissimè recusauit. Anno autem Christi 1553. inuasit eum morbus, cumque ei medicus, *Alcazar* nomine, extremam horam edidisset, summa lætitia prosiliens, iucundum id nuntium, sibi esse profuturam, respondit. Sepultus iacet in Conuentu Mexicano; vbi maximo honore, atque summa obseruantia ab omnibus veneratur. De eo scribunt Hilarion à Costa lib. 1. histor. Catholic, pag. 115. & Gonzaga, 4. *part.* in Conuentu Mexicano, qui est primus Prouinciæ S. Euangelij. Scripta tamen, quibus partes egit miserrimæ Gentis Indicæ, & verum se exibuit illius propugnatorem, in rebus iustis, omninò perierunt, non sine magno gloriæ tanti Viri detrimento, publicæque vtilitatis præiudicio.

§. 22. Nonus Scriptor, è Prouincia S. Iacobi ad eam, quæ S. Gabrielis dicitur, & inde in Nouam Hispaniam translatus, memorabilis effulget, apud sæpiùs enuntiatum Martyrologium Franciscanum, vbi die 6. Aprilis ita effertur. *In Mexico, Beati Alphonsi ab Herrera, Confessoris, qui scientia, prudentia, pietate, ac Religione praclarus, suis frequentissimis Concionibus multum insudauit in conuersione Indorum Occidentalium, & senio confectus, fæliciter obdormiuit in Domino.* Et in annotatione, post enarratam operam, quam Salmanticæ adolescens nauauerat studio Iuris Ciuilis, de ipso iam in Noua Hispania commorante, sic subiungitur. Initijs quidē valdè commotus est, vt in Hispaniam reuerteretur, idque ipsum suadere reliquis conabatur, nō esse eius ingenij indigenas asseuerans, ex quibus posset fructus aliquis colligi. Sed cum aliquando in Cellula clausus maximè istiusmodi perturbatione conflictaretur: nouo quodam, & insueto Spiritu excitatus, inde se proripuit, & ad Superiorem accedens, ab eo postulauit, se vt prædicatum Indis mitteret: id enim & Diuino Cultui Dei, & propriæ saluti conuenire asserens. Facultatem assequutus, statimque profectus, non eamplius perturbatione afflictus est, multumque, & diligenter, in eo munere desuda-

sudauit: Cum indigenas non solum doceret, sed vt parens, & Patronus defenderet. Vir erat Religionis, & eius Regulæ amantissimus, quique cum operam suam tàm Indis, quam Hispanis grauiter impenderet, sincerè ab vtrisque diligeretur.

§. 23. Ob prudentiam autem, & doctrinam, non apud illos omnes solùm, sed in Congregationibus, quæ Religiosorum tunc omnium, & nouæ Hispaniæ Episcoporum, fieri solebant; magni semper eius sententia momenti habebatur. Sancti Euangelij Prouinciæ multorum Conuentuum Guardianus extitit, Commissariusque eiusdem, annis circiter duobus, B. Patre Martino de Valentia, tunc Custode existente. Sancta planè senectute confectus, obijt, & apud Conuentum Mexicanum est sepultus. Agunt de eo Gonzaga *part.* 4. in eodem Conuentu Mexici, qui est 1. Prouinc. S. Euangelij. Et Bibliotheca Hispana D. Nicolai Antonij, *litt. A.* per hæc verba. F. Fr. Alphonsus de Herrera, Ordinis Minorum, Regularis Obseruantiæ scripsit apud Indos eorum lingua. *Sermones Dominicales, ac de Sanctis* Lucas Wadingus.

§. 24. Decimus Scriptor eiusdem Prouinciæ S. Iacobi alumnus, sequenti gaudet commendatione, in toties laudato Martyrologio, sub die 23. Octobris. *In India Occidentali, Beati Benardini Saguntini, Confessoris*; Et in annotatione, sic de ipso enarratur. Ex Hispania traiecit in Indiam Occiduam, annis quinque post aduentum 12. primorum Patrum Franciscanorum Discalceatorum, in eam Regionem, scilicet anno Christi 1529. vbi sedulò laborauit in vinea Domini. Nam cùm B. Garcias de Cisneros instituisset Collegium S. Iacobi de Tlatibulco: pro instituenda, ac docenda Indorum noua plantula; quosdam doctos, Sanctosque Viros elegit, inter quos B. Benardinus secundum obtinuit locum. Familiarem contraxit amicitiam cum B. Martino à Valentia, Indiarum Apostolo, quem & meruit sæpè cernere raptum in extasim. Florebat adhuc anno 1584. senexque decessit è vita. Agunt de eo Gonzaga 4. part. Seraphic. Relig. in 1. & 10. Conuentu Prouinciæ S. Euangelij, vbi de B.B. Garcia, & Martino, præfatis: Daza *lib.* 2. *cap.* 15. & 21.

§. 25. Bibliotheca autem Hispana D. Nicolai Antonij, *litt.* B. hæc addit. Fr. Bernardinus de Sahagun, Ordinis Fratrũ Minorum, Regularis Obseruantiæ, ad faciendã Euangelij messẽ, in Indiã transiens, Idiomatis Mexicani peritiã adeptus fuit singularẽ, pluresque in eadẽ lingua Hispanos transtulit, aut eiusdẽ confecit libros, qui maximo sunt hodie adlumento sacris Concionatoribus, atq; animarũ Pastoribus scilicet. *Artem, seu Grammaticam linguæ Mexicanæ. Dictionariũ copiosissimum trilingue Mexicanum, Hispanum, & Latinum* XII. magnis voluminibus distinctum, quod laudatur à Luca Wadingo *de Scriptoribus Ordinis Minorum*: qui tamen ab alio opere, quod Vocabularium appellat, nescio an rectè, distinguit. *Psalmodiam, varia scilicet cantica spiritualia, verusque de Christi Domini, Mariæ Matris, aliorumque Sanctorum gestis,* quibus Indi in suis Choræis, nuptijs hymenæis, & Iocis vterentur, vt inanisque Deorum ritibus, & profanis vocibus desuescerent, vt Wadingus ait. *Postilla super omnia Euangelia Dominicalia.* Ambiguum mihi an aliud sit, quod tribuit etiã nostro, Opus, Antonius Leonius *in Bibliotheca Indica Occidentali*, titulo XVIIJ. nempè Sermones duplices totius anni. *Vitam S. Bernardini Senensis. Platica para despues del Bautismo de los Niños.* Mexicana lingua hæc omnia, sed & Hispana. *Historia de las cosas antiguas, que los Indios vsaban en su Infidelidad, assi de sus Dioses, idolatrias, ritos, y ceremonias, como de su gouierno, leyes, y Policia,* XII. *libris*, quos Prorex quidam nouæ Hispaniæ dicitur, ad Hispaniam nostram misisse; vti ex Ioanne Turrecremata monet Anton. de Leon. *in Bibliotecha Indica Occidentali*, tit XVIIJ. Qui & tribuit nostro. *Platica de los Primeros PP. de Nueua España en la conuersion delos Señores de ella*: editum quidem formis Typographicis. Tribuunt ei alij. *La Conquista de Mexico.*

§. 26. Horum Scriptorum duo vltimi, cum Martino Valentino in Nouam Hispaniam simul non transfretarunt; verum non longè post illuc peruenerunt: habueruntque sequacem Ludouicum

 Vil-

Villalpando, in sæpe laudata Prouincia S. Iacobi professum, & vnum ex primis Iucatanæ Prouinciæ ( vt inquit præcitatus Author Bibliothecæ Hispanæ ) apud Indos mystis, qui, edito libello, Indicam linguam, in Ordinem, atque certas Regulas, quibus facillimè addiscitur, probè redegit. Nobilitati sunt tandem ij Magistri earum Regionum, Consortio alterius suæ Prouinciæ Consodalis, quem die 9. Aprilis, commemorat præcitatum Martyrologium, per hæc Verba: *In Mexico, Beati Antonij Maldonati, Confessoris genere, ac virtute illustris, qui, cum Guardianus Mexicani Conuentus existeret, admiranda humilitate, paupertate, sui ipsius, ac Mundi contemptu, illuxit.* Et in annotatione, de ipso ita enarratur. Salmanticæ nobili genere nascitur, cumque Patre mortuo, septem millia, & quingenta aureorum nummorum, in redditibus, ex primogenitura haberet: filiamque nobilissimi cuiusdam herois sibi despondisset, ea occasione habitum Religionis suscepit; quod cum bellici prælij species, & simulachrum, in sponsaliorum celebratione ingenti ab eo apparatu, indictum fuisset, per totam noctem, haud potuit quiescere, identidèm in mente habens illa Verba *sic transit gloria Mundi*, quæ quidem impulsio mentis vsque adeo vehemens fuit, vt se statim Religioni mancipauerit. Minoritico habitu eadem in Vrbe suscepto, magna cum omnium admiratione, & solatio, virtuti egregiam operam dedit.

S. 27. Post professionem verò, arctioris vitę desiderio, in Sancti Gabrielis Prouinciam transijt; indèque nouam petens Hispaniam, maxima cum Religione, paupertate, & sui ipsius castigatione vixit, quibus, & probitate vitæ, tametsi natiuum idioma ignoraret, maximo tamen Regionibus illis emolumento fuit. Guardianus Mexicani Conuentus cum esset, ipsemet Sacculum deferens in hortos, ad ea propter Deum postulanda pergebat, quæ erant ægrotantibus necessaria, admiranda sanè humilitate, & sui ac Mundi contemptu. Vnum tantummodo, & simplicem habitum deferebat, aliarum virtutum, maximè paupertatis fulgens ornatu. Tandem annorum numero grauatus, & meritis bonorum operum cumulatus, è vita discessit in Conuentu Mexicano, summa cum sanctitatis opinione, vbi & sepultus est. De eo scripserunt Gonzaga par. 4. sup. in eo Conuentu Mexicano, qui est 1. Prouin. S. Euangelij. Iure merito igitur dici poterit Noua Hispania prædicatione, & scriptis Virorum, sub B. Iacobi Apostoli tutela, ac Patrocinio, Deo sacrorum, ad fidem conuersa, & vsque nunc mirè illustrata.

S. 28. Verùm quia præmissa omnia, eos tantum Minoritas concernunt, qui ante annum 1541. profecti sunt ad excolendam Vineam, quam Pater Cælestis tunc plantaueraт in illis Regionibus: ideò opus erit nonnulla addere, quæ spectant ad tempora subsequentia. Idque ità succintè, vt non iam per particulares Fratrum Missiones; sed per integrarum Prouinciarum Regularium erectiones, innotescant fructus ab eo anno, vsque ad diem hodiernam, ex ea Vinea à Minoritis abundè reportati. Ad quod sequentem congerimus prædictarum erectionum seriem, seu relationem: præmittentes tamen circà Prouinciam S. Crucis Caracarum, siuè Hispaniolæ, quod tametsi anno 1505. in Lauallensi Capitulo, ad Prouinciæ Dignitatem euecta fuerit; quia tamen anno 1534. crescente in noua Hispania Sanctæ Fidei dilatatione, supplicatum est, apud Apostolicam Sedem, vt extincta illa S. Crucis Prouincia, alia sub titulo S. Euangelij erigeretur, in Mexico ( quod & Pontifex edito diplomate concessit, & in Nicienfibus Comitijs anno 1535. fuit executioni demandatum, quoad nouæ S. Euangelij Prouinciæ erectionem ) ista S. Crucis, ob Patrum oppositiones, adhuc nihilominus in suo gradu permanente, anno 1559. in Aquilano Capitulo postmodum fuit in Custodiam redacta, & Nouæ S. Ioseph de Iucatan Prouincię incorporata. Quando autem ad gradum Prouinciæ fuerit restituta, expressè non constat, præterquamquod anno 1593. in Catalogo Vallisoletano inter alias, cum titulo Prouinciæ recensetur, & anno 1612. Romanis in Comitijs, eam esse verissimè Prouinciam, extitit declaratum.

S. 29. Anno itaque 1553. celebrato Salmanticæ intra Almam S. Iacobi Pro-

Prouinciam, Capitulo Generali Ordinis, Custodia Peruana (anno 1535. vti diximus, creata) in Prouinciam, quæ totam illam Regionem, & Indiarum partem, complecteretur, inibi est erecta: opem ad id ferentibus Salmanticensibus Patribus, propter egregia merita plurium suæ Prouinciæ alumnorum, qui tunc præ alijs, in ea Custodia, zelo conuersionis Infidelium, Sanctitate Vitæ, prudentia, & litteris eminebant. Inter quos celeberrimum nomen posteritati reliquerunt, Fr. Franciscus Victoria, Fr. Antonius à Sancto Michaele, & Fr. Didacus Medellin. De primo loquemur inferiùs in erectione Prouinciç Sanctæ Fidei: de duobus alijs eximium adest Testimonium in relatione Vitç, & Miraculorum Beati Francisci Solani, congesta à P. Ludouico Hieronymo de Orè, dignissimo postmodum Episcopo Chilensi, (cuius laus die 11. Decemb. refertur apud Franciscanū Menologiū) qui eos, & Prouinciæ S. Iacobi alumnos, & Limensis Ministros Prouinciales, Vitæque sanctitate conspicuos, ibi ex professo commemorat.

§. 30. Accedit Menologium prælaudatum, in quo die 18. Februarij de duorum primo ita legitur. [Chile in Occidentali India Peruana, circa annum 1545 Reuer. Confessor., & Episcopus Antonius à S. Michaele pietate, & sāctitate Salmaticensem Nobilitatem illustrauit: & non tantùm primus, ex Indianorum Apostolis, in Regia Metropoli Cusco celeberrimum Hospitale erexit; sed etiam nouum Conuentum probatissimis legibus administrauit.] Die verò 5. Decembris vt infra adiungitur. [In Peruana Ciuitate Quito, circa annum 1586. Antonius de S. Michaele, quidditatem perfectissimi Præsulis, concursu Populi, & plurimis miraculis obtinuit. Is Salmanticæ nobilibus Parentibus ortus, Sanctitate Vitæ, & meritorū præstantia meruit, vt in S. Euangelij Prouincia inter præcipuos Diuini Verbi Præcones referatur, qui ingentem Gentilium Indorum numerum conuerterit ad Christum, & Sacro Baptismatis fonte initiarit. In suo Prouincialatu, fælicis Gubernij, & dignissimi Præsulis exemplar, Limanæ Prouinciæ reliquit, vt potè qui nonnunquam suorum subditorum errata, in propria carnis mortificatione vindicauit. Quotidie trina vice conscientiam suam Confessario Sacramentaliter exposuit, primò ante Missæ Sacrificium, deinde post finitam Missam, tertiò denique ad Vesperam ante cubitum. Ad Salutiferæ Crucis signum, mira deuotione ferebatur; ita ut è Cella ad Chorum pergendo, passim in angulis, & arboribus signatas Cruces veneraretur, & oscularetur: immo quando in terra duo stramina per modum Crucis composita inspexit, protinùs ingenua corruit, & Crucem adorauit, aut certè ad impediendam irreuerentiæ notam, iacentia stramina sustulit.

§. 31. Episcopus factus Ciuitatis Imperialis, seu Conceptionis, in Regno Chilensi, nec à priori Religionis rigore remisit, nec fœminam vllam licentiosè aspexit, nec pecunias tetigit, vel tractauit, nec Lectisternium aliud quam ligneum asserem admisit, nec seruum ad inducenda, vel exercenda vestimenta applicauit, nec in alio aliquo defecit, quod sublime Episcopandi munus condecoraset. In Limensi Concilio, anno 1583. Doctrina, auctoritate, scientia, & probitate, inter reliquos Patres velut Sol, inter Stellas emicuit. Cum ex affectu suæ Limensis Cellæ, vltrò Chilensi Episcopatui renuntiasset, Philippus II. Hispaniarum Monarcha præstantiorē Episcopatum Quitensem in vito imposuit. Triduo autem, antequam ad suam Cathedralem Ecclesiam perueniret, Sanctissima morte, correptus obijt, proindè à toto Clero, & Populo honorificentissima Processione illuc delatus, & fraganti tractabilitate, vniuersalique miraculorum concurrentia fuit illustratus.]

§. 32. De secundo autem idem Menologium Franciscanum sequentem, die 4. Dedembris, perhibet attestationem. [In Cathedrali Ecclesia Chilensi Prouinciæ Limanæ, Didacus Medellinus, suæ Sanctæ, & immaculatæ vitæ, sub Pontificali ornatu, locum æternæ quietis posuit. Erat autem in Conuersatione integerrimus, in virtutum progressu admirandus, in Apostolico zelo incomparabilis, & in humilitatis obsequijs singularissimus. Veritatis, & Veracitatis tantus erat Assertor; vt imaginari sibi non potuerit, hominem posse cuiusdam

falsi.

falsitatis conuinci. Planè de ipso admirandum refertur, quod renitentibus alijs, minores Scholas, & Puerorum Gymnasia erexerit, atque etiam Grammaticam docuerit, postquam in Apostolica illa Pietatis Prouincia Limana, suum Prouincialatum communi Sanctimoniæ laude absoluit. Ad Insulam Episcopalem S. Iacobi de Chile cum vltrò promoueretur, à priori religiosa, ac rigorosa conuersatione non deflexit; sed verbo, & exemplo pascendi gregis vigilias administrauit.]

§. 33. Interfuerunt ij duo præclarissimi Episcopi primo Concilio Prouinciali Limano, in quo, Præside Beato Toribio Mogrouejo, Archiepiscopo, ea stabilita sunt, per quæ animi ipsorum candor, Cultus Diuini Zelus, Ecclesiastici Ordinis disciplinæ fomentum, animarum salutis enixum studium, administrandæ iustitiæ perfectissimæ regulæ, conseruandæ pacis inter Regularem, ac Secularem Clerum integer conatus, & dilatandæ Fidei per eas Regiones summa affectio, non obscurè, tanquam per speculum demonstrantur: prout euidenter innotescet cunctis, qui Cerimoniale Ecclesiasticum, maiorem, ac Minorem Catechismum, edicta Generalia, leges Sanctissimas, & Canones Sacros, in prædicta Synodo renouatos, vel ex integro, secundum earum Regionum indigentiam, conditos, aut approbatos, attentè perpenderint. Omnia quippè ita Sanctæ Romanæ Ecclesiæ grata extitere, vt eam laudem, & approbationem ab ipsa obtinuerint, de qua testimonium perhibuit Cardinalis Carafa b. m. die 26. Octoblis 1588. legendam apud Limam Limatam P. Haroldi, in fine præmemorati Concilij.

§. 34. Qui quidem Author, in annotationibus ad primam actionem eiusdem, de nostris duobus Episcopis, ita fatur. [Hic erat (*loquitur de primo, Antonio videlicet à Sancto Michaele*) natione Hispanus, & Fr. Ordin. Minorum, clarissimus Verbi Dei apud Peruuianos Concionator, ac Prouinciæ Limensis, duodecim Apostolorum, Prouincialis Minister. Anno 1563. creatus est Episcopus Ciuitatis Imperialis, in Regno Chilensij, datis Romæ Bullis eodem anno, X. Calen. Aprilis. Huic deinde Prouinciali Concilio Limensi, vigesimo post anno interfuit, & præter alios labores, eidem impensos, in prima, tertia, & quarta eius Act. publica, sermonem ad Conciliares habuit, & in quarta Summum etiam decantauit Sacrum. Finita verò hac Actione, ipse simul cum Fratre Didaco S. Iacobi Chilensis Episcopo, de quo infra, ex facultate Concilij ad suas Diœceses reuersi sunt. Antonius Episcopatum apud Philippum Regem abdicare studuit, rogans, vt ad pristinam Cænobij cellam ei redire liceret, mortem cum Religiosis consodalibus meditaturo, sed prudens Rex viri dotes, & Pastoralis Officij per eius absentiam detrimenta, præ alijs apprimè docti, assentiri noluit: quin potiùs maioris Ecclesiæ Quitensis curam illi iniunxit. Qua dolenter suscepta, cum se ad migrandum pararet, ad meliorem Ecclesiam, vt piè creditur, in Cœlum abijt, relicto Peruuianis magno sui desiderio, cum Doctrinæ, morumque Sanctimoniæ, & miraculorum fama, vti de eo scribit in Historia illius Prouinciæ apud me M. S. Fr. Didacus à Corduba, eiusdem Prouinciæ perpetuus Pater, Chronographus, & publicus, auctoritate Apostolica, Notarius:

§. 35. De secundo autem, Didaco videlicet de Medellin ita inquit. Hic etiam ex Ordin. Minorum assumptus, natus est in Bethuria, Prouincia Hispaniæ, vulgo Estremadura, in Oppido Medellin, vnde sumpsit cognomen. Posteà factus Minorita, Verbum Dei inter Peruuianos prædicando, Cœlesti Spiritu, & virtutum insignijs claruit, & illius Prouinciæ Limensis Prouincialis Minister fuit, circa annum Christi 1568. Et anno 1574. factus est Episcopus Ciuitatis S. Iacobi Chilensis, datis Romæ Bullis 14. Cal. Iunij. Cumque Ecclesiam cum laude rexisset, anno demum circiter 1593. in sua Ciuitate obijt, & in Ecclesia Cathedrali honorificè sepultus est, cum singularis vitæ probitatis opinione.

§. 36. Meritò itaque Determinationes præmemorati Concilij magnam Venerationem, à similium Patrum doctrina, & Vitæ Sanctitate, sibi vindicant; tantamque adeptæ sunt, vt non in Limensi

mensi tantum, nunc arctiori Prouincia; sed in vniuersa ferè Meridionali America, in plures iam Prouincias diuisa, ac etiam in Brasilia religiosè seruentur. Ex quo earum obseruantiæ applicari queunt verba Antonij de Leone, in Vita B. Toribij *cap.*6. & in quæst.moral.de chocolate *par.* 2.§. 4. *num.* 17. dicentis. *Eius Decreta recepta sunt, non solum in decem Episcopatibus suffraganeis, qui tunc parebant Archiepiscopatui Limensi, sed etiam in alijs septem Episcopatibus, quæ sunt Pacis, Borranca, Guamanga, Arequipa, Truxilli, Fluminis argentei, ex Paragayano exciso, & Conceptionis Chilensis, qui Imperiali successerat. Et in alijs, vt in Metropolitano noui Regni Granatensis, & suis Suffraganeis Popayanensi, Carthaginensi, & S. Marthæ, & in Nicaraguano, qui tunc erat Suffraganeus Limano, quamuis hodiè Mexicano pareat: itaut hoc Sacrum Concilium à D. Toribio Alphonso Mogronejo dispositum, ordinem, & normam in rebus Ecclesiasticis dederit tribus Archiepiscopatibus, & Episcopatibus septemdecim, in quibus omnibus etiam nunc obseruatur.* Sed plures Episcopatus, postquam scripsit hic Author, erecti sunt, in quibus primum hoc Toribij Concilium, doctrina, zelo, & prudentia præmemoratorum alumnorum Prouinciæ S. Iacobi maximè illustratum, eximia pollet authoritate, & normam præbet, ad vitæ spiritualis, & Ecclesiasticæ ordinationem.

# DISTINCTIO IX.

*Enunciantur alij Fructus Missionum antiquarum Fratrum Minorum, ex quibus deduci valet non exigua cognitio præsentis statu Religionis Catholicæ, in Indijs Occidentalibus.*

## §. I.

CRescente numero Indorum, qui Christianę Religioni nomen dabant incessanter, in Noua Hispania, creuit quoque numerus Conuentuum Minorum Fratrum, quibus ipsi sedem fixam concredebant, ne præsentia, exemplo, ac doctrina illorum vnquam carerent, quibus spiritualem regenerationem partam, grato animo asserebant. Hinc anno 1559. in Capitulo Generali, apud Aquilam congregato, ex Conuentibus Iucatanicæ Regionis, instituta est alia Prouincia in noua Hispania, sub titulo *Sancti Ioseph de Iucatan.* Inter præcipuos Operarios pro illius Gentis Conuersione, quibus ea Prouincia sua primordia vltrò confitetur, numerantur Venerabiles Patres Franciscus Bustillo, Didacus de Alba, Franciscus de Valderas, & Laurentius à Bienuenida: omnes Prouinciæ S. Iacobi alumni, de quibus antea locuti fuimus. Pro vltimo autem, speciale adest elogium in Franciscano Menologio, die 6. Aprilis, huius tenoris.

§. 2. [Apud Indos Iucatanos, qui communitèr etiam *Maiathan*, seu *Maiapan* nominantur; circa annum 1530. P. Laurentius Bienuenida, benè venit, dum Cæli porta aperta staret: eandem enim ingredi meruit, dignissimus Christi Confessor, post noctes in Orationibus insomnes, post austerioris vitæ exercitia, post conuersas ad Christum Prouincias, post diruta Idolorum simulacra, post baptizatos innumeros Neophitos, post Monasteria, Templa, & Collegia erecta. Reineccius in solone.] De Gundisaluo Mendez, & alijs, mentio fiet inferiùs, in enarratione erectionum cæterarum Prouinciarum.

§. 3. Anno 1565. in Capitulo Generali Vallisoletano erectæ sunt, ordine hic seruando, Prouinciæ sequentes. Prima sub Titulo Sanctorum Petri, & Pauli de Mechoacan: quæ suum originem tra-

traxit à præclari sæpius laudatæ Prouinciæ S. Iacobi alumno; de quo apud Martyrologium Franciscanum, die 25. Septembris, ita habetur. *Pasquarij, apud Mechoacanicum, Indiæ Occidentalis Regnum, Beati Martini à Iesu, Confessoris, qui fuit feruentissimis Concionibus, & moribus propè admirandis, multa Indorum millia conuertit ad Christum.* Et in annotatione, subiungitur. *Prouinciæ S. Iacobi fuit alumnus: atque vnus ex primis illis duodecim Franciscanis, qui ex Hispania soluentes ad Occiduas Indiæ Regiones, felicissimè traiecerunt, atque Catholicæ Fidei Vexilla, in eorum Oppidis, & Ciuitatibus gloriosè erexerunt.*

§. 4. Menologium etiam in ipsius commendationem, inquit. Cum enim Sihuanga bellicosissimus Mechiocani, & Xalisci Rex, rogatus à Montezuma Mexici Rege (cum quo perpetuo bello disceptabat) vt intermissis ad tempus antiquis odijs, sua signa secum coniungeret, aduersus Communem Patriæ Indorum hostem Hispanum, peruicacissimè roganti renuisset, nec solum suppetias ferre negasset, sed etiam bellum contra ipsum renouasset: factum est, vt Hispanus, Montezuma superato, Indorum rebus, nullo resistente, animosè fuerit potitus; relicto etiam in omni Loco terrore Victoriæ, & armorum, flammarumque vorantium metu. Tandem Sinzica, prædicti Sihuangæ Regis filius, paternorum morum imitator, & crudelitatis æmulator, immenso furore copias duplicauit, non solum contra Hispanos, sed etiam contra fratres suos Germanos (quorum tres truculenta morte infata iam præmiserat) ne vllum Regni consortium deberet admittere, Dominandi libidine exagitatus, in campos prodire parabat: nec quiquam attendens, quod desertus auxilio, & inimico Rege Montezuma iam capto, solus, vnusque, Hispanorum viribus, caput, & humeros esset obiecturus.

§. 5. Statuit igitur de rei summa, cum hoste consertis armis, acritèr, viriliterque disceptare. Sed ecce! dum ad tantum bellum properanter accingitur, de repente potentissima Dei manus, obstinatum cor Regis adeò emoliuit, vt, crudelitate, in mansuetudinem, & pessima voluntate, in optimam mutatis, subitò verebundus Christiani sanguinis effundendi, Legatos magnificentissimis muneribus instructos, ad Hispanorum Castra miserit, qui suo nomine pacem ab eis exorarent, & tributum, obedientiamque Hispano Regi, in singulos annos repromitterent. Quæ res vtique miraculo non caruit: cum tanta fuerit bellicosissimorum hostium copia, vt dubio, & periculoso marte fuisset Hispanis pugnandum; nisi magna Dei Prouidentia vicisset propositum crudelissimi Regis: qui impetrata pace, quam desiderauerat, ipsemet pertæsus catenatarum difficultatum, ad sacrum Baptismatis fontem festinauit, factus ex lupo agnus, ex persecutore defensor, ex hoste amicus, & ex Gentile Christianus, cui iam renato, publico plausu, inditum est nomen Seraphici P. Francisci.

§. 6. Igitur Franciscus Rex (olim Sinzica) veniens Mexicum, venerabilem omnique commendatione dignissimum, P. Martinum à Iesu, obnixè deprecabatur, eum in Comitatum suum, Mechiochanum versus adsciscere volens, vt ibi suis populis Indis Christianæ fidei Apostolus fieret, & regenerationis Author, cum fæliciſſima instruendorum salute, & innumerosa cælis lucrandorum copia. Iam enim Rex suæ Maiestatis, & status oblitus, non iam subditorum Regimen, sed quod caput est, salutem sitiebat, & vrgebat, Institutorem agens, & præconem, pro Saluatore suo Iesu Christo. Martinus verò cognita Regis Francisci pietate, secutus est euntem in Ciuitatem Sinsonzæ, sociosque secum duxit, ad tantum animarum negotium cooperaturos, Angelum de Saliceto, Hieronymum de Bodia, Ioannem Aquitanum, Michaelem à Bononia, & Ioannem Badillia. Exinde Prouincia SS. Petri, & Pauli Apostolorum, valdè ampla prodiuit; quæ conterminos habet Chichimecas, crudele, & barbarum hominum genus, ad quod conuertendum, plurimos è suis Conuentibus emisit Prædicatores, quorum iam circa annum 1625. supra viginti Fratres Martyrij purpura decorati sunt.

§. 7. Vt ex eo Beatum hunc dicere liceat Martinum à Iesu, qui tantum pro illius Nomine, & honore sudando, & prouinciæ Fundator, & illorum gentium Do-

Doctor, meritò appellandus fuerit. Verè Apostolus; qui Idolatriam radicitus euertere volens, simulacra vniuersa cum aureis, & argenteis iocalibus, & plurimis prætiosis lapidibus, sibi ab Indis olim oblatis (velut alter Iacob Patriarcha) in profundissimum stagnum deiectis, submersis, demum in medio foro ignibus tradidit: infinitosque penè Infideles, cum Sanctissimis suis hortationibus, tum quoque mirabili quodam, & Angelico potiùs, quam humano viuendi modo, Christo Saluatori peperit. Fuit enim vir eximius, in oratione spiritus, & sæpè in Contemplatione extra se positus, & raptus: quarè vniuersæ carnis semitam, maxima sanctitatis opinione, est emensus. Super ipsius Sepulchrum pluries visus est quidam Frater, lucidissimo splendore radians, & ideò opinio de Martini sanctitate creuit, & deuotio ad tantum Apostolum fuit aduocata. Arturus. Barrezus. Grauina. Daza, Mazara. Orsæler.

§. 8. Secunda Prouincia ibi erecta, titulum sortita est *Sancti Nominis Iesu de Guatimala*: quæ, vt antea indicauimus, duodecim habuit lapides fundamentales, in duodecim filijs Prouinciæ Sancti Iacobi, Guatimalensi Conuentui à Commissario earum partium, non sine Mysterio assignatis. Horum nonnullos commemorat Menologium Franciscanum die 24. Aprilis, per hæc verba. Guatemalicæ in noua Hispania, ad ann. 1539. sub Paulo III. recensentur sex Apostolici Viri, Religiosi Minoritæ, Alphonsus Etasius, Didacus Ordonesius, Alphonsus Bustillo, Didacus Aluachius seu Pesquius, Franciscus de Valderas, & Gonsaluus Mendesius, qui dimissa sua Prouincia S. Iacobi, Hispali nauigium conscenderunt, & superato Oceano, in veræ Crucis portu pro reparandis, ac refocillandis, labore attritis corporibus, aliquandiu substiterunt: quousque nouas itinerum difficultates aggredientes, post pedibus emensa mille milliaria, tandem Guatemalam, nobilem Ciuitatem penetrarunt. Vbi ab Hispanis, eiusdem Ciuitatibus Conditoribus, & circumiacentis Regionis expugnatoribus, sed & ab Indis, ad fidem de nouo conuersis, humanissimè sunt recepti.

§. 9. Martyrologium verò pariter Franciscanum, die 5. Maij, vltimum è præmemoratis, maiori laude concelebrat, ipsum expressè Beatum nuncupando; & in annotatione, vt suæ commendationis rationem perhibeat, inquit. [Huius Sancti Viri elogium illustrissimus Gonzaga describit, cum illius egregia recenset opera *part. 4.* in Conuentu S. Francisci Guatemalę, qui est 1. *Prouinc.* Nominis Iesu Guatemalensis: his verbis. *Secundus verò Fr. videlicet Gonsaluus Mendez, qui ex Sancti Iacobi Prouincia, ad hanc, inter primos eius fundatores, traiecit, Prouincialatusque munere semel, atque secundò, in illa laudabiliter functus est; adeò suæ professionis, suique status Zelator extitit, vt nunquam, vel senio confectus, vel laboribus attritus, aliud à nudo asse re, & ligneo ceruicali in lectum admittere, vel inter asperrimos montes, aut exequendi muneris, aut prædicandi ergo, incedens, equitare voluerit*: *vel tantillum, aut à Sacra lectione, aut ab oratione, aut etiam ab Indorum in fide instructione, dempto parcissimo tempore, quo somno coactus, omninò indulgebat, respirauit. His igitur, & alijs de causis à Guatemalicis, quibus moriens maximum sui desiderium reliquit, non secus ac Deo carissimus habetur pientissimus P. Gonsaluus Mendez, qui 5. Maij, anno à Natiuitate Domini 1582. prout præfato Patri Ioanni Calero prædixerat, è viuis excessit, ad cælosque cum Sanctis & electis Dei annumerandus, euolauit*: Eadem testantur Barezzus 4 *part.* Chronic. Minor. *lib.* 4. *cap.* 13. Daza *lib.* 2. *cap.* 35. & 36.

§. 10. Tertia Prouincia ibi titulo insignita est, *Sanctæ Fidei in noua Granata*. Hæc similiter P. Franciscū Victoria, in Prouincia S. Iacobi professum, tanquam Fundatorem præcipuum grata veneratur: de quo in sæpiùs allegato Menologio, die 27. Decembris succinctè dicitur, *Conuentum Sancti Francisci de Iesu* (loquitur de Limano) *suis reliquijs locupletarunt Franciscus de Victoria, primus Generalis Commissarius, Sanctitate plenus &c.* alios Fūdatores non recensemus, quia ad hanc Prouinciam non spectant. Silentio tamen præterire non valemus, hanc valdè quandoque illustratam extitisse, splendore virtutum Reuerendissimi

Lu-

Ludouici Zapata, Episcopi Sanctæ Fidei, quem, vti Mater, spiritualiter genuerat, atque nutrierat, non semel laudata Sancti Iacobi alma Prouincia.

§. 11. Aliæ tres Prouinciæ, in eodem Capitulo erectæ, cum suis titulis exprimuntur in statuto Generali, ad præmemoratum effectum edito, cuius verba sunt. *Prouincia duodecim Apostolorum de Perù, diuiditur in quinque Prouincias, & vnam Custodiam, videlicet hoc modo. Custodia noui Regni de Granata erigitur in Prouinciam, intitulabiturque Prouincia S. Fidei noui Regni de Granata. Custodia S. Pauli de Quito, erigitur in Prouinciam, quæ intitulabitur Prouincia S. Francisci de Quito, in Perù. Custodia Sanctissimæ Trinitatis de Chile, sub eodem titulo erit Prouincia. Ciuitas Regum, in qua est Regalis Audientia, cum toto districtu audientiæ, erit Prouincia duodecim Apostolorum, in qua reseruatur nomen antiquū, quia est Mater omnium istarum Prouinciarum. Ciuitas Argentina, in qua est Regalis Audientia, erigitur in Prouinciā, cum toto districtu Regalis Audientiæ, vsque ad Ciuitatem de Arechipa inclusiuè, & intitulabitur Prouincia S. Antonij Charcarum. Regnum terræ firmæ, cum Carthagena, & Tuluth, sit Custodia, subdita Prouinciæ duodecim Apostolorum*, Vltra incrementa, quæ per Primarios totius Indiæ Peruanæ Missionarios, Prouinciæ S. Iacobi alumnos, tribus Prouincijs præfatis, antequam ad huiusmodi gradum assumerentur, collata extiterant; suum omnes stabilimentum agnoscunt à Zelo, prudentia, & authoritate Venerabilis P. Francisci de Victoria, superiùs enunciati, qui totum suum Generalem earum partium Commissariatum impendit, in euehendis, ac perficiendis prædictis Prouincijs, & in stabiliendis rebus, quæ earum gubernium immediatius concernebant.

§. 12. Post has, erecta est, in Noua Hispania, ea, quæ *Sancti Georgij de Nicaraguas* nuncupatur, cuius præcipuus Fundator extitit præclarissimus Verbi Dei Declamator, Alphonsus de Betanzos, de quo Wadingus, tom. 2. ad annum 1289. num. 41. loquens de erectione Conuentus S. Francisci de Betanzos, Prouinciæ S. Iacobi, inquit. *Ibidem initiatus Venerabilis Dei Seruus Alphonsus de Betanzos, Fundator Prouinciæ Nicaraguæ, in Indijs Occidentalibus, cuius præclarè meminit Gonzaga, & nos suo tempore ampliorem dabimus notitiam*. Eiusdem memoria perennatur in Franciscano Martyrologio, die 20. Iunij, per hæc verba. *Carthagine, in Costarricana, Indiæ Occiduæ Regione, Beati Alphonsi Betanzos, Confessoris, qui primus illic Verbum Dei Euangelizans, quamplurima Indorum millia conuertit ad Christum, & clarus meritis, ad præmia Cælestia migrauit*.

§. 16. Arturus autem à Monasterio, in annotatione ad prædicta verba, sic addit. Primus fuit, qui Catholicam Fidem Costaricanis Indis annuntiauit, prædicauitque, primus quoque Prouinc. S. Georgij de Nicaragua Fundator extitit: plurium linguarum, præsertim verò Indicarum gnarus: qui molestias sibi atque vexationes iniustè illatas, ad tempus declinaturus, Guatemalica ex Custodia, cuius alumnus effectus erat, ad has partes, circa annum à partu Virgineo, 1550. traiecit: vbi adhærentibus sibi alijs duobus Franciscanis, qui cum quodam Licentiato, cognomine *Canallon*, ex Hispania eo se contulerant: tot Indos ad Christi fidem conuertit, totque vberrimos fructus, tum opere, tum quoque Sermone, Dominicum in horreum intulit, vt incredibile sit affatu. Prętereà, tanta humilitate, tantaque humanitate præditus extitit, vt omnes in sui amorem, suique desiderium raperet. Nihil etiam eo modestiùs, nihil continentiùs, nihilque mitiùs fuit: vnde, nec mirum, quod tot, talesque progressus, istis in partibus fecerit, totque hominum millia suaui Saluatoris Christi iugo submiserit. Obijt denique magna cum pietate, & Sanctitate, sub anno 1566. non longè ab Indorum Oppido cui *Chomes*, Indicè nomen est, illiusque ossa, in eiusdem Oppidi Ecclesia, à fidelibus Oppidanis honestissimè tumulata fuere. Vndè postmodum exhumata, atque Carthaginem (quæ celebris Costaricanæ Prou. Ciuitas est) translata in maius Conuentus S. Francisci, istius Vrbis, Sacellum illata sunt: vbi tum ab Hispanis, tum quoque ab Indis, in maxima

xima veneratione habentur. Agunt de eo Gonzaga *par. 4. sup. in præfata Prou. S. Georgij*, & prædicto Conuentu, qui est 1. huiusce Prou. Barrezzus *sup. l. 4. cap. 13.* Rapinæus *in hist. General. Orig. Recollect. Decad. 5. par. 1. S. 12.* Vvadingus *sup. ann. 1289. S. 41.* Marianus *l. 2. cap. 49. Chron. Reform.* Grauina *in voce Turturis, par. 2. cap. 24.* Daza *4. part. Chron. Min. lib. 2. cap. 33.*

S. 14. Perfectiori stabilimento huius Nicaraguæ, & præmemoratarum Prouinciarum nouę Hispanię, seu Imperij Mexicani, operam impensissimam nauauit, admirãdæ pietatis Vir, Alphonsus Maldonatus, Sanguine, & Doctrina Illustris, Almę Prouinciæ S. Iacobi alumnus dignissimus, qui annis pręcedentibus munus gesserat Commissarij Generalis earum partium. Quo functo, in Hispaniam regressus, quamplura Philippo II. exposuit, ad augumentum Christianæ Religionis, & prosperum illius Imperij, quoad singulos status, gubernium conducentia. Indéque Romam, pro ampliori soliditate spiritualium, accedens, à Beato Pio V. tunc Pontificatum tenente, adeò paternè, ac benignè fuit receptus, & pro suo, erga Infidelium conuersionem, Zelo, peramanter auditus, vt voluerit Sanctissimus Pontifex, quod non apud Aracęlitanum Conuentum, sed apud ipsum Pontificium Palatium moram traheret, donec salutem in tot peregrinationibus extenuatam, vel deperditam, recuperaret. Ex quo, cum in Hispaniam, pristinæ iam valetudini restitutus, Apostolicis litteris, ad Regem directis, commendatus, honoreque, ac facultatibus Prædicatoris Apostolici decoratus remeauerit, tanta deinceps pręfulsit apud omnes existimatione, vt inuidia aliquorum, & aliorum modica repręhensionum, in Concionibus: ac cęteris actibus tolerantia impellentibus, vt vita functo B. Pio, coactus fuerit ipse ingentes subire tribulationes; in quibus Deo fidelis comprobatus, non longè post diem extremum Salmanticæ clausit, in æternum, cum alijs Missionarijs Sanctissimis, in Cęlo regnaturus.

S. 15. Post iam memoratas tam Mexicanas, quàm Peruuias Prouincias, ea erecta est, apud Insulas Philippinas, quę nuncupatur *Sancti Gregorij Philippinarum*. Verùm quia ista extra Nouam Hispaniam, & Peruuiam Indiam posita est: & ex eo ad nostram Missionem Indiarum Occidentalium spectat, quia Insulæ Philippinæ, respectu commorantium in Mexicanis, ac Peruuijs Regionibus, in parte Occidentali sunt, & versus Occidentem nauigarunt, qui ab America discesserunt, ad earum Insularum detectionem: subsuntque Dominio Regis Catholici, qui illuc Ministros, & Missionarios, quoties opportet, mittit, transfretantes per eandem primam Viam; & non per mare Indiarum Orientalium Dominij Portugalliæ, (quo cursu inspecto, Insulæ huiusmodi dicerentur etiam Orientales) ideò, ad omnem de medio tollendam æquiuocationem, nonnulla hic permittimus, circa Missiones Orientales, quæ clariorem reddent intelligentiam Occidentalium.

S. 16. Consideratis igitur modernioribus Seculis, prout ad Indiam Orientalem attinent, nihil nouum proferemús, asserentes, quòd initium illius conuersionis ad Christum, spectat post Deum, ad Patres Minores: omnes enim fatentur, Franciscanos primos fuisse, qui huic operi operam dederunt: Constat quippè, quatuor ex Franciscanis, ob fidei Christianæ prædicationem, glorioso martyrio occubuisse, ann. 1321. seu 322. apud Tamnam, Indiæ Orientalis Vrbem, quorum memoria apud aliquos illius Patriæ Mauros, atque etiam Gentiles, adhuc extat, signis admirandis gloriosa. Qua de re, consulendus venit Gonzaga *4. par. in Conuentu* 10. Prouinciæ S. Thomæ; nec non legenda prima annotatio, in diem 13. Aprilis Martyrologij Franciscani, ibi, de eisdem Martyribus ità profertur. Horum celebre Martyrium discimus ex fideli relatione pluriumvirorum, qui glorioso eorum triumpho adfuere, quales sunt, Fr. Iordanus, & Fr. Franciscus, ex Ordine Prædicat. Fr. Petrus, Vicarius Fratrum Minor. in Oriente, Fr. Iacobus à Camerino, Custos apud Taurisium, alijque non pauci; passi sunt ann. Dom. 1321. feria 5. ante Dominicam Palmarum, quorum duo primi, scilicet Beatus Thomas de Tolentino, Prouinc. Marchiæ, Senex ve-

nerandæque canitiei, & Fr. Iacobus Paduanus, erant Sacerdotes: duo autem alij, videlicet: Beatus Demetrius de Tefolio Virgianus, & Petrus de Senis, Fratres Laici. Eorum autem omnium mentionem facit D. Antoninus, dicens. *Anno Domini 1321. feria 5. post Dominicam de Passione, quatuor de Ordine Fratrum Minor. in Tamna Ciuitate Saracenorum fuerunt martyrio coronati, scilicet Fr. Thomas de Tolentino, F. Iacobus de Padua, Demetrius Laicus, seu Conuersus, sciens linguas varias, & Petrus de Senis, cũ prædicarent fidem Christi, & Mahometũ assererent filiũ perditionis, & legem suã abominabilem, primo igni traditi sunt, sed cum nihil eos ignis læsionis intulisset, diuersis cruciatibus occisi sunt, & miracula aliqua facta sunt.* Hæc ille 3. *part. histo-riar titul.* 24. *cap.* 9. S. 15.

S. 17. Subinde ann. 1500. Cum Serenissimus Emanuel, Portugalliæ Rex, instructam ex 13 Nauibus classem, sub Illustrissimo, ac strenuo Duce, Petro Aluarez Cabral, ad Indos secundò parasset: octo Fratres Minores, viros vtique graues, doctos, ac pios, Prouinciæque Portugalliæ alumnos, in ea transmisit: quatenùs ipsos Orientales Indos, posposito quocumque vitæ discrimine, suis prædicationibus, atque exhortationibus Christo lucrifacerent. Quorum antesignanus extitit R P. Henricus à Conymbria, qui cum solus (alijs septem socijs diuersimodè ab illis Barbaris oppressis, atque Illustri Martyrio coronatis) ex tam famoso certamine superfuisset; plurimis exanthlatis laboribus, Custodiam Sancti Thomæ erigere, atque plantare cœpit: quæ adeò excreuit, vt plurimis Prouincijs æquiparari, immò potius præferri optimo iure possit. Tres autem, ex præfatis Fratribus, pro Christo interierunt, apud Calicutum, vbi prædicta classis peruenerat; Reliqui verò Cochinum perrexerunt; vt Regem Cochimensem, eiusque Populum ad fidem conuerterent: quo in opere multa grauia passi sunt pro Christo. Hæc ex Christophoro à Capite-fontium: Gonzaga *par.* 3. in Prouinc. Portugalliæ. Item *par.* 4. in Prouinc. S. Thomæ.

S. 18. Hieronymus Osorius, Episcopus Algarbiensis lib. 2. de rebus Emmanuelis Lusitaniæ Regis, ità scribit: *Misit autem in hac classe quinque Monachos, Religionis opinione præstantes, ex his, qui Francisci Viri Sanctiss. mores, & instituta sequuntur.* Quinque autem solummodo numerat in ea expeditione Franciscanos; quia, tribus prioribus martyrio coronatis, apud Calicutum, opera Samorini Regis, totidem (nimirum hi quinque) remanserant, qui exinde soluentes, vna cum Classis Præfecto, Petro Aluarez Cabral, Cochinum Petierunt. Eos enim verò fuisse numero octo, testantur, Bosius, *de signis Ecclesi. Dei tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. Horatius Turselinus, *lib.* 2. *cap.* 1. Vitæ S. Francisci Xauerij. Galterius, *in Tabula Cosmograph. Secul.* 16. *in Euentibus Memorabil.* ex Iarrico *lib.* 1. *histor. Ind. Oriental. par.* 2. *c.* 23. Spondanus ad *ann.* 1500. Status, Imperia & Principatus Mundi, vbi de Goa, & Maffeius *lib.* 2. *histor. Indic. sub. init.*

S. 19. Præterea anno 1502. idem Portugalliæ Rex Emmanuel aliam Classem 13. Nauibus extructam, sub Vasco à Gama in Indiam transmisit: qui fœlicissimo itinere, secundisque Ventis, Cochinum peruenit: atque post aliquot dies, aduentantes ad se quosdam Christianorum Orientalium Legatos, humanissimè, atque honorificentissimè excepit: qui se iactabant, fidem ab Apostolo Thoma traditam, adhuc conseruasse: Licèt aliquot errores sanæ Doctrinæ Apostolicæ, postea admiscuerint; à quibus tamen per Dei gratiam, fratrum Minorum opera, & fideli prædicatione, reuocati sunt. Nam audita eorum Legatione, mutuam, arctissimamque secum contraxere amicitiam: & sæpiùs Fratres Minores ad eos diuertebant. Gonzaga *par.* 4 in Prouinc. S. Thomæ. Histor. Orientis *par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. & alij.

§. 20. Idem Rex Lusitanus adiecit, ann. 1505. præcedentibus aliam Classem, Multòque instructiorem; cui Illustrem Franciscum ab Almeida (quem & Indiæ Proregem creauit) præfecit; & aliquot Franciscanos Fratres secum ducere voluit: qui Prorex ità strenuè munus suum exequutus est, vt antequam in Indiam peruenerit, Mazambiquicum littus, atque Melindem, eorumque Reges, Lusitano subiugauit Imperio.

tio. In qua quidem deditione non parum Fratrum Minorum, quos secum habebat, virtus enituit: cum alius Militum vulnera alligauerit, alius acceleratam morientium confessionem exceperit, alius militem ad pugnam cohortatus sit, & alius Cruces, Christianaque vexilla fœlicissimè erexerit. Barezzus *cap.* 15. Maffeius *lib.* 3. *sup.* & Daza *cap.* 45. ex histor. Orientis 1. *part. lib.* 1. *cap.* 17.

§. 21. Anno deinde 1510. Alphonsus Albuquerquius, nouus Indiæ Prorex, Goam, Famosam Indorum Ciuitatem viriliter expugnauit, Regisque Emmanuelis ditioni subdidit, atque Franciscanis Fratribus, qui ea in expugnatione diligentissimam operam, pro suo munere, nauarant, Locum ad vnius Conuentus ædificationem, propè Maurorum delubrum, assignauit: quem Rex præfatus, iuxtà eius, qui Eboræ in Lusitania constructus est, formam, ædificari voluit. Ex quo Conuentu, tanquam, ex quodam Seminario egressi Religiosissimi, ac Zelantissimi Fratres, alij Classi cõgregabantur: alij Xenodochijs preerãt, infirmisq; aderãt, alij Barbaris illis Nationibus, atque Gentilibus, Verbum Dei proponebant, prædicabant, atque conuersos Sacro regenerationis lauacro purificabant: alij verò factorijs (sic enim domus, in quibus aromata in Portugalliam deferenda conseruantur, appellitari consueuerunt) assistebant: Lusitanis Cannonori, Cochimi, Corlani, atque Goæ, agentibus, Sacramenta ministrabant. Vtque paucis multa perstringamus, quicquid in India Orientali per 40. continuos annos laboris fuit, siue in infirmis curandis, siue in Infidelibus conuertendis, siue in Cathecuminis instruendis, siue in Conuersis in Officio continendis, siue in Sacramentis ministrandis, siue etiam in alijs operibus charitatis exercendis: Id totum ex Franciscanorũ humeris pependit Maffe. *lib.* 8. & alij supra.

§. 22. Eodem tempore, quo patefacta est via hæc ad promouendam Conuersionem Indiarum Orientalium, cæpit etiam S. Iacobi Prouincia nouos & producere palmites, qui possent spiritualiter abundè germinare in illis Regionibus. Tunc siquidem eximiè florebat Ioannes Guadalupensis: de quo P. Arturus in annotatione ad commemorationem B. Ioannis Guadalupensis, appositam in Martyrologio Franciscano, sub die 11. Septembris, hæc refert. [Prouinciæ S. Iacobi fuit alumnus; à qua strictioris obseruantiæ studio, transijt in eam, quæ nunc est, Prouinciam, tunc verò, Custodiam Angelorum: illicque sub Cælesti disciplina B. Patris Ioannis à Popula, educatus, spiritum deuotionis, perfectionis, & feruoris adeò suxit, vt propterea ab eo sit Guardianus institutus Conuentus Sancti Dominici Xarandiliæ: posteà verò asperiorem quandam vitam, arctioremque vitæ rationem anhelans, Romam petijt, vbi Apostolicas litteras, quibus pauperculos, humilesque aliquot Conuentus, in Hispania sibi erigere liceret, ab Alexandro VI. Papa impetrauit. Quarum etiam litterarum tenore voluit summus Pontifex: vt quotquot Franciscani Fratres, cuiuscumque essent Prouinciæ, ad huiusmodi domos transire vellent: id liberè, atque licentia, etiam à Superioribus minimè obtenta, facere possent: vtque Custodia, per Beatum Ioannem Guadalupensem de nouo erigenda, Generali totius Ordinis Ministro immediatè subiecta esset. Cum igitur præmemorato Beato Ioanni Guadalupensi, Religiosi Patres BB. Petrus Melgarius, Angelus Pincianus: Michael Cordubensis, & Ioannes ab Aquila, Prouinciæ S. Iacobi, Regularis Obseruantiæ alumni: atque aliquot alij Fratres adhæsissent: ipso die Annuntiationis Deiparæ Virginis, anno 1500. primus, fundamentalisque Conuentus gloriosæ Virginis Mariæ (qui & totius Custodiæ basis ad tempus extitit) Lapis, de Religioso more, ac de omnium Ciuium sententia, propè Scalabiam, vel (vt alij volunt) Castrum Iulij: (vulgo *Truxillo*) iactus extitit. Cui cum nonnulli alij essent adiuncti, omnes simul Custodiæ Sancti Euangelij Titulo, ex Alexandri VI Papæ concessione, eidem B. Ioanni Guadalupensi facta, cohonestati fuere.]

§. 23. Tunc cæpit quamplurimis agitari molestijs: ter namque ex Hispania Romam venit: & toties à Sede Apostolica benignè receptus, & auditus; quoties æmuli sibi aduersari nisi fuerant. Quia verò suę nouę Custodiæ S. Euangelij titu-

tu-

tulum dederat, eo quòd perfectionem Euangelicam adamussim seruare decreuerat: illius alumni nuncupati sunt Fratres de Sancto Euangelio: à nuditate pedum (quia nudis pedibus, absque sotulis, caligis, Sandalijs, seù alia quauis re incederent) Fratres Discalceati denominabantur. A Caputio autem quadrato, parumpèr acuto, vocati sunt Fratres de Caputio. Quæ tamen cognomina ablata sunt per Leonem X. Papam, in vnione totius Ordinis Seraphici, tempore Capituli Generalis, Romæ celebrati, anno 1517.

§. 24. Tandē pergens Guadalupensis Romā, ad Capitulū Generale, anno 1506. sanctissimè obijt in Domino. Egregiū tamen reliquit Discipulū, Ioannē Paschaliū de Aquila, superiùs nominatum, qui apud Orbem Seraphicum, *tom. 1. lib. 5. cap. 9. §. 9.* ita Commendatur. [Beati Ioannis de Guadalupe Discipulus, & Socius fidelissimus, in Andalusia natus (de quo suo loco dicemus) in Sancti Iacobi Prouincia professus, promouendæ Guadalupensi Reformationi, constanti patientia adlaborauit. Magistro vitafuncto, opus non dimittens, inuicta constantia Romam profectus, varia à Christi Vicario Diplomata impetrauit: vndè tandem S. Simonis in Galætia Custodiam fundauit: (*intellige post Capitulum Vnionis*) quam à sui fundatoris nomine, Custodiā Paschalitarum fuisse nuncupatam comperimus. Primū Conuentū S. Simonis in Insula, in conspectu Redondellæ, (ex quo datum Custodiæ agnomen) in summo paupertatis rigore, secundum pariformi paupertate in Oppido *Vigo*, & tertium Baionæ, in Galætiā construxerat.]

§. 25. Et post nonnulla [Denique cum quartum suæ Custodiæ Cænobium Lorianæ ad Badajozij confinia fundaturus iuisset, cum reuerteretur, eo quo prædixerat modo, & hora, abiens à mortalibus, initia stabilita dimisit, quæ pro fundata S. Ioseph insigni Prouincia ex parte inseruierunt. (Quod historica narratione dictum sit, non vt ab Ecclesiæ auctoritate approbatum, vt secundum Vrbani VIII. Decreta fuit protestatus) Cōuentus enim à Paschalio, siue Paschasio erecti, adiuncto sibi de Manzanete Cœnobio pauperrimo, in Badajoziana Diœcesi, per Fratrem Alphonsum de Manzanete, eiusdem spiritus virum, fabricato, remanserunt & non obstantibus Patrum Conuentualium, de S. Iacobi Prouincia, grauissimis oppositionibus: protegentibus tamen Ioanne Velasco de Auila, viro Primario, simul & Maria, & Leonora, Caroli V. Cæsaris vterinis Sororibus: per Fratrem Antonium Paulinum à S. Quirico, pro Conuentualibus per Hispaniam vniuersam, Commissarium, in peculiarem Custodiam, sub titulo S. Ioseph erectos fuisse legimus] Demùm cum pauperrimis, à S. Petro de Alcātara, tunc inceptis Cænobijs, in peculiarē Prouinciā, Discalceatā, conseruato S. Ioseph titulo, promota est Custodia prædicta, & agente Francisco Zamorensi, totius Ordinis Ministro Generali, & approbante per speciale Diploma Pio IV. Pontifice, nomen dedit, ac obedientiam Obseruantibus; saluis tamen in ea, per Bullæ tenorem, S. Ioannis Baptistæ, & antiqua S. Simonis, seù Paschalitarum Custodijs. Verùm, anno 1583 à Generali Gonzaga vltima hæc S. Simonis, & Iudæ Custodia, legitimis de causis (ait Gonzaga) omnium Patrum consensu, in Toletana Generali Congregatione fuit extincta, concessis Prouinciæ S. Iacobi eius Conuentibus.

§. 26. Alterum etiam reliquit Guadalupensis præclarum Discipulum, Petrum de Melgar, de quo idem Arturus die 3. Aprilis, in annotatione ad commemorationem B. Petri Melgari, inquit. [Ex Valentia erat oriundus, nobilibus parentibus progenitus; qui in seculo, sub Catholicorum Hispaniæ Regum Ferdinando, eiusque Coniuge Elisabetha, signis strenuè militauit: sed à Lusitanis aliquando captus, atque Vinculis grauissimis constrictus, miraculosè è carcere liber egreditur: in cuius beneficij memoriam, proposuit sibi (dùm possibilitas afforet) Minoriticum Ordinem assumere, vt liberiùs, ac pleniùs Deo vacaret. Quare ex consensu suæ vxoris, voto continentiæ iam emisso; ad Prouinciam S. Iacobi se contulit: vbi habitum Religionis accipiens, Laicorum Fratrum numero adiunctus est, Domino famulaturus, in Conuentu Sanctæ Mariæ de Angelis, qui nunc est 1. Prouinciæ S. Gabrielis: vbi diutinam protraxit moram. Maximo spi-

spiritus feruore cœpit se exercere, in orationibus, abstinentijs, paupertate, austeritatis, pœnitentiæque operibus. Verùm ad maiora perfectionis incrementa aspirans, ingenti purioris suę Regulæ obseruationis zelo quotidie inflammatus: summè exoptabat, reformationem fieri in Ordine Seraphico.]

§. 27. Quare cum à Ioanne de Guadalupe habitum Reformationis accepisset, ann. 1497. & Custos institutus fuisset Fratrum Reformatorum Regni Castellæ: è vita migrante Guadalupensi, denuò est Custos institutus Custodiæ S. Euangelij, cum plenitudine potestatis, per R.P. Ægidium de Amelia, Generalem Ministrum totius Ordinis: quo in officio confirmatus est anno 1506. 8. Iulij, per Patrem Gratianum à Cotignola, huic in Generalatu successorem. Denique auctoritate Apostolica, electus est Minister Prouincialis omnium Reformatorum Hispaniæ; quod tamen munus haud potuit exercere, emanato in contrarium, & ad fauorem Prouinciæ S. Iacobi à Iulio II. Apostolico Breui, videndo apud *tom.* 2. Orbis Seraphici, *lib.* 7 *cap.* 2. vbi ante illius tenorem, ità narratur.

§. 28. [Post varias itaque rerum vicissitudines, in hisce pietatis Chronicis recitatas, anno 1508. fauente Briganti no Duce, confirmatum fuit à Iulio Pontifice, vt Guadalupenses, ad fugiendas æmulorũ inquietitudines, Ministro Prouinciæ Portugalliæ subiecti remanerent: de hinc sollicitante Angelo Pinciano, euicerunt, vt de duabus ipsorum Custodijs, Prouincia vna conflaretur, pro cuius eligendo Ministro, Fratres omnes capitulariter congregati, ad S. Francisci de Chaues, Melgarium in primum suum Prouincialem, maximo singulorum applausu, elegerunt. Opponentibus verò incessantèr Obseruantibus, efficaces adeò fuerunt Catholici Regis instantiæ, vt reuocata concessione præfata, Angeloque Pinciano ab Vrbe pulso, de recuperando Pontificis fauore fuerit desperatum; & omnes Obseruantium S. Iacobi, Vicario Prouinciali obedientiam promittere, fuerint coacti, vt ex sequenti Diplomate apparebit.]

§. 29. Transcriptoque Diplomate, post illius tenorem, ita ibi subiungitur. [Agente verò Catholico Rege, apud Lusitanum, & apud Brigantinum Ducem, vt non solum Castellani, qui iam indè recesserant, hinc indè per Superiores dispersi, sed & Lusitani ipsi, nouæ Reformationis Sectatores omninò de Lusitania repellerentur; Deo qui Charitas est, desuper mouente, ac Emmanuele Rege ipsos sincerè protegente, ad huiusmodi concordiæ pacta, mutuo partium consensu, deuentum est; Primò vt Obseruantium S. Iacobi Vicario reunitis, sub communi habitus forma, quos in Castella erexerant, Conuentibus, Lusitanicos regeret Melgarius; cum titulo, & auctoritate Custodis, sed sub Obseruantium Vicarij Generalis obedientia, Conuentualibus valedicens in perpetuum; quæ Custodia Pietatis in Lusitania diceretur; Secundò vt Vicarius Generalis per se immediatè, non antem per suum Commissarium ipsos visitare posset, & corrigere; Fratres verò in illis Conuentibus, nisi de Triennalis Custodis assensu, neque collocare posset, nec amouere, cuius concordati confirmationem authenticam, tùm ab Obseruantium Vicario Generali, tùm à Pontifice deberent impetrare.

§. 30. Ad hæc, protestatus est Rex Emmanuel (cuius nemine Litteræ concordati expeditæ fuerunt) se quicqnam in contrarium attentari non permissurum, ea determinatione, vt contrauentores prorsus è Regno suo inappellabilitèr expelleret. Concordatum ergo, in Congregatione Generali Vallisoletana, sub Martiali Boulier Vicario Generali receptum, & per Franciscum Pachecum eius Commissarium, die 15. Iunij confirmatum; tandem die 4. Maij 1509. Iulij II. Apostolico Diplomate fuit approbatum: vndè & in Capitulo Generali Obseruantium Rapistagní, in Aquitania, sub Nicolao Gilberti, Vicario Generali, anno 1511. celebrato, recepta fuit ad obedientiam Vicarij Generalis noua Custodia S. Mariæ de Pietate, in Lusitania.] Remanserunt tamen vniti Prouinciæ S. Iacobi Conuentus Castellæ. Circa quos adhuc sequens ibi superadditur enarratio.

§. 31. [Inter hæc, Angelus Pincianus (Discipulus etiam Guadalupensis) præcepto Pontificis adactus, Villam Vi-

tiosam ab Vrbe reuersus, vbi concordatum intellexit, ab ipso recedens, Conuentus suos in Castella à nonnullis associatus, etiam Ministri Generalis præcepto munitus, frustra recuperare tentauit, donec à Ministro ipso Generali solitaria, & pauperrima Loca, quatuor; in Extremadura, ab ipso, eiusque socijs, sub Conuentualium obedientia, inhabitanda, suscepit.] Tandem anno 1517. in Generalissimo Capitulo, Custodia hæc Extremaduræ, seu de S. Euangelio, & Custodia Pietatis in Lusitania, inter Obseruantes remanserunt connumeratæ. Custodia enim Pietatis hac, iam ab anno 1511. gaudebat incorporatione; Custodia verò S. Euangelij nonnisi ab anno præcedenti, idest 1516. in quo, ad obtinendos à Prouincia S. Iacobi nonnullos Conuentus, se, vigore litteratum Apostolicarum, quæ anteà ad hunc effectum emanauerant, & ritè reuocatæ non censebantur, per subsequentem nouæ erectionis Custodiæ confirmationem, præfatæ Prouinciæ voluit aggregare, sub conditionibus postea, in Capitulo Generali Vnionis, renouatis, & approbatis.

§. 32. Ad quarum præscriptum, eidem Custodiæ ex tunc cæperunt incorporari illi septem Conuentus, quos, iuxta concordatum, ex integro ipsi consignauit Prouincia S Iacobi, post præmemoratum Generale Capitulum Vnionis. Nec anteà, neq; alio titulo potuit transferri, ad Patres Custodiæ S. Euangelij, Conuentus S. Francisci de Manjarretes; in quo habitum Ordinis, de manu P. Michaelis Rochi Guardiani, anno 1515. susceperat S. Petrus de Alcantara: quoniam Conuentus huiusmodi 36. locum obtinebat, in serie Conuentuum Prouinciæ S. Iacobi, Regularis Obseruantiæ, Capitulo Generalissimo, anni 1506. presentata, quam exhibent P. Wading. *tom.* 8. sub illo anno. Et P. Gubernatis *tom.* 4. *Orbis Seraphici*, *pag.* 383. transcripiam ex P. Haroldo in fine Epit. Annalium. Et Marianus Florentinus Scriptor illius temporis, florebat siquidem ab anno 1506. vsque ad 1523. *lib.* 5. *Fasciculi Chronicorum Seraphici Ordinis Minorum*, Conuentum eundem, inter Oratoria, seu loca solitaria dictæ Prouinciæ, quæ anno 1506 presentata extitere Generalissimo Capitulo, iam dicto, indubiè enumerat, nullum relinquens fundamentum ad opinandum, cum Modernioribus Authoribus, quod anno 1513. ad Patres Conuentuales attineret, & ab his ad Patres Custodiæ S. Euangelij fuerit translatus. Tunc enim non adeò rectè testati fuissent, qui in Processu authoritate Ordinaria, pro Beatificatione S. Petri de Alcantara confecto, eum initiatum asseruerunt, vti inspeximus in Originali, & professum, in Prouincia S. Iacobi. Quæ dicta sint ad veriorem expressionem Originis Prouinciarum Discalceatarũ memorandarũ inferiùs, apud Indiam Orientalem, & Insulas Philippinas. Post predicta verò, Petrus de Melgar, Prouinciæ Pietatis Fundator in Lusitania; ibi pluribus annis vitam duxit; perfectione, ac Sanctitate celeberrimam; obijtque Borbæ, in Conuentu S. Mariæ de Consolatione: ibique eius Corpus, honorificè conditum, non sine veneratione requiescit.

§. 33. Sicut autem, vti diximus superiùs, *distinct.* 4. *à* §. 4. Filios enutriuit Prouincia S Iacobi, in Custodia S. Euangelij, posteà Sancti Gabrielis, subinde ad Gradum Prouinciæ, sub eodem titulo euecta, qui Primatum obtinuerunt in Conuersione Terræ Continentis, seu firmæ Indiarum Occidentalium: ità in Custodia Pietatis, erecta postmodum in Prouinciam, sub eadem denominatione, alios genuit, vel natos intra suorum Conuentuum Claustra, ibi tanquam in Seminario perfectionis altissimæ vidit instructos, quibus idem debetur Primatus in Indiarum Orientalium, fælici reductione; licèt primi non fuerint Concionatores, quorum vox Euangelica primò audita extiterit, in vna, aut altera Iudia. Istorum præcipui recensentur apud Menologium Ordinis Seraphici, & Chronica Prouinciæ Pietatis; necnon apud monumenta Prouinciæ S. Iacobi, asseruata in Archiuio S. Isidori de Vrbe, inter quæ adest series Episcoporum, qui priùs nomen huic Prouinciæ dederunt, & cum illis numeratur insignis ille Goanus, Ioannes Albuquerquius, ad Pietatis Prouinciam, vna cum Fr. Vincentio & alijs, translatus, qui ante, & post Episcopalem Dignitatem, plus verbi

Dei gladio, & Religionis zelo, in illis Regionibus superauit, quam prçlaudatus Dux Alburquerquius, Indiæ Goanæ primus Expugnator.

§. 34. De nostro, Pater Arturus, in annotatione ad elogium ipsius Ioannis Episcopi, die 16. Iunij in Martyrologio Franciscano descripti, cum Gonzaga testatur, quod fuerit Vir *omni Sanctitate, atque Religione præditus, qui secum duos Socios, Diuini honoris zelo insignes*, duxit in Indiam: quique ab Horatio Turfellino, *lib. 2. cap. 1.* Vitæ B. Francisci Xauerij valdè commendatur: ab eo enim vocatur *Goanus Episcopus, Ioannes Alburquerquius, Vir ex Franciscana Familia, Doctrina, & Religione insignis: nulli in tota India tunc erant Religiosi, prætter Franciscanos*; Scilicet, quando ipse D. Franciscus eo appulit. Quibus assentitur Rapineus sup *Decad. 5. part. 1. S. 6.* Author libri: *Status, Imperia, & Principatus Mundi*: Vbi de Goa, & Maffeius: qui tamen *lib. 10. histor. Indicar. vers. fin.* clarè testatur, alium Episcopum nomine *Fernandum*, etiam Minoritam, hunc præcessisse: dicens. *Eodem Prætore (Indiæ) Nonnio, primus ex Episcoporum numero, ad Ecclesiasticam rem inspiciendam, ordinandamque Fernandez, ex Franciscana Familia, in Indiam venit; vbi cum cæteris functionibus; cum Sacramentis præsertim Confirmationis, & Ordinis, ritè ministrandis, necnon per Sacras Conciones, & priuata colloquia Lusitanis ad disciplinam, atque ad officium reuocandis, Ethnicis ad Christianam alliciendis fidem; Episcopale munus egregiè præstitit, nec dubium quin multa, & ab hoc Viro, & ab alijs, in eo genere, digna relatu, & præconio, gesta sint.*

§. 35. Idem posteà agens de Garzia Noronia, Nonnij successore: hæc subdit *lib. 11. longè post med. Prater militares autem copias, Episcopo Ferdinando iam Vita functo, virum egregium, qui eo munere fungeretur, secum Garzias adduxerat, Ioannem Alburquerquium, è Franciscana Familia, Castellanum, eiusque Comites, atque adiutores: Vincentium ex eadem Familia, Cathechistam eximium*, &c. Daza *cap. 53. lib. 1.* Scribit ipsum Fernandum, seu Hernandum, consecratum fuisse Episc. ann. 1531. Illum verò V. Ioannem Episcopum, Maffeius vocat, præstanti sapientia, Pontificem, *lib. 12. ante med.* & Sanctus Franciscus Xauerius, illum appellabat *Antistitem vigilantissimum*, eodem Maffeio teste, *lib. 14. post init.* qui circa an. 1556. loquitur de morte ipsius B. Goani Præsulis, *lib. 16. vers. fin.* Iarricus verò sub ann. 1558. *part. 2. histor. Indor. Orient. lib. 1. cap. 17.* Daza *4. part. Chronic. Minor. lib. 1. cap. 48. 52. & 53.* ex Baptista Moles. *cap. 10. in memor. Prouinc. Pietatis*: Historia Orientis, *1. part. lib. 3. cap. 20.* & Guzmano *lib. 1. cap. 5.*

§. 36. Tandem, die 11. Iunij, circa Vitam, & gesta prememorati P. Vincentij, Alburquerqui Socij, idem Arturus ait: Virum hunc Diuini honoris zelo insignem, secum adduxit ex Hispania in Indiam Orientalem B. Ioannes Alburquerquius, Recollectus, Secundus Goanus Episcopus. Licèt autem prouectæ ætatis iam esset Beatus Pater Vincentius, tamen ingenti Spiritus feruore accensus, ex præfati Episcopi, atque Indici Custodis bona venia, Cochimium eo proposito petijt: vt Christianis Sancti Thomæ (gentilibus, atque Mauris admixtis) Sacramenta ministraret, Huiusce rei gratia Granganori, quoddam Collegium constituendum curauit, quo paruuli gentilium, in omni pietate, & Doctrina Christiana, atque humanioribus litteris instruerentur: vndè factum est, vt exindè maximus animarum fructus euenerit: & multi ad Christum, & fidem Catholicam sint conuersi.

§. 37. Cum autem inter alia insignia eius opera, suis exhortationibus, atque prędicationibus, Gentilem Tanoris Regem ad fidem conuertisset, atque Goæ, cum maxima pompa, ac solemnitate, coram Lusitano Indiæ Pro-Rege, baptizasset: necnon, & hoc Granganorium Collegium, quod primum omnium fuit, per decem continuos annos sanctissimè, prudentissimèque rexisset, anno 1550. animam Cælo reddidit. Ita Gonzaga *4. part.* sup. in prædicto Collegio quod est 4. Prouinciæ S. Thomæ. Rapineus *Decad. 5. part. 1. S. 6.* Author *lib. Status, Imperia, & Principatus*

*Mun*

*Mundi*. Vbi de Goa.Maffeius *lib.11.Hist. Indic. longè post med. & lib.15. sub init.* Iarricus ibidem *tom:3. lib.6. cap.7.* Tursellinus *lib.5. cap.4. vit. B. Xauerij*. Daza *lib.1.c.47.48. 49. & 54.* ex histor. Indiæ Orientalis, *1. part. lib. 4. cap. 13.* & Guzmano *lib.1. cap.5.*

§. 38. Ex Conuentibus autem apud eas Regiones Orientales ab his, alijsque Zelantissimis Missionarijs, vsque tunc erectis, & ex alijs postmodū fundatis (quibus accesserunt, non longè post constructi, apud Malacam, Machaum, & cętera loca adiacentia, ad quæ transfretarunt Fratres, soluentes è Philippinis) nec non ex institutis, per Euangelicos Operarios Minoritas, qui hinc indè successiuis temporibus, Orientales plagas appulerunt: duæ tandem conflatæ sunt integræ Prouinciæ, quarum prima est Regularis Obseruantiæ, & nuncupatur *S. Thomæ*, de cuius institutione loquemur inferiùs; secunda verò Discalceatis nomen dedit, & appellatur Prouincia *Matris Dei de Malaca*, ad talem gradum euecta, per Breue Gregorij XV. anni 1622. Et quamuis pro tunc Breue, suum effectum sortiri non potuerit; tamen anno 1633. in Capitulo Generali Toletano, confirmata est in honore, & statu Prouinciæ, iam ab anno 1622. prędicto legitimè obtento. Vltra has duas Prouincias, erecta ibi cernitur alia Custodia, Regularis Obseruantiæ, sub titulo *Sancti Antonij de Cochimo*. Et tam ista, quam duæ Prouinciæ pręmemoratæ coalescunt è Religiosis, & Missionarijs Ditionis Lusitanicæ, licèt, vt postea dicemus, à Castellanis, & Filijs Prouinciæ S. Iacobi, qui primi Chinam, per Philippinas, detexerunt, suam trahant Originem, & habuerint primordia.

§. 39. Itaque haud mirum est, si apud Indiæ, ac Partis Orientalis Regiones, Missionarij antiqui Franciscani, tot Reges, ac Principes Christo lucrifecerint: Si tot Regnis, Nationibus, ac Prouincijs veram fidem annuntiarint: si tantos denique populos, & Gentes Sacri fonte Baptismatis abluerint, nam primi omnium ibidem Christum prædicarunt. Fana Idolorum destruxerunt: Cruces, Altaria, & Templa vero Deo dicarunt: Archiepiscopatus, Episcopatus, & frequentiùs Parocchias rexerunt, atque Pastorali Officio strenuè functi sunt. Indè enim emersit tanta Concionatorum eximiorum copia, talisque Martyrum Franciscanorum multitudo: vt de Ecclesia Indica, possit verificari, quod de Vniuersali effatus est Tertulianus, in Apologetico. *Sanguine Martyrum fundata est Ecclesia, Sanguine crescit*. Hinc meritò Illustrissimus Christophorus à Capite-fontium, Cæsariensis Archiepiscopus (qui & Generalis totius Seraphici Ordinis nonnumquam extitit.) De Frãciscanis ea omnia sincera mente reuoluens, aiebat. *In Indias etenim, etiam Orientales, quæ hodie Regi Portugalliæ parent, primi, & ipsi prædicandæ fidei causa, longissima, & periculosissima nauigatione traiicere: vbi multis ad fidem conuersis populis, ædificatisque Ecclesijs, & Monasterijs quamplurimis, multa Regna, Oppida, Prouincias, & Vrbes, Christi Imperio subiugarunt, Idque antequam Sodalium nominis Iesu instituta Religio foret: quibus si primam illarum gentium conuersionem quisquam attribuere vellet: Summa nostros, aliosque Mendicantes Religiosos, iniuria, debitam illis suffurando laudem, affecerit. Iam enim per quadraginta ad minus annos, antequam quisquam illùc peruenisset Iesuita; gentes illas Christo à nobis, Verbi Dei falce metebantur*.

§. 40. Cui, & Hieronymus Platus, societatis Iesu, libentissimè annuit: Nam postquam *lib. 2. de bono stat. Religios. cap.* 30. narrauit primam missionem Fratrum Minorum, ad Occiduas Indias, ann. 1493. confestim subijcit, de eisdem Franciscanis. *Atque Eodem penè tempore, ad Orientalē Indiā, Emmanuelis Lusitani Regis auspicijs, à Vasco Gama patefactā, ann. 1500. missi sunt Euangelij causa, ex eadē Familia, viri octo, tū Doctrina, tū pietate præstantes. Ab his initijs, hic Ordo, per eas vtriusque Indiæ Regiones diffusus, multiplicatis breui tempore domicilijs, tredecim, vt ipsi vocant, Prouincias instituere: in quibus magnam Christianæ rei operam nauarunt, & adhuc nauant. Ad eosdem labores, paulò post, idest, anno Domini 1505. nauigauere etiam Dominicani, qui item multa illic præclarè gessere: deinde Augustiniani: postremo*

*loco*

*loco Societas Iesu, quæ in Orientalem Indiam Ioannis Lusitani Regis rogatu, per Franciscum Xauerium introducta est ann.* 1541.

§. 41. Cęterum antequam, per eam Indiam Lusitanicam traijcerent aliqui Europæi, siue Religiosi, siue seculares, in Insulas Philippinas, eas circa annum 1522. dexterat Ferdinandus Magallanes, iter suum, iussu, & auspicijs Caroli V. per Oceanum nostrum, *del Norte* nuncupatum, vsque ad Brasiliam Regionem, & inde transacta linea æquinoctiali, versus strictum Mare, medians inter Insulam, ac terram, quę tendit ad polum antarcticum; & eam, quæ attinet ad Peruuiam, immenso labore dirigendo. Quiquidem, superatis difficultatibus illius stricti Maris, in altum Oceanum Australe (exinde Mare *del Sur* appellatum, seu Mare Magallanicum, ab ipso Celeberrimo Nauta denominatum) ingressus est, ac versus Occidentem transfretans, in Insulas, quæ nunc Philippinæ dicuntur, tandem perueniens, post introductum ibi, licèt non permanenter, Christianum nomen, proditoriè fuit interfectus: quin Insulæ remanserint sub Dominio Regis Catholici.

§. 42. Neque de reducendis Insulis pręfatis, ad Christianam Fidem, amplius actum est, vsque ad tempus Philippi Secundi Hispaniarum Regis. Interea tamen, & si per Viam Maris Orientalis nonnulli Lusitani Seculares ingressi fuissent in terram continentem, seù firmam Magni Imperij Synarum, vulgo *China*; attamen nullus Religiosus eo vsque peruenerat, cursu sumpto ab Oriente, qui posset illis Gentibus Euangelium Christi annuntiare, immò tam Synæ, quàm Incolæ aliorum Regnorum adiacentium, & quam plurium Insularum, Religiosos Euangelizantes haud quaquam audierunt, donec aperta est Via, nunc frequentissima, transfretandi per Mare Australe, seu Pacificum, (vt alij vocant) à Mexicanis oris Australibus, ad Insulas, Philippinas nuncupatas. Quæ quidem plures sunt, & respectu progredientium ab Americanis Indijs, euntiumque per Mare (à Nostratibus, *del Norte* nuncupatum) appellantur Occidentales.

§. 43. Assumpto ergo ad Thronum Regale Philippo Secundo, non longè post, circa annum videlicet 1564. opera Proregis Mexicani, Classe progrediente à Mexicanis oris, iussu, & expensis pręfati Regis, subiugari cœperunt ipsius Imperio, & aggregari Catholico Gregi, Insulæ prędictæ: quibus ipse Philippus nomen dedit *Noua Castella*, quamuis Philippinæ, à nomine eiusdem magnanimi Regis, passim, ac communiter ex tunc appellentur. Et ecce, per hanc Viam tutior, ac facilior, quam per Oras Africanas, & Indiæ Orientalis Maria periculosa, patefactus est ingressus ad magnum Imperium Chinæ, cæteraque Regna Infidelium circumuicinia. Quem anno 1576. aggressi sunt Fratres Minores, primi pręfatæ Prouinciæ Sancti Gregorij Discalceatorum Fundatores: sub Præfectura Insignissimi Missionarij Petri de Alpharo, qui professionem emiserat in Alma Prouincia Diui Iacobi, & exemplarissimo Vitæ Regularis Zelo Guardianus extiterat Conuentus Iraflauiæ, vulgo *Padron*, eiusdem Prouinciæ. disponente Domino, vt Spiritum perfectionis, in loco, vbi Corpus Beati Apostoli Hiberiæ Patroni, primò apud Hispanos requieuit, altè conciperet, qui multa magnalia, apud adeò dissitas Regiones, citò erat patraturus.

§. 44. Iste primus Fratrum S. Gregorij Custos, & Superior à Franciscano Martyrologio, die 2. Aprilis, his verbis commendatur. *In Macbao, Cantona Prouinciæ, apud Chinas, Vrbe, Beati Petri ab Alpharo, Confessoris, Chinarum Apostoli, qui Doctrina, & Pietate insignis, Christi Euangelium varijs bis in Regionibus disseminauit, ingentesque animarum fructus Deo gratanter protulit.* Antedicti autem Apostolatus ratio in annotatione assignatur, sequenti congesta relatione. Haudquaquam dubitandum, Franciscanos plurimum laborasse in propaganda fide apud Chinense Regnum: primosque extitisse, qui Euangelij luce Chinam illustrarunt. Id pium opus Minores, adeò alta mente reposi-tum, continuò habebant, vt Gonzaga 4. *part.* in Conuentu 10. Prouinciæ S. Euangelij (vbi de B. Martino à Valentia Indiarum Occidentalium Apostolo: Bea-

vo Ioanne à Zumaraga, primo Mexicano Archiepiscopo, Ordinis Minorum alumnis: & B. Dominico de Betanzos Ordinis Prædicat.) hæc referat. *Tres hi Viri perfectissimi, immenso, quo ardebant desiderio Animarum conuersionis, summoperè concupiuerunt, in Chinæ Regiones nauigare; quo nondum tempore, inutas, ea (quæ modo reperta est) inuenta via erat. Quorum quidem primus id Fr. Martinus proposuit; reuelatione enim compererat, reperiri plerasque Regiones, Occidentem versus, hominesq; acutioris ingenij, quam sint Indi, nostræ Hispaniæ habitatores; Spirituque feruebat eò pergendi, & Christianam ibi fidem prædicandi; sed Deus, qui alijs eam Prouinciam reseruauerat, in prima eum vocatione persistere voluit, idque ità euenit.* Cum verò Sanctus Franciscus Xauerius eam expeditionem aggredi peroptaret, ann. 1552. profectionem parauit sub auspicijs B. Ioannis Alburquerquij Minoritæ, Goani Episcopi. & Alphonsi Nororiæ, Indiarum Proregis; quorum litteras ad Regem Chinarum deferendas suscepit. Verùm antequam Chinam attingeret, Sanctè obijt 4. nonas Decembris apud Sanctianam Insulam. Ità Maffeius *lib.* 15. *historic. Indic.* Tursellinus *lib.* 5. *Vit. eius cap.* 1. 2. 3. 4. 5. *vsque ad* 12. Trigaltius *lib.* 2. *histor. Chinensi. cap.* 1. Marianus *lib.* 4. *cap.* 30. ex Chronica Angeli Badajocij.

§. 45. Exindè tamen haud defuere viri, vndequaque pij, ingeniique virtute præditi, qui eundem laborem magna animi constantia susciperent, maximè verò ex familijs SS. Francisci, & Dominici (inquit Trigaltius *cap* 2. sup.) qui vna cum Lusitanica Classe, ab Indijs Orientalibus soluentes: seù per altum, Hispanico Nauigio, ab Occidentalibus vecti, Thalassum, appulerunt ad Chinarum oras. Inter hos autem præcipuè emicuit B. Petrus ab Alpharo: qui ann. 1576. electus primus Custos S. Gregorij, cum multis sui Ordinis Fratribus, mare traiecit, in ratibus Hispanicis, & vsque Philippinas Insulas per Viam Mexicanam anno 1577. prosperè transfretauit: ibique eodem tempore, Conuentum Manilæ extruxit. Mox tam ipse, quam Socij Indicum illius Patriæ idioma accuratissimè didicerunt; tantoque in Vinea Domini excolenda operati sunt: vt intra paucorum annorum spatium, bis centum quinquaginta millia Infidelium, Christianorum albo adscripserint: Complures Ecclesias ædificarint, &c. Itàque, cum res sic fælici exordio succederent, maximumque Chinæ Regnum, indè peti posse accepissent: ipse B. Petrus, cum tribus alijs fratribus (scilicet Ioanne Baptista Pisauriensi: Augustino à Tordesilla: & Sebastiano à Beatia) consenso, sub ann. 1578. nauigioli, post octo dierum curriculum, ad præfatum Chinæ Regnum, applicuere: moxque Cantonum, Xanchæum, atque Machaoam Ciuitatem celebrem perlustrati, illic Ecclesiam construxerunt ann. 1579. mense Nouembris, & plurimos ad Christi fidem conuerterunt.

§. 46. At cum ipse B. Petrus aliam eiusdem Regni Vrbem, cuiusdam alterius Ecclesiæ erigendæ causa, petiturus itineratur, morbo, ex defatigatione contracto, correptus in Via, sanctissimè spiritum Deo reddidit: & paulò post, præfata Custodia S. Gregorij ità excreuit, vt in Prouinciam transierit ann. 1586. die 15. Nouembris, per diploma Sixti V. cuius initium est. *Dum ad vberos fructus.* Ita Gonzaga sup. in hac Prouincia. Mendoza *par.* 2. *histor. Reg. Chinens. lib.* 1. *cap.* 1. & *lib.* 2. per totum. & *lib* 3. *cap.* 12. & 13. Iarrico *tom* 2. *hist. Ind. Oriental.* & *tom.* 3. *lib.* 6. *c.* 43. Ioannes à S. Maria 1 *par. Chronic. Prouinc. S. Ioseph lib.* 2. *cap.* 19. & 27.

§. 47. Id pium opus prosequuti sunt alij Fratres Minores, siquidem Ioannes Baptista Pisauriensis, vnus è Socijs Serui Dei, Petri de Alpharo, alium Conuentum eiusdem Instituti Discalceatorum, apud Malacam anno 1580. mira celeritate erexit, è quo exire possent Religiosi, qui Euangelium per Chinam, & alia Regna adiacentia disseminarent. Eodem anno pro ecti sunt è Prouincia S. Iacobi, & Mexicum peruenerunt, indeque Philippinas, Fr. Petrus Ortiz (de quo infra, dum sermo fit de erectione Prouinciæ S. Didaci de Mexico) & Fr. Hieronymus de Aguilar celebris Concionator, qui anno 1581. præclarè segessit apud Chinas, & superioritatem exercuit apud Machaum, & Malacam subsequentibus annis. Horum primus Euangelium etiam in-

intulit in Regnum Cochinchinum ; & secundus in Regnum Sian ; quin priùs illud alij Religiosi inibi cum tanta super-stitionum, & errorum earum Regionum comprehensione annuntiauerint. Subinde Fr. Martinus Ignatius, ann. 1584. Chinam adijt,& Cochinum, Iapponiam, cæteraque fermè omnia Orientalia Regna perlustrauit: de quo Mendoza 2.*par.* Chinens. *lib.3.cap.*14.20. *&c.*

§. 48. Anno tandem 1586. vt supra diximus, emanarunt à Sancta Sede litteræ,pro erectione sæpedictæ S. Gregorij Prouinciæ,quarum vigore electus est in eius primum Ministrum Prouincialem, anno 1590. Fr. Paulus à Iesu, vnus è Socijs Petri de Alpharo,primi Custodis in Missione, quæ initium præbuit illi Euangelicæ Coloniæ. A qua,vsque ad oras magni Imperij Chinarum, sola mediat distantia Maris 600. milliarium Italiæ: patetque Nauigatio, & ingressus ad alia præmemorata Regna, & cæteras Insulas adiacentes : nec non ad Malucanas, Burnæas, Cambojanas, plerasque alias Infideles Ditiones. Pro quarum omnium conuersione operarios in ingenti numero exhibere possent ( sicut antea non semel præstitere ) Prouinciæ tam Mexicanæ, quam Peruuię, si, vti in primordijs, feruor propagandæ Fidei in eis vigeret, & è Hispaniarum Prouincijs frequentiùs transmitterentur Missionarij, in subsidiū desudantium pro Christo, & Romana Ecclesia, in adeò immensa terrarum, ac Regionum diuersarum vastitate. Nec tunc necessum videretur, Missionarios Apostolicos periculis itinerum Terrestrium per Infidelium plagas, aut nauigationum per oras Africæ Orientalis, passim exponere: patens siquidem adest ad Chinam, & Regna illi Imperio Viciniora, via præfata, quæ valet terminari, quin pedem figant Missionarij, nisi in terris Christiani nominis, Regi Catholico parentibus, & quin eos impediant hostes Catholicæ Religionis, quibus animus, & potentia non sint ad exturbandum cursum Hispanicarum Nauigationum.

§. 49. Tutò enim per eam viam, in posterorum exemplar, incesserunt quamplures è Missionarijs Minoritis, qui iter arripuere è Hispania versus Philippinas, cæterasque prænominatas earum partium Regiones, à tempore quo Insulæ illæ aggregari cęperunt Hispanico Imperio. Sat sit nonnullos hic, pręter superius laudatos, exprimere, qui post emissam,in Prouincia S. Iacobi, Minoriticam Professionem, seu nomen datum, illùc profecti sunt. Numerantur inter primarios, & præcipuos, iuxtà seriem temporum successiuam, Fr. Ioannes de Plasentia, Vir Doctissimus, & zelantissimus,cui, primus Custos, Pater Petrus de Alpharo, gubernium Custodię commisit, dum ipse nomen Iesu deportauit in Chinam : electoque in fine triennij successore, ipse Fr. Ioannes postmodum, completo triennio, istius, iterum assumptus est ad munus Custodis,pro subsequenti triennio: in fine cuius, alijs Vocalibus suffragantibus, sibi in successorem delegit Beatum Petrum Baptistam, postea Commissarium, ac Martyrem Iapponij. Quare, Domino cooperante, ipse plantauit & incrementum,ac decorē dedit non exiguū illi Gregoriano, Ordinis Seraphici, recentissimo germini. Suæ Doctrinæ, ac prudentiæ plura monumenta relinquendo.

§. 50. Primò in statutis, & legibus pro Sanctiori gubernio Custodiæ. Secundò in relatione Cultus, quem Indi Tagali Philippinarum suis Idolis exhibebant, & Rituum, ac superstitionum, quibus erant irretiti, præsertim ante aduentum Christianorum. Tertiò in Compilatione consuetudinum, quas ipsi Tagali, vti leges obseruabant, Insularum Gubernatori præsentata,vt eisdem in Iudiciali foro, quoties contra Deum, & rationem non essent,omninò seruarentur, sicut sancitum, & factum fuit ex tunc, vsque nunc,propter instantiam,& authoritatem huius præclarissimi Viri. Quartò in libro,quem congessit de arte addiscendi, & perfectè loquendi idioma Tagalum; cui adiunxit copiosum Vocabularium. Quintò in libro Doctrinę Christianæ, & Catechismi Fidei, lingua Tagala disposito, quem primus Antistes Philippinarum Synodaliter approbauit, & Tagali ipsi vsque nunc obseruant, ad politiorem formam in aliquibus terminis, & vocibus postmodum redactum. Sextò in spiritualissimo libro *Santina* nuncupato: & in alijs quamplurimis Opusculis, quæ satis probant eius

er-

erga Deum, & proximos ardentissimam Charitatem.

§. 51. Fr. Antonius Barriales, & Alphonsus à Iesu, suæ professionis integerrimi sectatores, ea obsequia, morte præuenti, Deo, in procuranda Animarum salute, non præstitere, quæ sibi nimis desiderabilia fuerant à die assumpti muneris, annuntiandi verbum Dei inter illas Nationes. Præstiterunt tamen, post suum in eas accessum, Venerabilis Pater Ludouicus Maldonatus, Sacræ Theologiæ Lector, primusque Visitator Prouinciæ S. Gregorij, & à Rege Catholico, Philippo Secundo, ad Episcopatum, *de Camarines*, in eisdem Insulis, ipso inscio, ac præmortuo, nominatus. Fr. Alphonsus Muñoz Lector Sacræ Theologiæ, præfatæ Prouinciæ semel, & iterum Diffinitor, totiesque Visitator, semel Prouinciæ, & semel Fratrum commorantium apud Iapponium: indeque Orator ablegatus ad Maiestatem Catholicam, & postmodum Visitator Fratrum Discalceatorum, degentium in Noua Hispania. Fr. Augustinus Rodericus, Concionator, Prouinciæ Custos ad Capitulum Generale, & deinde ipsius zelantissimus Visitator. Fr. Ioannes Aluarez: Fr. Dominicus à Sancto Iacobo, & Fr. Hieronymus à Villanoua, Concionatores feruentissimi Spiritus. Fr. Didacus *del Villar* Lector: & Fr. Gabriel de Montoya, Doctor in iure Canonico, Prouinciæ Diffinitores. Fr. Gaspar Velazquez: Fr. Lupus de Alcaraso: Fr. Antonius Mendez: Fr. Paulus à Sancta Catharina: Fr. Didacus de Aponte: & Fr. Franciscus à Sancta Lucia, omnes Confessarij, zelo, prudentia, ac pietate celeberrimi.

§. 52. Fr. Marcellus à Riuadeneyra, Sacræ Theologiæ Lector, è Philippinis in Iapponium missus, & comes ibi Beatorum Martyrum Petri Baptistæ, & Sociorum Iapponensium, quorum præclara gesta, post ipsorum Martyrium, vti testis ocularis scripsit: de quo Wadingus in libro de Scriptoribus Ordinis, ita inquit. Marcellus de Ribadeneyra, Hispanus, Prouinc. S. Iacobi, Pœnitentiarius Apostolicus, zelo fidei propagandæ, & infideles couertendi, ad remotissima Iapponiæ regna profectus, post vberem messem, deperditosque Socios, quos Gentiles occiderunt, in Hispaniam reuersus, sanctissimè conuersatus, scripsit *Vitam, & gesta Martyrum Iapponensium*, quorum agonis spectator fuit, dum particeps esse non potuit, quod summopere concupiuit. Barcinone 1601. *Historiam Archipelagi, & Regnorum China, Tartariæ*, &c. Barcinone 1643. in 4. *Coronam excellentiarum B. Mariæ Virginis, duobus Tomis diuisam*. Neapoli 1606. *Laudes, & prærogatiuas S. P. N. Francisci, & duodecim eiusdem Sociorum. Priuilegia, & decora Cintorij, seu Chordæ S. Francisci. Excellentias, & decora Beatæ Mariæ Magdalenæ*.

§. 53. Beatus tandem Franciscus Blancus, Concionator strenuus, & vnus è Martyribus Iapponensibus, quos Beatos, ac verò Martyrio anno 1597. coronatos, Sanctæ memoriæ Vrbanus VIII. in litteris, *Saluatoris, & Domini*: incipientibus, die 14. Septembris 1627. non solum declarauit; sed insimul Ordini Minorum, & Ecclesiasticis Personis tam Secularibus, quam Regularibus Manilensis Diœcesis, de eisdem officium, & Missam, die 5. Februarij, recitare, ac celebrare benignè concessit. Quem imitati, ac secuti sunt, post aliquot annos, inuictissimi Christi Athletæ, Ioannes à S. Martia, seu à S. Martha: de quo Wadingus *t. 2. an. 1620. n. 55.* loquendo de Fratribus, qui obierunt in Conuentu Zamorensi, Prouinciæ S. Iacobi, cuius alumnus extitit præfatus Ioannes, in elogio Serui Dei, Antonij Valera, inquit. *Cuius Corpus, post annos decem exhumatum, integrum est repertum, & qui Martyrium ante annos viginti prædixit Ioanni a Sancta Martha, quod anno 1606. passus est in Imperio Iapponico, ad Vrbem Meacam, & propterea in causa fuit, vt è Tyrocinio non remitteretur in Domum Paternam.*

§. 54. Corrigendus est tamen Wadingus, quoad annum Martyrij, ex statim dicendis. Nam die 14. Augusti, Martyrologium Franciscanum, ità loquitur. *Apud Meacum, in Iapponio, Beati Ioannis à Sancta Maria, Martyris*. Arturus verò in Annotatione subiungit. Pro Christo hac die decollatus est, anno 1618. De quo agunt Marianus, *lib. 4.*

Chro.

Chronic. ſtrictior. Obſeruant. Reformat *cap.27.* Rapinæus *hiſtor. Gener orig. Recollector. Decad. 11. part. 2. S. 8. in fin.* Solierius *tom. 2. hiſt. Eccleſ. Iapponenſ. lib. 17. cap vltim.* S. 183. Eundem ſuſpicor eſſe, cum Beato Ioanne à Sancta Martha, Martyre; cuius idem Solerius meminit *ann. 1619. lib. 18. cap. 7.* S. 74. ad cuius Proceſſus conficiendos: pro ipſius Canonizatione, petuntur litteræ Apoſtolicæ; vt i conſtat ex eodem Rapinæo *ſup. part. 1. præfat.* S. 4. Et libello, Neapoli edito ann. 1626. apud Typografiam Ioann. Dominici Roncalioli. Cæterū confectis iam, authoritate Apoſtolica, Proceſſibus, & præſentatis, cauſa pendet apud Congregationem Sacrorum Rituum.

S. 55. Et tandem Apollinarius Francus, die 12. Septembris, laudatus apud præmemoratum Martyrologium, per hæc verba. *In Iapponio, Beatorum Martyrum Apollinarij Franci, & Sociorum eius.* Ad quæ Arturus in annotatione, ſic appoſuit. Hic Beatus Apollinarius Francus, Prouinciæ S. Iacobi alumnus, Omuræ priùs captiuus longo tempore eſt effectus, nempè ab anno 1618. vſque ad ann. 1622. quo Beati certaminis curſum compleuit; vnà cum B.B. Paulo de Sancta Clara, & Francisco de Sancto Bonauentura, Iapponenſibus, Prouinciæ S. Gregorij, in Philippinis. Quorum meminerunt Solerius *tom. 2. hiſtor. Eccleſ. Iapponenſ. ad ann. 618. lib. 17. cap 22.* S. 174. & ad ann. 1619. *lib. 18. cap. 4.* S. 38. anno 1622. *lib. 19. c. 15.* S. 115. Galterius in Tabula Chronograph. *Secul. 17.* Rapinæus hiſtor. General. Origin. Recollect. *1. part. præfat.* S. 4. qui ex libello, Neapoli edito anno 1626. apud Typografiam Ioann. Dominici Roncalioli, teſtatur, nunc agi de eorum Canonizatione, ad quorum Proceſſus conficiendos, litteræ petuntur Apoſtolicæ. Sed præſentatis iam Proceſſibus, vigore litterarum Apoſtolicarum, ritè congeſtis, nunc cauſa examinatur à Sacra Rituum Congregatione. Hucuſque dicta, pro nunc ſufficiant, pro notitia primordiorum Prouinciæ S. Gregorij, & ad excitamentum Miſſionariorum, qui voluerint pergere per Indias Mexicanas, & Mare Auſtrale, in præmemoratas Regiones.

# DISTINCTIO X.

*Commemorantur alij Fructus Seculi, quod nunc elabitur, & deſcribitur ſtatus præſens Religionis Catholicæ, per totiùs Miſſionis amplitudinem.*

## S. I.

CVM munera gererent, in primo ſexennio Seculi decimi ſeptimi legis Gratiæ, quod nunc elabitur, P. Franciſcus à Soſſa, Miniſtri Generalis, & P. Ioannes Rada, Procuratoris Generalis totius Ordinis, inſignes Prouinciæ S. Iacobi alumni, & poſteà Epiſcopi præclari: & cum eodem tempore, Commiſſarius Generalis inſimûl exiſteret Nouæ Hiſpaniæ, P. Didacus Caro, Vir Zelantiſſimus, in eadem Prouincia Profeſſus, horum trium auſpicijs, ad finem perducta eſt erectio Prouinciarum, intra ipſam nouam Hiſpaniam, circa quas, in Capitulo Generali, anni 1606. vt apparet ex *tom.* 3. Orbis Seraphici, ità fuit ſancitum. [Confirmatur erectio Prouinciarum Sancti Didaci, & Zacatecharum, in noua Hiſpania. Item confirmatur Statutum præteriti Capituli Generalis, quo declaratur; duas eſſe Prouincias diſtinctas, illam, quæ duodecim Apoſtolorum de Lima nuncupatur, & illam, quæ dicitur Sancti Antonij Charcarum, & modus in diuiſione ſeruandus, remittitur ipſius Prouinciæ Deffinitorio. Item Prouincia Mechoacan diuidatur in Prouincias de Guadalaſera & de Xaliſco.

§. 2. Ex his Prouincijs, ea Sancti Didaci Discalceatorum de Mexico, primò nominata in præinserto Statuto, iam ab anno 1599. per litteras Apostolicas Clementis VIII. huiusmodi gradum assecuta fuerat. Primordia illius, tam quo ad fundationes, quàm quoad erectionem priorē in Custodiā, fructus extitere authoritatis, zeli, ac eximię solicitudinis Venerabilis P.Petri Ortizij, quem supra, alumnum diximus Almæ Prouinciæ S Iacobi, & talem vocat Chronicon, seu Historia Prouinciæ S. Gregorij, Discalceatorum Philippinarum, congesta à P.Antonio *de la llaue*, quam an.1635. P. Bartholomæus de Burguillos, Sanctæ Inquisitionis Qualificator, eiusdemque Prouinciæ Sancti Didaci Pater, iussu Commissarij Generalis Nouæ Hispaniæ examinauit, & approbauit. Prouincia verò S. Francisci de Zacathecas, ibi secundò nominata (cuius primus Custos, Director, & Institutor, in gradu Custodiæ, fuerat P. Petrus de Espinareda, in eadem Prouincia S. Iacobi professus) iam etiam ab anno 1603. erectionis litteras obtinuerat ab eodem Pontifice, Clemente VIII.

§. 3. Tertia tandem Prouincia S. Iacobi de Xalisco, per præfatum statutum erecta, meritò se tutelæ, auxilio, & Denominati S.Iacobi supposuit, quia à Prouinciæ S.Iacobi in Hispania præclarissimis Filijs splendidiora sumpserat exordia. Eminuerant, inter alios, eximius Verbi Dei Præco, & Christi Martyr Antonius Collaris, vulgo *Cuellar*, apud Martyrologium Franciscanum die 15. Nouembris his verbis laudatus. *Xalisciæ in India Occidentali, Beati Antonij Collarij, Martyris, qui incredibili animarum zelo accensus, cum aduersus crimina egregiè, pro veritate, concionatus esset, à quibusdam Indis Iagalacis, in Via interceptus, ac sagittis confossus, Martyrium consummauit.* Cui Elogio ibi adiuncta est sequens annotatio. Post dies aliquot à glorioso Beati Ioannis Caleri, Martyris agone, admirandæ Religionis Beatus Antonius Collaris *Prouinciæ Sancti Iacobi alumnus*, atque Isatlanici Conuentus Guardianus: Vir vtique singulari perfectione, & incredibili animarum zelo preditus, insuper, & Diuini verbi proclamator insignis; Chichimecas eius Regionis, quę Ameca nominatur, & Colimæ vicina est, accolas solerter, ac sollicitè, Christiana disciplina, & vitæ exemplo, instruere cum assueuisset: Izatlanicum Conuentum, vt huiusmodi hominibus, pro solito more, Sacramenta ministraret, atque Sanctum Euangelium de Suggestu proponeret, egressus, in præfatorum Chichimecarum Ducem, siue Præfectum, ob grauissima quædam crimina, ab eo publicè commissa, acritèr inuectus est.

§. 4. Quamobrem indignatus Præfectus, illum, ea occasione accepta, interimere decreuit. Id igitur, vt quibusdam, *Iagalacis* vulgò nuncupatis, innotuit: virum Dei à perfido Duce, ad suum Cœnobium reuertentem, in Izatlanica quadam Valle, rem interim gratissimam Præfecto se facturos intelligentes, iaculis inclementer configunt; cui etiam quasi semimortuo caput abscindunt, vt impio Principi dono offerant. Alij volunt quod dum spiculo, venerandum eius caput immanissimè penetrant, illum vitam cum morte commutare coegerint. Cuius denique Corpus postridiè ab Hispanis inuentum, atque ad proprium Conuentum extitit delatum: magna inibi populi veneratione colitur, ob ingentia miracula, quæ Diuinitus operatur. Passus est anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo. De quo scripserunt Gonzaga *part.* 1. Orig. Seraphic Relig. vbi de SS. Martyrib. Ord. Minor. suo Æuo, ob Christi fidem passis, apud Indos Occidentales: item *part.* 4. in Conuentu Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ Izatlanis, qui est 24. *Prouinc.* Sanctorum Petri, & Pauli. Bareczzus *part.* 4. *Chronic. Minor. lib.* 3. *cap* 33. Bosius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 22. Daza 4. *part. Chronic. Minor. lib.* 2. *cap.* 54. & Grauina in Voce Turturis *part.* 2. *cap.* 24.

§. 5. Celebris nec non Rodericus Beneuenutus, de quo idem Martyrologium, die 12. Decembris, ita fatur. *Populæ de Angelis, in India Occidentali, Beati Roderici Beneuenuti, Confessoris, qui multas, ac varias Indorum Gentes, ad Christum Verbo, & exemplo conuertit: demum Sanctitate clarus, feliciter obdormiuit in Domino.* Pater verò Ar-

turus

torus in annotatione, ità subiungit. Prouinciæ olim *S. Iacobi alumnus fuit*: qui cum ingenio polleret, salutemque Indorum maximè sitiret, ad eas partes transfretauit: vbi postquam Indicum idioma didicisset, tot populos, tùm intra Prouinciæ S. Euangelij fines, tum quoque in Xalifcana Regione, præsertim verò in Valle Vanderana, ad fidem conuertit, vt vix sibi parem ea in re habuerit. Erat quippè diligentissimus Dominicæ Vineæ Operarius, virtute multa præditus, vita exemplari, atque eximia Sanctitate adornatus: quapropter ab omnibus, viuus, ac mortuus, maxima in Veneratione est habitus. Tumulatus iacet in Conuentu S. Francisci Populæ de Angelis, qui est 38. Prouinciæ S. Euangelij. Memoratur à Gonzaga ibidem *part.* 4. Barezzo 4. *part. Chronic. Minor. lib.* 4. *cap.* 19. *sub ann.* 1560. Daza *lib.* 2. *cap.* 25. & 30. Marieta *lib.* 17. *histor. Ecclef. SS. Hispan. cap.* 19. Grauina, & alijs.

§. 6 Insignis insuper humilitatis Sectator, Daniel Italus, cuius memoria perennatur in eodem Martyrologio, vbi, die 28. Februarij, ità recolitur. *Guadalfagiara apud Xalifcos, in India Occidentali, Beati Danielis Itali, Confessoris, vitæ austeritate, charitate, & oratione conspicui.* Annotatio verò superaddit. Eius Elogium his verbis perstrinxit Gonzaga. *Nec silentio prateream, humillimum, atque incomparabili Religione præditum, Fr. Danielem, natione Italum, professione Laicum, atque Prouincia S. Iacobi alumnum, qui ob singulares eius virtutes, vitæ asperitatem, morum candorem, ardentissimam charitatem, atque felicissimum exitum, ab omnibus istius Patriæ, tum Indis, tum quoque Hispanis, vt Sanctus colitur. Nec immeritò sanè, cum per* 50. *eoque ampliùs annos ferrea lorica ad carnem indutus, nudisque pedibus incedens, in perpetua oratione, continua vigilia, atque strictissimo ieiunio; Infidelium conuersione omninò intentus, Deo optimo maximo inseruierit.* Hæc ille *part.* 4. in Conuentu S. Francisci Guadalfagiarensi in India, qui est Prouinciæ SS. Petri, & Pauli. Eadem referunt Barezzus 4. *par. Chron. Minor. l.* 3. *c.* 31. *sub an.* 1540. Daza, & alij.

§. 7. Plantationes horum Patrum apud Xalifcos spiritualiter rigarunt, & mirificè auxerunt, omni tempore, alij prædictæ Prouinciæ Sancti Iacobi percelebres Filij: & præ cæteris, P. Ioannes à Rupe vulgo *de la Peña*, primus Prouincialis præfatæ Prouinciæ S. Iacobi de Xalisco: ac P. Franciscus Villauicentius, qui pariter eiusdem Minister Prouincialis extitit, post prædictum Ioannem à Rupe, & inchoata ab isto, ad perfectum stabilimentum nouellæ Prouinciæ, miro zelo perfecit: opem, & operam ad id vtrique præstantibus P. Ioanne de Zieza, & Ioanne *de Oliuares* prememoratæ Prouinciæ S. Iacobi in Hispania egregijs alumnis, ac Prouinciarum nouæ Hispaniæ, ea temporis successione, laude dignis, Commissarijs Generalibus.

§. 8. Ad idem munus Commissarij Generalis, pro Prouincijs Peruanis assumptus extitit à Ministro Generali Archangelo à Messana P. Franciscus de Herrera, pluries laudatæ Prouinciæ S. Iacobi præclarus alumnus, qui sexennium Generalatus sequentis, & partem Generalatus P. Benigni à Genua, absumpsit in præfato munere, cum magna superiùs memoratarum Prouinciarum Nouellarum Peruij, atque aliarum antiquarum, propagatione, & obseruantia Regulari. Quamobrem, cum in Capitulo Generali, anni 1612. de nouo erectæ fuerint Prouinciæ Sanctæ Helenæ de Florida, & Assumptionis Deiparæ de Paraguai, & Tucuman, huius stabilimentum nequit non referri, in solicitudinem, ac zelum præfati P. Herrera, sicut, & Patris Ioannis de Oliuares, paulòante laudati, stabilimentum alterius S. Helenæ de Florida. Quę etiā beneficia, non exigua, fatetur in suis primordijs zelantissime P. Ioanni Suarez, illius Regionis primo Episcopo: de quo aliàs diximus, præsertim *distin.* 4. & 5.

§. 9. Vlteriùs, quamuis Prouinciam S. Thomæ, in India Orientali, Gonzaga recenseat, quia per ipsum, anno 1583. in Toletana Congregatione, Apostolica fuerat authoritate, ad Prouinciç dignitatem euecta; quia tamen fuerat, deinde ad statum Custodiarum redacta, iterum ann. 1612. Romanis in Comitijs, ad gradū Prouinciæ restituta est. At statim incontrariū reclamāte Prouincia Portugalliæ,

cuius

cuius praexstiterat membrum, à Vicario Generali Ordinis fuit executio suspensa, & ad futurum Capitulum Generale transmissa. Vnde anno 1618. in Capitulo Generali, apud Almam Prouinciam S. Iacobi, Salmanticę nimirum, celebrato, sub Auspicijs P. Antonij de Trejo, eiusdem Prouinciæ alumni, ac tunc suprema Ordinis superioritate functi, caussa iterum discussa, in gradu Prouinciæ confirmata, & stabilita remansit, per reualidationem Decreti, emanati à Comitijs anni 1612. prolatam à Ministro Generali, tunc electo. Cætera, quę Prouincia ista recognoscit à Filijs Prouinciæ S. Iacobi, indicata manent superiùs *Distinct.* 9. Vbi factus est sermo de primis Opera rijs Euangelicis, apud Indiam Orientalem, Philippinas Insulas, & Chinam. Estque obiter hic annotandum illud Capitulum Generale Salmantinum, anni 1618. ex eo valdè plausibile extitisse, quod Domus ipsa Capitularis. Teste P. Wading. *Tom. 2. ann.* 1254. *num.* 55. iactabunda viderit, & læta quod ibi, *ex diuersis huius nostri hemisphærij, & remotissimis Indiarum Prouincijs, octodecim Patres Ministros, & Custodes Prouinciales, suos connumerauerit natos.*

S. 10. Læta vidit eadem S. Iacobi Prouincia, in decursu seculi 17. labentis, vltra prædictos Commissarios Generales, alios plures suos prædilectos filios, inuigilantes, ac consulentes statui perfectiori omnium prænominatarum Prouinciarum Indiarum, progressuique Conuersionum Gentilium, quorum ingens adhuc adest multitudo, siue intra earum terminos, siue in Confinijs, ac Regionibus propinquioribus. Horum nomina sunt. Fr. Antonius de Trejo, Commissarius Generalis omnium Prouinciarum Indiarum, in Aula Regis Catholici institutus, die 14. Iulij 1610. Fr. Ioannes de Biuanco, ad idem Officium assumptus, die 19. Maij 1614. Fr. Antonius de Somoza, euectus ad idem munus, die 28. Octobris 1669. Pro solis verò Prouincijs Nouæ Hispaniæ, & Philippinarum, Fr. Ludouicus Florez: Fr. Alphonsus Pacheco: & Fr. Ioannes de Prada, Commissarij Generales successiuè extiterunt. Sicuti & pro Prouincijs Peruanis dumtaxat, Fr. Michael de Molina: & post hunc, Fr. Ludouicus Zeruela: qui omnes, suam operam respectiuè impensè apposuerunt, ne quod à prioribus suæ S. Iacobi Prouincię Missionarijs, & zelantissimis viris, inibi plantatum extiterat, euelleretur à superseminatore omnium malorum.

S. 11. Superest itaque dumtaxat compendiosam, status pręsentis totius Missionis Indiarum Occidentalium, descriptionem, quoad Dominium temporale, Territorij amplitudinem, iurisdictionem spiritualem, & alia huiusmodi, hic fideliter subnectere, vt nihil scitu dignum remaneat, quod in hac Relatione enucleatum non exhibeatur, prout expostulat scopus in quem collimat. Attentis igitur præmissis, nemo æquus rerum æstimator, (vt loquitur eximius Doctor Valdesius, in libro de Dignitate Regum, Regnorumque Hispaniæ *cap.* 19. *à num.* 52) negare poterit, quòd quamplures Prouincias, Regna, Ditiones, & Gentes, Hispaniarum Reges ad iugum suaue doctrinę Euangelicæ reduxerint, nefarios ritus cassauerint, superstitiones Dæmonum abstulerint, salutarem Christi Doctrinam in adeò remotas Nationes propagauerint, quæ lumen Euangelij, vel anteà nunquam acceperant, vel acceptum incuria, seù longinquitate restrixerant, vt verbis vtendo Genebrardi, non Hispani, sed Galli Authoris, *lib.* 4. *Chronicon ann.* 1492 repetere debeamus. *Quo anno, bellum Hispanum perfectum est, contra Mauros, eorundem expeditio aduersus Indos Occidentales cæpit, qu si Hispanorum opus sit, expugnare Infideles, & Paganos.*

S. 12. Nam pręterquamquod, extra Hispaniam; Insulas Maioricę, Minoricę, ac Corsicæ à Mauris eripuere, & ad fidem reduxerant, ex Zurita *lib.* 3. *cap.* 4. *annalium.* Ab anno 1492. quo, Alexandri Sexti Pontificis Maximi auctoritate, Reges Catholici Ferdinandus, & Elysabeth Christophorum Colon, ad ignotas, ad illud vsque tempus, terras, ignotiora Maria, tum ad Ortum Solis, tum ad Occasum scrutari miserunt, nouasque in Oceanum dicti Reges classes pararunt, semper curarunt, vt rectam Religionem in omnes partes (quoad eorum fieri Posset) extenderent, Verbumque

que Dei longè, latèque disseminarent. Exindeque patefacta est ipsis Catholicis Regibus via ad Imperium noui Orbis, in America (sic dicta ab Americo Vesputio, Florentino, primo Inuentore) quæ quartam partem Orbis continet, prout scribit Genebrardus *lib. 4. ann.* 1497. Nã ex longinqua nauigatione (ad quam, neque Fabulosi illi Argonautę, neque in Cælestium numerum falsò relati Bachi, Herculesue, vnquam aspirarunt) effectum est, vt, cum Orbem Terrę vniuersum, tres in partes diuiserit antiquitas; inuenti demùm hi noui tractus, quartam constituerint, si quarta appellanda est, quæ vna dumtaxat, reliquis omnibus magnitudine fermè par est, cum plura Regna contineat, vt dicemus inferiùs, quàm quæ Alexander, & Traianus vi expugnauerint, & quàm quę omnes Reges Christiani vnà simul possideant.

S. 13. Tempore igitur, quo Nationes, quæ Catholicam fidem summa cum admiratione amplecti solebant, vt Gallia, Germania, Anglia, & aliæ, in prauum sensum mutatæ, illam fidē maculant, damnatas Sectas Lutheri, & sequacium sectantes, violando Religionem Patriæ, & debitam Pontifici Maximo obedientiam, & Ecclesiæ Romanæ, denegando: tunc Loco Gentium, quę (cùm ab ea fuissent educatæ vberibus sanæ doctrinæ) ab illa deflectebant, Hispania nouas plantas, nouosque Filios Matri Ecclesiæ adfert, & acquirit, detestabilique Deorum inanium Cultu sublato, ex Regione eorum, qui falsam doctrinam docent, ad Insulas longè, vt inquit Esaias, atque vltimas terras, per Hispanos asportata migrat Religio Christiana, vt impleatur illud Ecclesiastici cap. 10. *Auferetur à Vobis Regnum Dei, & dabitur genti alienæ*, & apertiùs Matth cap. 8. *Amen dico vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in Regno Cælorum; Filij autem Regni eijcientur in tenebras exteriores.* Quod quidem à tempore Catholicorum Regum cæpit verificari.

S. 14. Deindè Caroli V. Imperatoris, Regis Hispaniarum seculo, nauigatio ipsa vlteriùs profecuta est, amplissimaque terrarum spatia patefacta sunt: ipso namque regnante octodecim Prouinciæ, cum octodecim Regibus, sunt ad fidem redactę, in ea Occidentali parte America, vt præfertur, nuncupata, quam etiam nouum Mundum, & Occidentalem Indiam vocant. Vtque id clariùs innotescat, scire oportet; quod terram continentem illius Noui Mundi, natura ipsa in duos Orbes, & Imperia amplissima diuisit: quorum alter Orbis Mexicanus, alter Peruuias, à partibus eorum primò conquisitis, & nunc Hispanorum ibidem Imperij sedibus, frequentiùs appellantur, sed longa terræ tenia, seù isthmus Iucataniam, Honduras, & Veraguam Prouincias longitudine sui à Septentrione in Austrum, complectens, instar expansi numismatis, vtrumque coniugit. Quæ isthmus Septentrionalem Oceanum nostrum, Hispaniam, Africamque spectantem, à Mari Meridionali secernit (quod *Mar del Zur* nautæ, seù Nauarchæ vocare cæperunt) tametsi Hidrographorum tabulæ, Mare nostrum in Oriente, & illud, quod Australe dicitur, in Occidente passim collocent; non reprobantes tamen antiquiora nomina, quia forsan, ad imponenda, primi Nomenclatores respexerunt cursum deductum ex Hispania, quæ magis in Septentrionem vergit, & alterum illud Mare in Occidente, cursu in Austrum inclinato, vltra lineam æquinoctialē obliquè prospectat.

S. 15. Hinc P. Haroldus, ex Authore, de Indiarum iure, *tom. 1. lib. 1. cap. 8 num.* 27. rationem reddens nominis Maris Australis, inquit *Alterum autem Mare, ab Occasu hunc nouum Orbem interluens, ideò Australe appellatur; quoniam postquam Blasius Nuñez de Balboa primum illud. post Panamensem tractum, detexit, eò nostri nauigare cæperunt. quousque lineam Equinoctialem transgressi, & in alterum Hemisphærium delati; Septentrionis Stellas, & Arcticum Polum à suo conspectu amiserunt, & pro illo Antarcticum nacti sunt, qui Australis etiam, ab Austro vento, ex ea parte perflante, vocari solet.* Et inferiùs num. 29. *Pacifici quoque nomen idem Mare vsurpat, quod ei à Ferdinando Magallanio impositum fuit, eo quod tranquillum, & pacatum, vt plurimum sit, & per ingens ipsum pelagus Naues, vt per placidissima flumi-*

*na felici, & indefinenti aura*, *vehantur*. Ex quo *Mar del Zur*, idem est, quod Mare Australe: quo vocabulo *Zur* Hispani efferunt Austrum, ad imitationem Septentrionalium Europæ nostræ Nationum, à quibus ( vt idem Author eodem loco notauit ) Hispani ventorum nomina didicerunt, quorum aliqui vt Belgæ, Austrum, *Zuydten*, Angli *South*, *Galli sù*, & *Sud* vocant.

§. 16. Mexicanus Orbis ad Arctum rectè situs est, sed magis quàm Peruuianus, in Occidentem protensus: Peruuianus ad Austrum, sed magis quàm alter, in Orientem vergit. Hic duo Orbes extensis prolixè in Orientem brachijs, (Peruuianus ad Pernambucum, seù Promontorium S. Augustini: & Mexicanus ad Insulam Terræ Nouę ) Hispaniam in amplexum prouocare videntur, & quidem complexi sunt in amplissimo sinu, vbi interiùs Insulæ, Portus locuples, vulgo *Puerto Rico*, Hispaniola, Camaica, Cuba, & aliæ minores, quas Christophorus Columbus, anno Christi 1492. primus detexit, Deindè Ferdinandus Cortesius, anno 1520. terram continentem ad Arctum aggressus; non ampliùs quinque annorum spatio (occupata priùs Vrbe Mexico) totum illum Orbem cum isthmo, quam diximus, à mari vsque ad mare, Castellanorum Regum Imperio subiugauit; præter partem maximè Septentrionalem, quam noua Francia, noua Anglia, nouum Belgium, aliæque Prouinciæ continentis, & Insulæ plurimæ postmodum detectæ, occupant à tempore successiuarum debellationum, patratarum à Nationibus, quæ talia nomina illis imposuere. Hanc etiam partem Septentrionalem versus, inspicere adhuc licet pluras Terras, Europæis nondum inhabitatas, vel quæ deinceps ab ipsis Hispanis, varijs occasionibus, conquisitæ fuerunt, impositis nominibus, nouæ *Bizcaia*, nouæ *Mexicana*, alijsque similibus. Intereà tamen alter Orbis Peruuianus, seu Australis America, nostris ferè intactus erat; præter Brasiliam Prouinciam, in eius Orientali Littore, ( multò iam priùs, hoc est, dum anno 1500. Aluarus Capralis, cum octo Franciscanis, viam nauigationis ad Orientales Indias quæreret, vt supra diximus, detectam.) & præter Ripas Dariensis Fluuij, orasque sinus Vrabani, vbi nunc Indiana Carthagena, omnia ad Littora nostri Orientalis, seù velint, Borealis, Oceani, in quibus Hispaniolæ Hispani, lentis tunc, ac debilibus initijs quidpiam tentauerant.

§ 17. Nunc autē integra pars Americę Mexicanę diuiditur, in terrā firmā, seù cōtinentē præmemoratam, & Insulas Maris Septentrionalis, quæ tot sunt, vt earum numerus nondum cognitus sit, earumque nonnullæ tam amplæ, opulentæq; dignoscatur, vt plurīū earū quæque grandi Regno cōstituendo sufficiat. Boriquena longa est 300. milliaribus, lata 60. Lamieca, vt testatur Valdesius *cap.* 12. paulò minor est. Cuba longa est 300. leucis, lata 20. Hispaniola in Ambitu 1600. milliarum est. Quod ad continentem spectat, Rex ipse toti maris oræ, quæ Floridam, nouam Hispaniam, Iucatan lambit, deindè toti illi immensæ Peninsulæ Meridionali ad caput Californiæ, imo ad Quiuiram vsque imperat: eo enim atque vlteriùs Castellani nouas, terra, marique, Regiones detexerunt. Hispaniæ nouæ ora, quæ initium cæpit à Sanctæ Helenæ Oppido, Panamam transiens ad Quiuiram protenditur, circiter quinquies mille, ducentisque milliaribus longa est: quibus si coniungatur, Mediterranea confinia Septentrionem versus, non minùs, quam nouies mille milliaria efficient.

§. 18. In illius vastissimo territorio (Insulis exceptis) erectus tantum est vnus Archiepiscopatus, Mexicanus nuncupatus. Mexicano autem Archiepiscopo, & Primati Indiæ Occidentalis (cum duobus sequentibus Episcopatibus ann. 1547 per Paulum III. Papam creato, vt pluribus explicat Onuphrius Panuinius in Vita eiusdem Pontificis) suffragantur, & subiacent Episcopi Antequerensis, siuè Guaxacanus, *Nueua Antequera*. Chiappensis, *Chapa*. Guadalaxarensis, *Guadalaxara*, è Xalisco, seù Compostella Oppido translatus, anno 1560. Guatimalanus, *Guatimala*, vel *Santiago* de los *Caualleros*. Hondurensis, seu Traxillensis *Traxillo* Mechuacanus, *Mechoacan*, vel *Valladolid*. Meridiensis in Prouincia Iucatanensi, *Merida*. Nicaraguensis, seu Legionensis, *Leon*. Pacensis, seù Veræ

Pa-

Pacis, *Vera Paz*. Traxcalensis, siue Angelopolitanus, *Puebla de los Angeles*, vel *Tlaxcala*. Et Durangensis, in noua Cantabria, vulgo *Nueua Vizcaya*.

§. 19. Apud Insulas verò, & Ciuitatem S. Dominici, in Hispaniola, alia effulget Dignitas Archiepiscopalis, cuius iurisdictionem, & amplitudinem descripsit P. Philippus Labbe, Societatis Iesu, in Breuiario Geographiç Episcopalis impresso, in Apparatu ad suam Collectionem Conciliorum, per hęc verba. [ Sancti Dominicano Archiepiscopo, in Hispaniola Insula, *Santo Domingo*, suffraganatur, & parent Episcopi Corensis, siue Venetiolanus, *Coro*. S. Iacobi, in Insula Cuba, *Santiago de Cuba*. Sancti Ioannis de Portu diuite, *San Ivan de Puerto Rico*. Margaritæ Insulæ Episcopus, seu Sancti Iacobi Caracani, addi solet, quem alij Archiepiscopo S. Fidei, in Prouincia Bogotana, subijciunt.

§. 20. Peruuia verò, altera noui Orbis Pars, quæ à Panama incipit, habet Oræ maritimæ duodecies mille sexcenta milliaria, quorum tria ( quæ inter Maragnonem Fluuium, & Argenteum continentur) Brasiliam amplectentia, Regem Lusitanorum agnosc[illegible]: reliqua omnia Regem Catholicum. Nouus hic Orbis Australis Americæ Trigonus est, eiusque primus Angulus, in Septentrione, isthmi extremitati, inter Portum Beli, in Mari nostro Atlantico, & Panamam Vrbem, ad Mare Meridionale, iungitur. Secundus Angulus est Promontorium S. Augustini ad Pernabucum, Orientem versus porrectum. Tertius Angulus in Austrum, rectè clauditur freto Megallanico, & Regione ignis, vulgo *Tierra del fuego*; quæ non est continens cum reliqua Terra, sed varijs Insulis, Sinubus, & Canalibus interfecta; eamque à continenti separat Megallanicum fretum, quod ab Oceano nostro Atlantico, in Australe pelagus, centum circiter leucarum spatio currit, duobus vtrinque Sinubus se mutuo contingentibus, & continuæ Nauigationis commodo coeuntibus. Quicquid ab isthmocis æquatorem est, Carthaginensem præfecturum, Nouum Regnum Granatense, Venezuelam, Guianam, & Popoaynā Prouincias inter Oceanum vtrumque complectitur, quæ ad Peruuiam singulariter dictam nihil pertinent. Reliqua pars tota à Linea ęquinoctiali in arcto, ad Littora freti Magallanici in Austro, duobus montium ordinibus bipartitur, quorum elatiores altissimis iugis perpetuò constant, quæ *Andes* vocant.

§. 21. Cis *Andes*, ad Orientem, hoc est ad nostrum Oceanum Atlanticum, à linea æquinoctiali, & Amazonum fluuio, ad Littora, iacet primum Brasilia, seù latè, seù strictè sumpto vocabulo: nam Dominiorum terminos hic diffinire, vel Castellanorum, Lusitanorumque Regnum confines certis, & indubitatis limitibus disterminare; nec animi nostri, nec præsentis argumenti est, sed ad ipsorum Geometros pertinet, & Regnum quisque nouit, quæ sunt eius. Sequitur deinde in Austrum Prouincia fluminis argenti, vulgò *Paraguai*, in varias deindè prefecturas, tam Ciuiles, quam Sacras disposita.

§. 22. Ex altera verò parte Occidentali, trans *Andes*, est alius Ordo montium, perpetuò porrectu, cum Andibus ipsis contendens, vbi montes arborum coma semper virent, & vallibus intersecantur, ad omnem humanum vsum fertilissimis. Deinde ad Australis Pelagi oram æqua planities, omnium terræ nascentium ferax, per quam panditur à freto Megallanico, inprimis Regnum Chilę, & indè continuo tractu vsque ad æquatorem, Regnum Peruuiæ, sic proprio nomine nuncupatum, in varias Prouincias, seù, vt vocant, valles diuisum, per spatium sexcentarum Leucarum longitudinis, ab Austro in Arctum; Latitudinis autem quinquaginta à Mari ab Andium cacumina, prӕterquam paucis locis, & præsertim versus Chachapoyarum Regiones, vbi paulò latiùs est.

§. 23. Totus autem hic Terræ tractus dotibus singularissimis celebratur, præsertim Vallis *Lima*: Nam præter ingentem auri, & aliarum nobilium rerum copiam ( quibus, indè asportatis, noster quoque Orbis locupletatur ) alias habet planè peregrinas, & prorsus mirabiles, quas ex Iosepho Acosta breuiter descripsit Ioannes Laëtus *cap*. 1. Peruuiæ, in Americæ vtriusque descriptione. Atque totum hoc Vallum terræ spatium, prę-

præter Brasiliam, iam dudum à Lusitanis possessam, & aliquas Regiones tàm Maritimas, quàm Montanas, nondum, vel detectas, vel saltem à Christianis non occupatas, in Catholicorum Castellæ Regum potestatem deuenit. Catholicus Rex perpendens tantam terræ amplitudinem, vnius dumtaxat Archiepiscopi iurisdictioni subesse non valere, absque profectus, ac regiminis spiritualis detrimento, hoc Apostolicæ Sedi proposuit, ac tandem obtinuit, vt per Paulum Quintum Pontificem, tota Australis America, in tres Ecclesiasticas Prouincias, auctoritate Apostolica diuideretur. Episcopatu Nicaraguę, in isthmo, relicto Iurisdictioni Archiepiscopi Mexicani, & Episcopatu Venezuelæ, in terra firma, Archiepiscopo Insularum, seù Sancti Dominici.

§. 24. Itaque, in illa Australi America, hodie Cis æquatorem, ad septentrionem, est Archiepiscopus S. Fidei *de Bogota*, in nouo Regno Granatensi, cui, vt Barbosa in secundo suo Catalogo Episcopatuum totius Orbis, quem adiecit ad calcem sui praxis exigendi pensiones, designat, subsunt hi Episcopi suffraganei, Popayanensis, Carthaginensis, & S. Marthæ. Ad Austrum, in Prouincijs Charcarum, & Paragayana, & Regno Chilensi, est Archiepiscopus Argentinensis, seù Platensis, vulgo, *de la Plata*, & à Prouinciæ vocabulo etiam, *de las Charcas*, cui parent suffraganei Episcopi Pacensis, Barroncanus, S. Iacobi Esterensis, & Bonæ auræ, vulgo *Buenos Ayres*. In horum vtriusque Meditulio, est Archiepiscopatus, seu Prouincia Limensis, in ipso veteri, & propriè dicto Regno Peruuiæ, eique nunc subiecti sunt Episcopi suffraganei octo, videlicèt, vt situs ordinem teneamus, Panamensis in isthmo, vndè Peruuiæ conquisitio initium habuit: Deindè post illum in terra continenti Quitensis, seù S. Francisci de Quito, & Truxillanus: omnes tres ad Septentrionem. Ad Orientem autem Cuscanus, & Guamanganus. Ad Meridiem demum Arequipensis, & Sancti Iacobi Chilensis, & Ciuitatis Conceptionis, quæ Imperiali in eadem Prouincia, seù Regno Chilensi successit.

§. 25. Vndè apparet, quod tota Meridionalis America, Peruuia nuncupata, quæ latè à Castellæ Catholico Rege possidetur, per nouam hanc partitionem, habeat Archiepiscopatus tres (& non nemo Limensi Primatialis titulum attribuit) & quindecim Episcopatus: nec non, quod priores Episcopatus, partim locis suis moti, partim nominibus mutati, & partim vti erant relicti, vel nouis Archiepiscopis subiecti sint, & noui insuper erecti, vti nouam hanc distributionem, cum antiqua conferenti, facilè innotescet. Idque dempta Brasilia Lusitanorum ditione, in qua existit Episcopatus Brasiliensis, apud Vrbem Sancti Saluatoris, ad Bahiam omnium Sanctorum, vulgo *Baya de todos los Sanctos*, qui paret, ac suffragatur Olyssiponensi Archiepiscopo. Sunt ibi prætereà duæ Prouinciæ Fratrum Minorum Discalceatorum, sub titulis S. Antonij vna, & Immaculatę Conceptionis Deiparæ altera, pro quarum erectione, hęc habemus apud *tom. 4. Orbis Seraphici, pag.* 400. [ Sancti Antonij Discalc in Brasilia erecta fuit, vt patet in prima Statutorum illorum impressione, anno 1651. at cum erectio illa non subsisterit: habito S Antonij de Lusitania (cuius erat Custodia) *anno* 1654. assensu; *anno* 1657. per Breue Apostolicum Alexand. VII. fuit ad Prouinciæ Dignitatem euecta. *Et inferiùs* Immaculatæ Conceptionis, in Brasilia, per Breue Apost. Clem. X. *die* 15. *Iulij anno* 1675. fuit instituta; in Capitulo denique Romano anno 1676. hæ tres vltimæ, inter Ordinis Prouincias, receptæ fuerunt, & confirmatæ; Ordinequè hic descripto recensitæ. ] Ex quo apparet, quantum ea in Regione Ditionis Lusitanicæ creuerit etiam Institutum Minorum Discalceatorum, à Filijs Almæ Prouinciæ Sancti Iacobi, vt supra vidimus, initiatum, & constabilitum.

§. 26. Benedictio tamen Cælestis, quæ, imperante, ac regnante Carolo V. Viam aperuit tot Gentium saluti, in in tota America, tunc ex Insulis, & Mexicano, ac Peruuiano Imperijs amplissimis conflata, fœlici ætate Catholici, & inuictissimi Philippi Secundi Regis, non cessauit: cum eius prudentia, & gubernatione singulari, radia Lucis Euangelicæ

licæ vndique, per inaudita antea Regiones, sed proferri non potest, quàm diligenti studio explorauerit Rex ille, quæ gubernatione regi, & Moderari deberent Prouinciæ remotissimæ, etenim, vt ibi tanquam Sol videretur interesse, Episcopos, Presbyteros, aliosque Egregios Sanctitate, Religione, & pietate viros, ad docendos Indos in Fide, illuc assiduè misit. Cuius vestigijs inhæsere vterque Philippus Tertius, & Quartus: actuque inhæret pijssimus Carolus Secundus, (qui regnet, & regat per quamplurima Lustra). Quibus regnantibus, & necessaria quæque, ad Euangelicas Missiones, conferentibus, Lux Christianæ Veritatis alijs quamplurimis Nationibus, & Insulis adeò extensè, & amplitudinaliter affulsit, vt neque annus sufficeret, ad iter paragendum, si adiri deberent omnes Regiones, & Regna, quæ obtemperant Pontifici Romano, quæque antea incolebant Barbari homines, prorsus nudi; humanas Carnes vescentes, Idolis sacrificantes; hodie autem placidè fidem Catholicam profitentes, ad ipsam, præmemoratorum Regum Hispaniæ studio, & expensis inenarrabilibus, feliciter adducti.

†effulserint

§. 27. Apud Vrbem ergo Manilensem, in Insulis Philippinis, quæ vti diximus, ad Indias Occidentales attinere, atque spectare queunt (re ipsaque pertinent, ex stabilimento Apostolico Missionis, de qua loquimur) alia præeminet Dignitas Archiepiscopalis. Et Maniliensi Archiepiscopo, in Lutzonia Philippinarum Insularum maxima, per Paulum V. Romanum Pontificem constituto, parent, & suffragantur Episcopi, Cacerensis, in Prouincia Camerinensi, & Insula Lutzonia. Caga am siue Nouæ Segouiæ. Nominis Iesu in Insula Zebuensi, *Nombre de Iesus*. Est tamen hic, ad pleniorem notitiam limitum, ac terminorum præfatæ Missionis, consultò animaduertendum, quod Sixtus Quintus, in Constitutione, pro erectione Prouinciæ Sancti Gregorij Philippinarum, *Dum vberes*: incipien. die 15. Nouembris 1587. expedita, vt infra sanciuit.

§. 28. [Nec non, pro tempore existenti dictæ Prouinciæ Sancti Gregorij Ministro Prouinciali; vt tam in ipsis Insulis Philippinis; quàm in alijs quibusuis terris, & locis Indiarum prædictarum, ac Regnorum *de la China* nuncupatorum, in quibus conuersio Gentilium ad fidem Catholicam commodè curari, & tractari poterit, nouas Domos, & Conuentus, pro Fratribus dicti Ordinis recipiendis, ad Dei laudem, & gloriam (nostra, aut Romani Pontificis, vel Ordinarij locorum, aut cuiusuis alterius licentia minimè requisita) fundare & instituere, eosque ad habitandum recipere, & Fratres in illis introducere liberè, & licitè valeant, facultatem, auctoritate, & tenore similibus impartimur, ità tamen, vt Minister Prouincialis Prouinciæ, nouiter erectæ huiusmodi, à fundatione, & institutione nouarum Domorum, in Conuentu in Malaca, & de Sian, ac de Cochinchinæ Regnis, siue Prouincijs, & eorum Dominijs, nec non terris illis, & locis, ad quæ dudum dictus Franciscus, Generalis Minister; quosdam alios Fratres etiam Minores de Obseruantia, Prouinciæ Portugalliæ, seu Custodiæ S. Thomæ, in Indijs Orientalibus institutę, pro erigenda alia Custodia in posterioribus Regnis, seu Prouincijs, ac eorum Dominijs prædictis, cum suis Patentibus litteris destinauit (cuius commissio, & auctoritas salua sit, & esse censeatur) omninò abstineat: nec non in Domibus, & Conuentibus in Ciuitate Malaca, aut locis prædictis iam fundatis, & institutis, vel cum Fratribus, & personis in illis degentibus se vllatenus intromittat, aliamue in eas, & eos iurisdictionem, & superioritatem exercere præsumat.

§. 29. Præterea vniuersis, & singulis, vtriusque sexus Christi Fidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, ac Sanctissimo Eucaristię Sacramento refectis, qui aliquã ex Ecclesijs Prouinciæ prædictæ erectis, seu erigendis, in duabus anni festiuitatibus, per Prouincialem pro tempore specificandis, à primis Vesperis, vsque ad occasum solis earundem festiuitatum, singulis annis, perpetuis futuris temporibus deuotè visitauerint, & inibi pro Christianorum Principum Concordia, Gentilium conuersione, hæresum extirpatione, Sanctæque Matris Ecclesiæ

exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quoties id fecerint, plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. ] Eaque propter, Missio nostra, quæ Prouinciam Sancti Gregorij Philippinarum, ex sua, per Litteras Apostolicas, primaria institutione, reuera comprehendit, extensa censenda venit, non solùm ad Diœceses superiùs enuntiatas; sed etiam ad quasuis illas, quæ erectæ inueniantur, apud Iapponium, Chinam, & Insulas, ac Ditiones alias adiacentes, in quibus Prouincia præfata, vigore Constitutionis Apostolicæ prærelatæ, seruata limitatione ipsi ibidem præscripta, Domos Regulares vsque nunc fundauit, seu erigere, aut instituere poterit in futurum, ad promouendam inibi Infidelium Conuersionem.

§. 30. Vndè consentaneum reputamus hic etiam, ex præcitato Breuiario Geographiæ Episcopalis, seriem transcribere Diœcesum, spectantium ad Prouincias Regionum Orientalium, vt exindè appareat, ad quas se extendat nostra Missio. Series autem est huiusmodi. [ Goano Archiepiscopo, Indiæ Orientalis primati, tempore Pauli IV. Romani Pontificis creato, *Goa*, suffragantur, & parent Episcopi Cochinensis *Cochin*. Machonensis, siue Sinensis, *Macao*. Malacensis Malaca. Malahanensis *Malaban*, Meliaporensis in Vrbe S. Thomæ, *Meliapor*: Nagasachinus, siue Iapponensis, *Nagasaqui*. Angamalensem Episcopum huic priùs vnitum fuisse volunt, quàm per Paulum Quintum Romanum Pontificem creatus sit Crangarotensis, siue Christianorum Sancti Thomæ Archiepiscopus, anno 1608. At Petrus Stroza in disputatione de Chaldæorum dogmatibus, anno 1617. vulgata, asserit defuncto Metropolitano Chaldæo, quem Patriarcha Babilonicus dare, & confirmare consueuerat, Successorem illi Archiepiscopum Angamalensem, vnum ex nostra Societate fuisse à Clemente Octauo constitutum. ] Hinc, si ab hac serie, & numero Episcopatuum, quos Sancta Sedes postmodum instituit in illis partibus, excipiantur Regna, ac Loca expressa in limitatione Superioris Constitutionis Sixti Quinti, ad omnes alias Diœceses, & ad Regiones, sub illis contentas, censenda venit extensa nostra Missio, à Sanctæ Memoriæ Innocentio XI. Apostolica authoritate comprobata, & stabilita.

§. 31. Nec deerunt apud Chinam amplissima Loca, in quibus debeant Missionarij suam operam impendere, & feruentissimum Nouarum Conuersionum Zelum piè exercere. Quatuor siquidem sunt ibi magnæ Prouinciæ, nimirum, *de Canton: Xañtuñg: Fokim: & Kiañgsin*: vulgo nuncupatæ, in quarum Territorijs, Oppidis. & Ciuitatibus, vltra quadraginta sex Ecclesias, palàm à Christianis Chinensibus frequentatas, erexerunt iam, & actu regunt, ac conseruant Fratres Minores, Prouinciæ Sancti Gregorij Philippinarum: Rege Catholico sumptus, ad earum manutentionem, & Fratrum Operariorum sustentationem, quotannis clementer ministrante. Quin vllam ex eo suspicionem concipiant Chinenses de aliquo fine Politico, ob quem prædicti Regis Maiestas ærarium suum huiusmodi supponat expensis, quando nec Chinensibus Mercatoribus accessum non interdicit ad suas Ditiones, & antiqua, atque inalterabilis viget, inter vtriusque Potentiæ subditos correspondentia.

§. 32. Licet igitur inferre, ( ad tanti Regis Gloriam, & vt in dies propensior fiat Apostolica Sedes in antiquissimam, & Sacram Æconomiam eidem committendi, tanquam Regum Potentiori, sollicitudinem reductionis Infidelium ad Catholicam Fidem,) quod ab Orbe condito nulli Imperatorum, Regum, vel Principum maius Imperium obtigit, eo, quo Carolus Secundus Imperator Indiarum, & Hispaniarum Rex potitur, quoniam in abundantia, & multitudine Ditionum, non solum eos omnes, qui nunc sunt, sed antiquitatis memoriam, Alexandrosque, & Carolos Magnos, Traianos, Romanorum Rempublicam, omnesque alios, magnitudine, & gloria longe superat. Alexander enim Magnus, ex Quinto Curtio, alijsque de eius gestis Scriptoribus, nunquam vltrà Asiam exercitum per-

duxit, nec eam Vniuersam occupauit: in qua Asiæ Regione, quæ tertia, & maior Orbis habetur, Rex Clarissimus, ac Pijssimus Carolus, vltrà Hierosolymitanum Regnum, & Ditiones ad illud spectantes, amplissimam obtinet partem versus Insulas Mulucas, & eam Regionem, quam Plinius *lib. 6. cap. 29.* inaccessibilem nauigationem existimauit, ob nimium Solis ardorem. Eamque Dominij partem ad Orientales Indias pertinere, testantur plures periti Cosmographi, inter quos Habrahamus Hortesius, loquens de Indijs Occidentalibus, quas non propriè Indias appellari, scribit, in Thesauro Comosgraphiæ, littera A. verbo *Athlantis Insula*: solùm quippè Orientales rectè tales appellantur, ab Indo flumine, per Regionem Asiæ fluente; Occidentales verò, quoad illud paucissimum terræ, quod primò cognitum fuit, *Insulæ Athlanticæ* vocatæ fuerunt, & posteà Americæ aggregatæ, cum ea partem adeò magnam terræ exindè constituunt, vt ex eodem Authore, pars quarta censeatur totius Orbis.

§. 33. Itaque, cum Inclytus Indiarum Occidentalium Dominus, quartam partẽ Orbis in eis obtineat, adeò reliquis tribus magnitudine approximantẽ, quod nõ Regnorũ, sed noui Orbis integri Rex dicatur, et aliàs sub vtroque Sole terras subiecerit, & subiectas in sæculo hoc teneat, in alijsque Europæ Regionibus plura Regna moderetur, Hispanias nimirum, Neapolim, Siciliam, Mediolanum, Maioricam, Minoricam, Iuizam, Sardiniam, & Melitam Insulas: necnon alias quamplures Ditiones apud Italiam, & vtramque Germaniam superiorem, & inferiorem; Cumque Angliæ oppugnatio sit ab Ecclesia ei concessa: & ab Alexandro Sexto, ex Hieronymo Zurita, *lib. 1. Annal. cap. 48.* Africæ expugnatio, ob fines spirituales, fuerit commissa; Græciæque proprietas ipsi pariter competat, eodem Zurita attestante *lib. 4. cap. 39* ratione donationis factæ ab Imperatore Orientali, Andrea Paleologo Regibus Aragoniæ: & cum insuper habeat extra Fretum Herculeum Insulas Canarias, duodecim numero, inter quas præcipuè sunt septem, quarum nulla minùs quàm nonaginta milliaribus ambitur: cum quibus numerantur alia Africana Dominia: Hinc iure optimo Regi Hispaniarum competit illa Statuum magnitudo, supra omnes alios Reges; quę ab Ecclesia præsignata existit, per Isaiam *cap. 13.* *Noli timere, quia ego tecum sum; ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te, dicam Aquiloni da, & Austro noli prohibere, affer filios tuos de longinquo, & filios meos ab extremis terræ.* Et *cap. 51.* *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida, & ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & Ciuitates desertas inhabitabit.* Quæ Ecclesiæ benedictio concessa est Regibus Hispaniæ, ob Fidei conseruationem, ex Bozzio de Signis Ecclesiæ *lib. 20. sign. 32. cap. 1.* in eaque exigunt manuteneri ab æquitate Romanorum Pontificum, per augmentum gratiarum, quibus valeant operam nauare reductioni Infidelium ad minus, qui degunt intra limites amplissimi eorum Dominij.



DIST.

# DISTINCTIO XI.

*Denuntiantur loca intra amplitudinem prælata Missionis existentia, quæ indigent operarijs Euangelicis: necnon auxilia, quæ præstitere tam Sacra Congregatio de Propaganda Fide, quàm san. mem. Innocentius XI. per stabilimentum Instituti Collegiorum, pro Missionarijs, quod subinde describitur.*

§. I.

INcipientes, vt par est, à magno Imperio Mexicano, illud, ex vna parte laterali nostras Europæas respiciente, vallatum inspicimus Oceano Septentrionali, quod Mare *del Norte*, vulgo nuncupatur; ex altera verò laterali parte, extat Sinus magnus, Oceani Maris, *del Sur*, vt prædiximus, vulgariter denominati. Extrema autem, quoad longitudinem, se à Septentrione, in Meridiem protendentem, in terra firma continentur. Meridionalia enim Peruuiæ Regiones sunt; Septentrionalia vero, versus Orientem, & Occidentem non parum extensa, terram vastissimam amplectuntur, in qua existunt noui Mexici Regnum (quod quoad maximam partem adhuc Christianum non est) & omnes Regiones Septentrionales quarum mentio facta est, *distinct. præcedenti*, quæque vsque nunc mancipia deploranda infidelitati præstant. Vnitur etiam Imperium hoc, cum amplissimo Regno, vulgariter dicto *de la Florida*, nondum plenè ad Fidem Catholicam reducto. Inter limites pariter Imperij præmemorati, ac Diæcesum ipsius: necnon inter ipsas Prouincias, Ciuitates, ac Populationes Catholicas, adsunt quamplura Deserta, Montana, & vsque adhuc non recogniti Infidelium Incolatus, in quibus nondum plantata cernitur Christiana Religio.

§. 2. Imperium autem Peruuiæ, præcedenti etiam *distin.* descriptum, plura pariter Deserta, & Montana complectitur; quę adhuc à Barbaris possidentur: nonnullasque, intra suos limites, Gentiles continet Regiones, quæ à Christianis Hispanæ, aut Lusitanicæ Ditionis hactenus subiectæ non fuerunt; detectæ tamen extitere iampridem, tum ad *Andium* iuga: tum ad littora Maris Australis; & nostri Oceani Atlantici: & in terra del *Fuego*, ad oram freti Magallanici. Harum Barbari habitatores, Franciscanorum Fratrum diligentia, per *Reductiones*, seù *nouas Conuersiones*, vt vocant, paulatim cicurantur, & Christo simul, ac Catholici Regis Dominijs adiunguntur. Quod idem contingit in Insulis quamplurimis Maris Australis, seù Magallanici, iamdudum detectis, tam vltra lineam æquinoctialem versus Antarcticum (quales sunt Salomonicæ) quàm citra lineam, versus Occidentem, & Philippinas, quales sunt Insulæ Latronum, quæ ab alijs Mariannæ nuncupantur. In his vltimis tamen Moderniora Christianæ Fidei incrementa (nonnulla enim longè antea præcesserant initia) debentur zelo, eximijsque laboribus Patrum Societatis Iesu: necnon piæ solicitudini, ac fauori, apud Maiestates Catholicas, earumque Regios Ministros, Excellentissimæ Heroinæ, D. D. Mariæ à Guadalupe, & Alencastro, Ducissæ de *Abeiro*, & *Maqueda* quæ maxima linguarum peritia prædita, & sapientia Sacra, alijsque extraordinarijs donis ornata, tanto Conuersionis Infidelium, & profectus Spiritualis Animarum zelo pollet; vt nullus sit Missionarius, qui eam, tanquam Matrem, & Protectricem, apud Aulam Regiam Matritensem, iuremerito non veneretur:

§. 3. In Insulis tandem Philippinis, quæ

quæ vltimam partē occupant Indiarum, quas Hispani vocant Occidentales;(quęque limites non transcendunt lineæ centum leucis versus Occidentem, & Meridiem distantis à qualibet Insularum, vulgo *de los Azores, y Cabo Verde* nuncupatarum, à Polo Arctico, idest Septentrione, ad Polum Antarcticum, idest Meridiem, vigore concessionis Alexandri VI. Regibus Castellę, anno 1493. factæ, ritè, & legitimè efformatæ) adsunt alia quamplurima loca tenebris Infidelitatis æquè hucusque suppofita, ac superiora à nobis in vtroq; Americano Imperio nunc descripta. Quibus veniunt adiungenda Regna Gētilia Magni Imperij Chinæ, in quorū territorijs Fratres Minores Discalceati Philippinarum, natione Hispani, eas erexerunt, & conseruant Ecclesias; quas memorauimus circa finem distinctionis præcedentis.

S. 4. Indigent igitur omnia præmemorata loca præfatarum Regionum Operarijs Euangelicis, qui Verbum Dei resonare faciant inter incolas, gementes inibi sub Barbaro, & impijssimo Infidelitatis iugo. Indigent præterea eisdem operarijs, qui morum Reformationi, excolendæque Vineæ domesticorum fidei, vitiorum labruscis deformatæ, operam nauare queant, in Ciuitatibus, Oppidis, & Terris, iam olim ad Fidem conuersis: exhortationem Seraphici Patris adimplentes, qui cap. 9. *Regulę*, sic scripsit. *Moneo quoque, & exhortor eosdem Fratres, vt in prædicatione, quam faciunt, sint examinata, & casta eorum eloquia, ad vtilitatem, & ædificationem populi: annuntiando eis vitia, & virtutes, pænam, & gloriam, cum breuitate Sermonis, quia verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.* Huiusmodi enim sollicitudo ver. bis Virginis Deiparæ, non minùs commendatur, quam studium reductionis Infidelium. Ipsa siquidem Cælorum Regina talia peragentibus dulcedinem, & decorem obtulit sempiternum, per os Sanctæ Brigittæ *lib.6. Reuel. cap. 47.* Quæ ibi ità subiungit. *Ideò amici Dei libenter vexent se ad conuertendum eos, qui superbiam, & cupiditatem diligunt plusquam Deum, quia ipsi iacent quasi sub Monte, & ideò laborandum est, vt eum Vita eripiantur. Sicut enim ille, qui videt Fratres suos sub casu montis iacere, quādoque montē concutit, vt eijciat lapides, quandoque frangit leuitèr, ne subtus iacens deprimatur grauiùs. Quandoque percutit fortiùs, vt eo citiùs à subiacente mons remoueatur, nec attendit laborem suum, dum tamen vita iacentis in periculo liberetur. Sic etiam amici Dei laborent, vt animæ saluentur. Itaque sicut pauci fuerunt, qui habuerunt fidē rectā quando Filius meus ascendit in Cælū sic nunc pauci sunt qui praeceptum illud implent. Diliges Deum super omnia, & proximum sicut te ipsum. Ideò amici Dei, sicut priùs ad paganos, sic nunc vadant ad Christianos, quia sicut impossibile fuit illos obtinere Cælū, qui fidē audierunt, & non seruauerunt; sic impossibile est Christianis obtinere Cælum, qui sine Diuina charitate moriuntur.*

S. 5. Indigent necnon Apostolicis Missionarijs, Minoritici Instituti præsertim, qui abusus modernioris modi, concionandi, sua prædicatione reprehendant, & eliminent à Regionibus nondum plenè, quoad indigenas, in fide radicatis. Quod equidem ipsi præstabunt, dum non defecerint à regulis sibi à Christi signifero Beato Francisco, *Collat. 17.* assignatis, per hæc Verba. (Priùs ergo Prædicator haurire debet secretis orationibus, quod posteà Sacris ostendat sermonibus, priùs intus calescere, quàm extra verba proferre. Reuerendum certè est hoc officium; & qui illud administrant, ab omnibus reuerendi. Isti vita sunt Corporis, impugnatores Dęmonum, Mundi lucerna. Laudandi sunt Prædicatores illi, qui pro tempore sibi sapiunt, sibique gustant; illi verò malè sciunt diuidere, qui prædicationi totum; deuotioni vero nihil impendunt. Alij etiam plangendi sunt, qui vendunt sæpe quod faciunt, oleo vanæ laudis. Officium prædicationis, Fratres, Patri misericordiarum omni sacrificio est acceptiùs, maximè si studio fuerit charitatis impensum, vt ad id laboret Prædicator magis exemplo, quam verbo, magis lachrymosa prece, quam loquaci sermone. Plangendus proinde Prædicator, tanquam vera pietate priuatus, qui in Prædicatione non animarum salutem, sed propriam laudem quærit, siue qui prauitate destruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ. Præferendus huic est Frater simplex, & elin-

Mmmm guis,

guis, qui bono exemplo alios prouocat ad bonum. Donec sterilis peperit plurimos, inquit Prophetissa, & quæ multos habebat filios, infirmata est. Sterilis est Pauperculus Frater, qui generandi in Ecclesia Filios, non habet officium. Hic pariet in iudicio multos, quia quos nunc priuatis orationibus conuertit ad Christum, suæ gloriæ tunc Iudex adscribet. Quæ multos habet filios, infirmabitur, quia Prædicator vanus, & loquax, qui multis, nunc quasi sua virtute, genitis, gaudet, cognoscet, tunc se nihil proprij habere in eis.]

§. 6. Hinc Episcopi adeò extensarum Diæcesum, etiam si opera omnium Religiosorum earum partium continuò vtantur, ad perfectè exequendum munus sui Pastoralis officij, (quia vix tamen ministrare queunt spirituale pabulum fidelibus Europæis, & Indis iam conuersis, suæ iurisdictioni suppositis) subsidiarias Missionariorum Cohortes à Summo Pontifice, & Rege Catholico passim illuc mitti peroptant, quæ Fidelibus ad morum reformationem, infidelibus verò ad veritatis Catholicæ agnitionem, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ recognitionem, Verbum Dei, Apostolico zelo, valeant annunciare. Memores necnon mentis Apostolicæ Sedis, quam expressimus antea, *Dist.* 2. §. 13. illuc, præ alijs, mitti percupiunt Minores Fratres, qui insimul aptiores creduntur ab ipsarum Indiarum incolis, ad instruendos suis Concionibus Christi Fideles, & conuertendos Indos, qui Christianæ Religioni nondum nomen dedere, nec Baptismi lauacro regenerati, fidem Catholicam amplexi sunt.

§. 7. Quod enim Dominus suis Discipulis, apud *cap.* 10. *Matth.* benignè imposuit, dicendo: *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de Domo, vel Ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris*: & quod item Sanctus Gregorius Papa, Petro Episcopo Tarraconensi scripsit, per hæc verba: *Eos qui à Religione Christiana discordant, mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, ad vnitatem fidei necesse est congregare, ne quos dulcedo prædicationis, & prætentus futuri Iudicij terror, ad credendum inuitare poterat, minis, & terroribus repellantur*. Id Minoritæ Missionarij diligentissimè præstant, incumbentes Infidelium conuersioni, in paupertate strictissima, & humilitate sincera, sine comitatu hostili, & cum affabilitate Paterna: semper egentes, & nunquam sibi Conuersorum bona appropriantes: fiuntque inter ipsos illi Sapienti similes, de quo dicitur apud Ecclesiastes, *cap.* 9. *Ciuitas parua, & pauci in ea Viri: venit contra eam Rex Magnus, & vallauit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inuentusque est in ea vir pauper, & Sapiens, & liberauit Vrbem per sapientiam suam*. Illis etenim Christianæ perfectionis armis, sapientia Sanctorum muniti, Cathecumenos, & Neophitos, sub sua cura degentes, ab hostium Gentilium incursione liberant, ipsosque hostes per sæpè ad gremium Ecclesiæ ope Diuina conducunt, adhibitis dumtaxat amabilissimis exercitiorum Christianorum, ac virtutum heroicarum munitionibus, & armaturis.

§. 8. Qui igitur attentè recogitauerint cuncta præmissa; nec non salubre consilium, quod Iethro *cap.* 18. Exodi Moysi dedit, in illis verbis: *Prouide autem de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos*, &c. Et Adriani VI. superiùs adductum Indultum, vnà cum mandato Alexandri VI. in Bulla, ad Reges Catholicos directa, expresso, vbi habetur: *Insuper mandamus vobis in virtute Sanctæ obedientiæ (sicut etiam pollicemini, & non dubitamus, pro vestra maxima deuotione, & Regia magnanimitate vos esse facturos) ad Terras firmas prædictas viros probos, Deum timentes, peritos ad instruendum incolas, & habitatores præfatos in Fide Catholica, & bonis moribus imbuendum, destinare debeatis, omnem debitam diligentiam in præmissis adhibentes*, &c. Dubio procul Diœcesanorum, & Incolarum Indiarum desiderium comprobabunt, audientes ipsos peroptare illuc præalijs, mitti Minores Fratres Regulæ, ac vitæ Apostolicæ veros Professores.

§. 9. Huiusmodi Ordinariorum desiderio, & Indorum suspirijs, permoti non

non semel Franciscani inibi degentes, consodales quam plurimos, ad Aulam Maiestatis Catholicæ, & Pontificiam Curiam, diuersis temporibus destinarunt, qui penuriam operariorum ad excolendam eam Domini exuberantissimam Vineam, sedulò exponerent, & secum ducerent Minoriticos Operarios, quos possent ad opus acceptabile precibus obtinere. Hos semper exauditos iri voluit Regia Pietas Maiestatum Catholicarum, innumeras insimul decernens expensas, pro transfretantibus in eas Regiones Seraphicis Missionarijs. Cæterùm persistentibus adhuc, post duo ferè integra secula ab ingressu Religionis Catholicæ in easdem plagas, tot infidelitatis mancipijs, quæ iram Omnipotentis forsan mouent contra eos, qui eas planè mundare debuerant à labe Idolatriæ, haud quaquam valet extingui ardor, & zelus Seraphicæ Religionis, erga earundem ad Ecclesiæ gremium vniuersalissimam reductionem.

§. 10. Hic Zelus efferuit, ijs nouissimis diebus in cordibus nonnullorum eiusdem Ordinis Fratrum, de Obseruantia nuncupatorum, quorum Vota Sanctæ Sedi, sub Sanctissimo Pontifice Innocentio XI. fel. mem. acceptissima extitere, sicut grata priùs fuerunt Domino, qui pauperum exaudit similia desideria. Etenim iam ab anno 1682. dignata est hæc Sacrà Congregatio de Propaganda Fide, zelo sui muneris ducta, in præfatarum Indiarum Occidentalium partes, & Regiones, suam de more, per nouam operariorum Messis Dominicæ deputationem, dirigere solicitudinem. Erecto enim, eo anno, auctoritate, tam Superiorum, quàm Sanctæ Sedis Conuentu S. Crucis de Queretero, Prouinciæ de Mechoacam, apud nouam Hispaniam, in Seminarium, seù Collegium pro habilitatione, & instructione Fratrum Missionariorum, qui in earundem Indiarum Regionibus, aptiùs, & solidiùs incumbere vellent prædicationi Apostolicæ, eadem Sacra Congregatio die 15. *Iunij* 1682. P. Antonium de Linaz (antea à Ministro Generali eiusdem Ordinis in Commissarium Delegatum supra Missionarios præmemoratos, & dicti Seminarij, seu Collegij Superiorem electum (*Præfectum Missionum in Indijs Occidentalibus ad septennium declarauit*; cum solitis Facultatibus, & potestate eas communicandi. Idem verò P. Linaz, associatus viginti quatuor Missionarijs, è Prouincijs Hispaniæ, & Insularum assumptis, expensisque Maiestatis Catholicæ, vna cum Socijs in transmarinas Regiones peruectus præfato Seminario, seu Collegio stabilimentum, apud Nouam Hispaniam quam citissimè dedit: & incæpto per se, ac Socios suos, Catholicos inter, & Infideles, Missionis exercitio, compertoque gregem operariorum Euangelico ti adeò pusillum, insufficientem esse ad excolendam Vineam Domini, & Fidem Propagandam in illis vastissimis Regionibus, relictis in eisdem suis feruentissimis Socijs, vt animas Christo lucrifacerent, in Aulam Maiestatis Catholicæ, ac ex ea in hanc Almam Vrbem, vitæ Apostolicæ rigore seruato, se iterum contulit: vbi earum partium indigentiam, & Ministrorum, qui paruulis petentibus frangerent panem, deplorandam penuriam, candidè, ac sincerissimè exposuit.

§. 11. Hinc, pro reuerentia erga ipsius Zelum, & veracitatem, exauditus à Superioribus Ordinis prædicti, deinde à Rege Pientissimo, & tandem à san. mem. Innocentio XI. Pontifice Maximo quod sibi, ac alijs pijs Viris, ad succurrendum spiritualibus earundem Regionum indigentijs opportuniùs videretur, humiliter proposuit. Quod postmodum apud prememoratam Sacram Congregationem de Propaganda Fide fuit discussum, & tandem approbatum per præfatum Pontificem, de Voto, & Consilio cuiusdam Congregationis particularis, à qua tunc emanauit Decretum, tenoris qui sequitur, videlicet: (Decretum Congregationis Particularis de Propaganda Fide, habitę sub die 2 Aprilis 1686. Instante P. Francisco Diaz à Sancto Bonauentura, pro Vltramontana Familia Fratrum Minorum de Obseruantia, in Romana Curia Commissario Generali, & ad hæc specialiter deputato, per P. Generalem eiusdem Ordinis, nec non P. Antonio Linaz, vti Præfecto Missionum, in Indijs Occidentalibus, ac vtroque enixè petente. Primò videlicet approbari Collegia, seu

Se-

Seminaria in illis partibus, & alijs erecta, in supplici Libello contenta, ad educandos, & instruendos Fratres ipsius Ordinis circa Missiones faciandas.

§. 12. Impertiri licentiam erigendi alia huiusmodi Collegia, seu Seminaria, vnum scilicet, vel duo in qualibet ex Prouincijs, in Ditionibus Regis Catholici, tam apud Hispaniam, quam apud Philippinas, Mexicanas, Peruanas, ac Cæteras Occidentales Indias, Regi Catholico subiectas; necnon suppleri defectus consensuum illarum Prouinciarum, per P. Generalem præstitorum, & interdici superioribus Generalibus illarum partium, sub pœnis in eisdem litteris contentis, ne vltra quatuor Menses à requisitione facta per Religiosos, ad id facultatem habentes, computandos, dictas Erectiones protrahere, seu suspendere possint. Confirmari Statuta super eisdem Collegijs, seu Seminarijs eorumque Fratribus, & Superioribus, ab ipso P. Generali edita, supplerique defectus, & dorogari contrarijs &c. Quorum tenor sequitur &c. Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinales de Alterijs, Crescentius, & Casanate, ad hoc specialiter deputati, semel, atque iterum illis benè perpensis.

§. 13 Primò Collegia, seu Seminaria pro educandis Fratribus dicti Ordinis, ad Missiones iam erecta, tam in Conuentu Sanctæ Crucis de Queretero, Prouinciæ de Mecoacham, quàm in alijs Hispaniæ Prouincijs, approbauerunt. Secundò, facultatem erigendi alia Collegia, seu Seminarià, vnum scilicet, vel duo in qualibet ex Prouincijs, in Ditionibus Regis Catholici, tam apud Hispaniam, quàm apud Philippinas, Mexicanas, Peruuanas, ac cœteras Occidentales Indias, Regi Catholico subiectas, eidem Seraphicæ Religioni, Ecclesiæ Dei, ac Sanctæ Sedis Apostolicæ benemeritæ, benignè concesserunt, confirmando supplementum consensuum præstitorū, per P. Generalem, vt exponitur, & interdicendo Superioribus Generalibus illarum partium, sub pœnis in eisdem litteris contentis, & alijs arbitrio huius Sacræ Congregationis reseruatis, ne vltra quatuor Menses, à requisitione facta per Religiosos, ad id facultatem habentes, computandos, dictas Erectiones protrahere, seu suspendere possint; salua semper in omnibus supra relatis auctoritate Sacræ Congregationis, ad formam Constitutionis san. mem. Gregorij XV.

§. 14. Tertiò, Statua præinserta, & vt præfertur, à P. Generali condita pro dictis Collegijs, seu Seminarijs, tam erectis, quàm erigendis, ac Fratribus, & Superioribus, confirmarunt, salua semper auctoritate Sacræ Congregationis ea augendi, seu moderandi, quatenùs opus fuerit, & magis in Domino expedire videbitur: supplendo, si Sanctissimo placuerit, quoscumque defectus, quo ad iam præfata Collegia erecta, & derogando contrarijs quibuscumque. Quo Decreto relato per R. P. D. Odoardum, Archiepiscopum Seleuciæ Secretarium, Sanctissimo Domino Nostro; Sanctitas Sua illud benignè in omnibus approbando, ad vlteriora procedi mandauit in expeditione Breuis, in audientia habita, die 7. Maij 1686. Datum ex Ædibus dictæ Sacræ Congregationis die 11. Maij 1686.

§. 15. Obtenta iam præelata approbatione, oportuit aliquantulum supersedere in sollicitudine litterarum Apostolicarum, in Forma Breuis, quia (vt contingere solet in Causis Sanctioribus) exortæ sunt Matriti nonnullæ suspiciones, contra ea, quæ Romæ agebantur, ad augmentum iam dictæ Missionis. Vnde quamuis antea Excellentiss. D. D. Franciscus Bernardus de Quiros (qui tunc Temporis, defectu Legati Regis Catholici, negotijs Legationis operam nauabat) suum pro huiusmodi causæ expeditione, de mandato Regis, ad quod præcesserat Votum supremi Consilij Indiarum, auxilium præbuisset; tamen ex nouo mandato coactus est, progressum Causæ impedire, quousque ipse ad præmemoratum Consilium Copiam transmitteret omnium, quæ vel iam erant approbata, vel approbanda à Sancta Sede, circa sæpedictam Missionem, ac donec ibi cessaret hoc medio excitatæ, seu delatæ suspiciones.

§. 16. Transmissa itaque, per eundem Ministrum, huiusmodi copia, vna cum relatione, & iustificatione actorum vsque tunc, & contentorum in ipsa, eidem

dem à P. Fr. Francisco Diaz à Sancto Bonauentura, præmemoratæ Prouinciæ S. Iacobi alumno, & instaurandarum Missionum apud Indias Occidentales, auctoritate Apostolica, Procuratore, die 27. Iunij 1686. præsentata, in nihilum redactæ sunt suspictiones, & clarissimè apparuit, Sanctam Sedem plura denegasse iam, ad quæ postulanda præcesserat consensus Commissarij Generalis Indiarum, Matriti existentis, quæ forsan officere possent Regaliæ Maiestatis Catholicæ in illis partibus. Eaque propter eodem Ministro Regio cooperante, processum est, post responsum receptum è Matrito, ad vlteriora, & Breue Pontificium, confirmatorium Decreti præinserti, & Statutorum pro præfata Missione, cum eorundem insertione, die 16. Octobris 1686. statim fuit expeditum. Cuius tenor est.

# Innocentius Papa XI.

## *Ad perpetuam rei memoriam.*

S. 16. Ecclesiæ Catholicæ per Vniuersum terrarum Orbem diffusę regimini, meritis licet imparibus, Diuina dispositione præsidentes, ea quæ à Superioribus Regularibus pro Christianę Religionis, Catholicæque Fidei propagatione, rectaque Christi fidelium instructione, ac morum reformatione, & animarum salute, vbique locorum congruis rationibus procuranda, piè, prudenterque statuta, atque ordinata esse noscuntur, vt firma semper, & illibata persistant, & optati exinde bonorum operum fructus, ad Dei gloriam, & Christiani Populi ædificationem, benedicente Domino, consequantur, Apostolici muniminis nostri præsidio, cum id à nobis petitur, libenter constabilimus, & alias Pastoralis officij nostri partes opportunè desuper interponimus, prout rerum, personarum, locorum, & temporum qualitatibus, maturè perpensis, salubriter in Domino expedire arbitramur. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Franciscus Diaz à Sancto Bonauentura, pro Vltramontana Familia Fratrum Minorum Sancti Francisci, de Obseruantia nuncupatorum, in Romana Curia Commissarius Generalis, quòd cum Dilectus pariter Filius Antonius de Linaz, dicti Ordinis professor, ac Indijs in Occidētalibus Missionum Præfectus, ad fidei propagationem, & morum in Terris fidelium reformationem, vnius Conuentus, vel duorum, ex iam fundatis, in vnaquaque, ex Prouincijs Ordinis præfati, in Ditionibus Charissimi in Christo Filij nostri Caroli, Hispaniarum Regis Catholici, tam apud Hispaniam, quàm apud Philippinas, Mexicanas, Peruanas, & cæteras Occidentales Indias, existentibus, erectionem in Seminaria, seu Collegia, pro Missionarijs Fratribus educandis, ac instruendis, à suis Superioribus petijsset; dilectus etiam Filius Petrus Marinus Sormanus, Minister Generalis eiusdem Ordinis, erectiones Seminariorum, seu Collegiorum huiusmodi, consensum Prouinciarum, auctoritate sui officij, supplendo, fieri, sub forma in suis litteris contenta, decreuit, ac sub pœnis per easdem litteras præscriptis, prædictarum erectionum protractionem, & impedimentum, illarum partium Superioribus interdixit; Insuper Seminaria in Hispaniæ Prouincijs iam erecta, & in posterum erigenda, non solum ad optimam fidelium instructionem, & prauorum morum reformationem, ordinauit, sed etiam ea, ad id destinata esse voluit, vt transitus in Indiarum Missiones omnibus Prouinciarum Hispaniæ Religiosis, qui priùs per duos annos, vel aliud temporis spatium ab Indiarum Commissario Generali, Matriti residente assignandum, in aliquo ex prædictis Seminarijs suæ Religiositatis, idoneitatis, ac vocationis Indicia, & testimoniū nō dederint, seruatis seruādis, prohibeatur, ac simul Prouinciarum in Indijs existentium reformationi, si illa carent, consulatur, Fideliumque tam in illis, quàm in Hispaniæ partibus degentium ædificationi, infidelium conuersioni, ac omnium animarum saluti, & sanctę Romanæ, & Vniuersalis Ecclesiæ dilatationi vbique, indefessè inseruiatur: Ob idque pro præfatorum Seminariorum omnium gubernio, nonnulla matura deliberatione, & de aliquorum grauissimorum Fratrum consilio condidit, &

diposuit, ac aliàs, prout pleniùs continetur in eius litteris Patētibus desuper emanatis, tenoris, qui sequitur, videlicet. Frater Petrus Marinus Sormanus à Mediolano, Lector Iubilatus, Sanctæ Inquisitionis Qualificator, Ex-Guardianus Hierosolymitanus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, & Seruus, &c. Dilectissimo nobis in Christo Patri Fratri Antonio Linaz, eiusdem Ordinis Lectori Iubilato, Sanctæ Inquisitionis Qualificatori, Prouinciæ nostræ SS. Petri, & Pauli de Mechoacam Patri, Prouiciæ verò Maioricensis Alumno, ac Missionum nostri Ordinis in Indijs Occidentalibus, auctoritate Apostolica, Præfecto, salutem in Domino sempiternam.

§. 17. Inter cætera Diuinæ Maiestati beneplacita opera, & cordis nostri desiderabilia, illud profectò potissimum existit, vt Fides Catholica, & Christiana Religio, morumque fideliū reformatio, nostri Ordinis Religiosorum studio, labore, ac sedula sollicitudine, exaltetur, atque vbilibet amplietur, ac cum animarum fidelium profectu, infidelium ad fidem Sanctam reductione, Barbaricarumque Nationum depressione, toto Terrarum Orbe dilatetur.

§. 18. Vnde cum nobis notum sit, Te cum alijs viginti quatuor Religiosis morum integritate, litterarum scientia, & salutis animarum zelo pollentibus, quorum Prælatus, ac Superior à Ministro Generali prędecessore nostro, & Indiarum Commissario Generali fueras electus, ac à Capitulo Generali proximè præterito confirmatus, in Indias Occidentales nouæ Hispaniæ, nullis parcendo periculis, pro procuranda fidelium reformatione, & Infidelium Catholicæ Fidei, & obedientiæ Romano Pontifici debitæ salutari agnitione, Deo assistente, & Rege Catholico expensas ad id præstante, olim iuisse, ac in illis partibus gratia ex alto concessa cooperante, Vineam Domini feruenti conatu, ac indefesso zelo, excoluisse: Conuentumque Sanctę Crucis de Queretero, prędictæ Prouinciæ de Mechoacā, in Seminarium, pro dictis viginti quatuor Religiosis Missionarijs, sub aliquibus statutis, in prædicto Generali Capitulo reuisis, & à Sanctissimo Domino nostro Innocentio XI. per suas litteras *Sacro-Sancti*: incipientes, die 8. Maij 1682. expeditas, specialiter approbatis, & confirmatis, alijsque accedentibus facultatibus requisitis, obtentisque à Sacra Congregatione de Propaganda Fide, laudabiliter erexisse, illiusque Guardianum, iuxta formam in prædictis statutis præscriptam, electum fuisse, atque Missionum præfatarum exercitio, vnà cum Socijs prædictis, in prælibatis partibus indefessè vacasse, necessitatemque Operariorum, ad munus adeò proficuum in maiori numero, non sine magno dolore, expertum fuisse.

§. 19. Ob idque de Consilio grauissimorum nostri Ordinis Patrum, superiorum assensu, Ordinariorum instantia; fidelium, ac infidelium motum necessitate, Socios prædictos in prælibato Missionum exercitio reliquisse, in Hispaniamque, Diuina opitulante gratia, prosperè reuertisse, ibique illarum partium necessitatem, & Missionariorum penuriam Catholicæ Maiestati, ac Indiarum, & Vltramontanæ Familiæ Commissario Generali veraciter exposuisse, atque ab ipso Commissario Generali quāplurimas gratias, & facultates, pro conductione aliorum Religiosorum, erectione, & gubernio nouorum, ad prædictum Missionum munus, Seminariorum, ac ad istam Romanam Curiam accessu, & memoratarum facultatum Apostolica Confirmatione, legitimè obtinuisse, atque nostram dictarum Constitutionum, & facultatum à præfato Commissario Generali obtentarum, & erectionum, approbationem, affectu pleno desiderare: illam, & alias insuper gratias, ac directiones, quibus huiusmodi Sanctum, & laudabile ab Immortali Deo cæptum propositum, in dies, feruentiori animo ac medijs opportunioribus, ad ipsius Dei honorem, Fidei Catholicæ propagationem, populi Christiani instructionem, nostręque Obseruantiæ augmentum, omnium animarum salutem, prosequi valeas, Tibi, ac Socijs tuis, alijs Missionarijs, tam præsentibus, quàm futuris, sub forma sequenti duximus concedere, ac benigno fauore elargiri.

§. 20. Primò, vt prędicta Seminaria quantum, Domino auxiliante, possibi-

sibile fuerit, ad Ordinis primæuam Obseruantiam tendant, in eis, Regula, iuxta declarationes à Sanctissimo Domino nostro Innocentio XI. in suo motu proprio *Sollicitudo Pastoralis*, contentas, & innouatas, strictissimè obseruetur: sanctamque paupertatem, quam S. P. Noster Franciscus Dominam appellabat, studeant Missionarij, præ Mundi delitijs, in cunctis reuereri; suis enim Operarijs Vineæ Dominus prouidebit, si labori adeò proficuo vacantes, suum in ipso solo Domino cogitatum iactauerint.

§. 21. At quia Fratrũ Mendicantiũ numerus valdè creuit, & fideliũ pietas minus feruens, ob nostra forsan demerita, quàm in principio Religionis, ijs diebus sæpe sæpius reperitur: vsus illarum Apostolicarum Constitutionum, quæ nostræ paupertatis obseruantiam illæsam relinquunt, & aliquam Regulæ dispensationem non continent, omnibus Seminarijs, illorumque Fratribus licitus erit: qui enim Regulam seruauerint, sicut Summis Pontificibus eam dedit Dominus intelligere, & explicare, Euangelicæ vitę vacabunt, & locum inter verissimos Sancti Francisci filios, æternitate, ac gloria felicem possidebunt.

§. 22. Vsus tamen prædictus ijsdem Seminarijs, ac Fratribus interdicitur, nisi Statutis in dicto motu proprio, pro obseruantia relatis, & executioni mandari præceptis (quibus prędicti Seminarij, in rebus hic non expressis, vti teneantur) in omnibus sit conformis: Prælati autem, & Discreti, seù Religiosi, qui contra fecerint, pœnis in statutis taxatis indispensabiliter subiaceant.

§. 23. Omnesque Fratres tam subditi, quàm Superiores, dum in actuali exercitio Missionum intra, vel extra Seminaria permanserint, se ab eleemosynarum petitione, & à sponte oblatarum receptione, abstinere debeant; poterunt tamen pro quotidiano victu necessaria ostiatim quęrere, vel oblata recipere.

§. 24. Qui vti cibis, & potibus delicatis non præsumant; vel domos, in quibus prędicta eis apponuntur, adire non seligant; imò eos recordari volumus; quod Sanctus Pater Noster Franciscus, dum, ad manducandum cum Magnatibus & diuitibus inuitabatur, panis fragmenta, ostiatim quæsita secum portabat, & ibi apposita, delicatiora, vt pauper verè humilis, sumere nolebat.

§. 25. Statuta Ordinis, & Recollectorum, in quibus modus prouidendi necessitatibus Fratrum, tam in ægra, quàm in sana valetudine, præscribitur, quin ad id particulari peculio, vel specialibus eleemosynis aliquis Religiosus indigeat, in omnibus Seminarijs ad vnguem, & sub pœnis transgressoribus in illis impositis, obseruentur.

§. 26. Et ne Benefactorum deuotio alicuius particularis commodis applicetur, & Communitas aliqualiter fraudetur: nullo modo alicui Patri permittatur, apud Syndicum Apostolicum, aut alium amicum spiritualem, aliquam pecuniarum eleemosynam, cuiuscumque dominij sit, pro suis particularibus necessitatibus habere, nec alicui similiter liceat munuscula, quantumuis leuia dare, vel recipere, omniaque Prælato, & eius dispositioni subsint, ac sine eius licentia nihil detur, vel recipiatur in præfatis Seminarijs.

§. 27. Prædicti Conuentus in Seminaria erecti, & Seminaria fundanda (quoad regimen) nullius Prouinciæ sint, & Superiori Generali illarum partium, in quibus fuerint, immediatè subsint. At, quantum ad suffragia pro defunctis Fratribus, commercium Fraternale habeant cum illis Prouincijs, à quibus fuerunt separati, vel intra quarum limites perseuerent: ita, vt Cōuentus prædicti Fratres Officia, & Missas, iuxta Statuta Generalia, pro quolibet Fratre eiusdē Prouinciæ filio decedente, celebrent: & vicissim à singulis Conuentibus, & Fratribus Prouinciæ eadem celebrentur, pro quolibet Fratre prędicti Seminarij vbilibet moriente: ad cuius effectum Prouincialis omnium suæ Prouinciæ defunctorum notitiam, ad Guardianum transmittat, & Guardianus defunctorum sui Seminarij, ad Prouincialem.

§. 28. Cæterum, ne inter Missionarios, & Prouinciarum præfatarum Fratres, ac Superiores aliqua vnquam oriatur contentio, vel oppositio, (& vt quos eadem Mater spiritualiter genuit, & educauit, dispartitas muneris non separet; sed fraternalis amicitia, curialitas, ac mutua hospitalitas strictiùs coniungat) prædicto-

dictorum Seminariorum Superioribus strictè precipimus; vt quando Prouincialis illius Prouinciæ, in qua Seminarium fuerit, hospes ad illud accedat, eum, ac illius Familiam charitatiuè recipiant, & per spatium trium dierum omni cura, & reuerentia illi inseruire teneantur.

§. 29. Prædictus autem Prouincialis Minister eundem locum, & præcedentiam in Communitatibus Seminariorum habebit, quem habet in alijs suæ Prouinciæ Couentibus; poterit tamen aliquam collationem spiritualem Missionarijs, in Refectorio prædicare, ibique præsidere, & in aliquibus pœnitentijs, Seminarij Fratribus impositis, dispensare; nullam tamen aliam iurisdictionem ibi, aut respectu predictorum Fratrum, aliquando exercere audebit, nisi ad id delegationem aliquam à Superiore Generali recipiat, qui eam absolutam, & generalem nunquam præstare poterit, solumque in aliquibus casibus, & pro aliquibus singularibus indigentijs suam facultatem, pro vna, vel alia vice, prædicto Prouinciali; & conuenientiùs, ac cum minori litium periculo, alteri graui Religioso communicare valebit.

§. 30. Præfatorum autem Seminariorum Guardiani, illam præcedentiam in dictarum Prouinciarum Conuentibus habebunt, quæ Guardiano principalioris Conuentus cuiuslibet Prouinciæ, Statutorum, & consuetudinis vigore, concedi solet.

§. 31. Et tam Guardiani, quàm alij præfatorum Seminariorum Fratres, apud obseruantiæ Religiosos, si fuerint, sin autem, apud Recollectos, & ijs deficientibus apud Discalceatos, hospitium eligant, ipsique eos recipere, & charitatiuè tractare, sub pœnis vnionis Ordinis perturbatoribus impositis, indispensabiliter teneantur.

§. 32. Secundò, quod in præfatis Seminarijs tam erectis, quàm erigendis, triginta tres Religiosi de familia, & non ampliùs, admitti possint; horum autem quatuor sint Laici, reliqui verò ad exercitium Missionum sint idonei, itaut nullus in prefatis Seminarijs recipi valeat, qui Verbum Dei prædicando, vel Confessiones audiendo, aut doctrinam Christianam, & nostræ Fidei rudimenta docendo, finem erectionis præfatorum Seminariorum promouere non possit.

§. 33. Si autem pro victu, & vestitu eleemosinę non defuerint, & plures Religiosi, pro locorum, & temporum diuersis, ac nouis circumstantijs, necessarij censeantur: Superior Generalis respectiuè, de consensu, & assensu Discretorij, cuiuslibet Seminarij, numerum prædictum, tam Laicorum, quàm cæterorum Fratrum, augere poterit.

§. 34. Et quia prædictorum Fratrum laudabile ministerium, omnium virtutum cumulo, orationis, ac perfectionis omnimodæ progressu, & strictissimæ nostræ Regulæ obseruantiæ soliditate, nitescere non desistet; imò, Deo dante, eorundem Fratrum exercitijs (quorum scopus erit Animas Deo lucrifacere, industria, & sollicitudine, adulterinas plantationes diuellere, virtutes in messe Domini serere, vitia radicitùs extirpare, humanum genus ad cognitionis, & saluationis semitas reducere, ac Apostolorum, qui iam in Orbe non existunt, munus gerere) laudabiliùs, & perfectiùs in dies ostendetur; statutis à Sanctissimo Domino nostro Innocentio XI. in suo Breui, *Ecclesiæ Catholicæ*: incipiente, confirmatis, inhærendo: omnibus, ac singulis Prelatis, & Religiosis, sub obedientia nostra degentibus, etiamsi alicuius Prouinciæ Reformatæ, vel Discalceatæ sint, per sanctam Obedientiam, in virtute Spiritus Sancti, & sub pœnis excommunicationis maioris, priuationis Officiorum, & Dignitatum, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia obtinenda, ipso facto incurrendis, præcipimus, & mandamus, vt nullo modo directè, vel indirectè, per se, vel per interpositam personam, Religiosos sibi subditos, aut consubditos, volentes ad prædictum Sanctum opus transire, impediant, perturbent, aut auertant; sed eis potius diuinam inspirationem, ac vocationem sequi charitatiuè suadeant.

§. 35. Prædictorum autem Seminariorum Guardiani, de Consilio, & assensu Discretorum, & Commissarius Missionum, sub forma superiùs præscripta, suas litteras Prælato Locali Religiosi recepti directas, expedient; præfatus verò Prælatus ipsum, cum libris [proprij vsus, statim remittet, & postea prædictas lit-

litteras ad Ministrum Prouincialem transmittet, vt super subdito ad perfectiùs munus, & exercitium translato, gaudium sit in tota Prouincia.

§. 36. Primo anno sui in Seminarium ingressus, si aliàs in alio Seminario per idem tempus non permansisset, ad Missiones non deputetur, nec votum in electione Prælati habeat, sed quasi sub probatione maneat, vt de eius sufficientia meliùs constare valeat.

§. 37. Et si intrà annum, vel postea, de illius insufficientia constiterit, aut per aliquod vitium, seu crimen, vel per aliquod scandalū in exercitio Missionum datum, seù per excusationem, qua (sine legitima causa à Discretis approbanda) se à Missionibus, iuxta præscriptum Guardiani, vel Commissarij Missionum faciendis, excusauerit; aut per defectum in obseruatione præsentium Statutorum, & pacis Seminarij, ac decoris exercitij conseruatione, commissum: seù per aliquam vocationis mutabilitatem (qua tribus distinctis vicibus, in tribus distinctis Mensibus, aspiciat retro, & aratrum velle dimittere non erubescat; ac exitum à Seminario amplecti non abhorreat) consortio operariorum Vineæ Domini indignus efficiatur, de consensu maioris partis Discretorij, ad propriam Prouinciam remittetur, ibique à Superioribus, sub eisdem pęnis, sub quibus licentiari debuit, iterum recipiatur: & pænis in Statutis contra incorporatos in aliena Prouincia, & iterum redeuntes ad propriam, contentis, subiaceat.

§. 38. Et si Religiosus Hispanus fuerit, & à Seminario, in Indiarum partibus existente, expellatur, ei à Superiore Generali illarum partium aliqua Prouincia assignetur, in qua dictas pænas subeat, & vsque ad tempus, in quo iuxta Statuta Generalia Hispaniam venire possit, conseruetur; si autem habitum in Seminario recęperit, ibi omnibus prudentiæ conformibus medijs corrigatur, & si per quatnor annos incorrigibilis perseuerauerit, Superior Generalis admonitus à maiori parte Discretorij, illum in aliqua ex suis Prouincijs constituat, vt à pestifera contagione Euangelici Ministri, qui sal terræ, & lux Mundi, ac Ciuitates, supra montem positæ esse debent, prouidè liberentur.

§. 39. Guardianus; cum approbatione Discretorum per suffragia secreta, poterit Nouitios intra prædictum numerum recipere; recipiendi autem, vltra qualitates in Statutis Vltramontanæ Familiæ, & Indiarum, respectiuè præscriptas, tali scientia sint præditi, vt transacto statu Clericali, seù Choristatus, alicui exercitio ex illis, ad quę, vt præfertur, Seminaria eriguntur, tutò, & cum animarum profectu, vacare valeat; eique qualitas, & perfectio vitæ, quàm profiteri desiderat, à Magistro Nouitiorū ante habitus susceptionem extensè explicetur.

§. 40. Qui autem vigesimum ætatis annum non adimpleuerit, in prædictis Seminarijs Nouitius non admittatur, nisi aliud, pro hoc, vel illo recipiendo, sub ijs, vel illis circumstantijs, alicui ex Seminarijs tam erectis, quàm erigendis vtile, ac expediens à Superiore Generali respectiuè, de assensu maioris partis Discretorij, aliquando indicetur.

§. 41. Vlteriùs poterit Guardianus Fratres Laicos, de assensu Discretorum, ex quacunque Prouincia, sub forma in receptione aliorum Missionariorum seruanda, recipere, & tam subditi, quàm Superiores prædictarum Prouinciarum, sub eisdem pænis, teneantur eorum in Seminaria transitum non impedire: At Laici recipiendi, debent esse deuoti, probatæ Vitę, & omninò apti pro officijs, à Laicis in Seminario exercendis.

§. 42. Accedente consensu maioris partis Discretorum, tam Seminarij, à quo, quam Seminarij ad quod, Superior Generalis illarū partium, in quibus Seminaria fuerint, quoslibet Religiosos de vno ad aliud Seminariū mutare valeat: & quādo transitus fiat de Seminario in Hispaniæ partibus, ad Seminariū in Indijs existens, consensus Commissarij Generalis Indiarū in Curia Matritensi residentis, & Cōmissarij Missionū, qui pro tēpore Religiosos in Indias conducere curauerit, absque aliquo alio sufficiet: & nec Seminaria Hispaniæ, & Indiarum, nec eorum Guardiani, & Discreti determinationi à prædictis Missionum, & Indiarum Commissarijs, circa præfatos Fratres spontè in Indias transire eligentes, maturè factæ, se opponere, sub aliquo prætextu au-

 deant,

deant, sed eã statim executioni mandare omninò procurent.

§. 43. Missionarij, qui, decennio in exercitio Missionum laudabiliter completo, ad propriam Prouinciam redire voluerint, facultatem ad id à Seminarij Guardiano, & Testimonium ab eodem, & Discretis petant; ipsi autem nec facultatem, nec Testimonium negare poterunt: Et Prouincialis prædictæ Prouinciæ reuertentem recipere, sub memoratis pœnis, semper teneatur: eisdemque priuilegijs, antelationibus, & gratijs præfatus Missionarius, ex tunc, in propria Prouincia vti, ac gaudere poterit, quibus frueretur, si triennium Guardianatus, tempore sui ingressus, laudabiliter in dicta Prouincia finiret.

§. 44. Qui autem, ante decennium completum, vel sine testimonio, in quo Discretorium de zelo, & plausibili prædicti Missionarij in Missionibus progressu testetur, ad propriam Prouinciam venerit, pœnis expulsis, supra impositis, indispensabiliter subiaceat; nisi aliqua infirmitas incurabilis (propter quam à Seminarijs, quilibet ante dictum decennium, & non postea, etiamsi senectute laboret, expelli poterit) prædictæ expulsionis causa, vel occasio fuerit, quia in hoc casu nullus aliqua pœna dignus censeri debet.

§. 45. Si aliquando contigerit aliquem ex Missionarijs in Visitatorem, vel Reformatorem, aut Ministrum Prouincialem alicuius Prouinciæ eligi, eiusmodi electionem ratam haberi, & executioni mandari volumus, & decernimus; Electus tamen, postquam prædictum munus adimpleuerit, ad proprium Seminarium reuertatur; imò aliquid secum non ferat, quod Apostolicæ nuditati contrariari valeat.

§. 46. Et si à dicta Prouincia, vel ab aliquo Conuentu, aut ab aliquibus vtriusque sexus subditis, vel Superioribus aliqua munuscula, quæ coniunctim sumpta, quantitatem vnius scuti aurei pertingant, ante, vel post finem sui officij, recipere ausus fuerit, etiamsi sit sub prætextu deuotæ recordationis, vel pro indigentijs Seminarij, aut pro libris, imaginibus, reliquijs, seu rebus sacris, deuotionem fidelium, & sufficientiam, ac efficaciam Missionariorum solidare valentibus, ipso facto actibus legitimis remaneat per septennium priuatus.

§. 47. Eidemque pœnæ indispensabiliter subiaceat, si peracto officio, absque legitima causa à Sede Apostolica approbanda, domicilium, in prædicta Prouincia elegerit, aut si, intra quatuor menses, Seminarium prædictum versus, ab illa non egrediatur.

§. 48. Vltra numerum Religiosorum superiùs præscriptum, vnus poterit in quolibet Seminario admitti; qui progressum, ac fructus, & casus, seu euentus Missionum extraordinarios, Missionariorumque gesta, & exemplarem vitam, priuilegiorum statum, dubiorum in Missionibus occurrentium decisionem; doctrinarum securiùs amplectendarum, & prædicandarum compendia, libros, & summaria scribere, & seruatis seruandis, de licentia tamen Ordinarij, typis mandare studeat, ac valeat: ipseque *Scriptor Seminarij* appelletur, & exemptionibus, ac indultis à Discretorio Seminarij taxandis, pacificè perfruatur.

§. 50. Tertiò, quod electio Guardiani cuiuslibet Seminarij fiat à Superiore Generali illarum partium, in quibus Seminarium fuerit, siue ab eius speciali Commissario Delegato, ex tribus eiusdem Seminarij Patribus, per secreta Suffragia omnium Sacerdotum professorum Communitatis canonicè eligendis, & prædicto Commissario, præsentandis: Guardianus autem per triennium tantùm in officio durare poterit, & liberum erit Superiori Generali præfato, in dimidio triennij, ipsum ab officio absoluere, si ipsi constiterit Officio nõ satisfacere (habita informatione, pro Conscientia, sine strepitu iudiciali) sicut fit in toto, Ordine in Congregationibus intermedijs.

§. 51. Vnus Præses, seu Vicarius, qui simul Nouitiorum Magister sit, per vota noui Guardiani, & Discretorum, eligetur, ipseque, absente Guardiano, in Communitatibus præsideat.

§. 52. In quolibet Seminario sint quatuor Discreti, pro grauioribus eius negotijs tractandis, qui ante noui Guardiani electionem, ab eodem Communitatis corpore eligentur, ac nominari debent præsentandi in Guardianum: & statim.

timque à Superiore Generali supradicto confirmentur, habeantque in Communitate locum, & præcedentiam, quam Lectores primarij Theologiæ habent in proprijs Prouincijs, & in absentia cuiuslibet antiquior, & dignior Pater Seminarij, pro tempore absentiæ, substitutus declaratur.

§. 53. Discretorium cuiuslibet Seminarij, ex dictis quatuor Discretis, ac ex Patribus, qui in dicto Seminario Guardianatum, per Triennium completum, laudabiliter exercuerunt, ex Commissarijs habitualibus, & actuali Missionum, & Guardiano actuali componetur, ijque Suffragium habeat in omnibus negotijs, quæ Discretis, seu Discretorio Seminarij per hæc, & alia Ordinis statuta committuntur.

§. 54. Quando Suffragia pro vna, & altera parte fuerint æqualia, & publica; Guardianus decidat; quando fuerint secreta, admittatur Præses pro simili tantùm casu, vt sic, quod magis expediens sit charitatiuè, & sine strepitu, & recursibus resoluatur.

§. 54 Ad Missionum Commissarios, in Indiarum partibus existentes, spectabit Religiosum, de Consilio Discretorum trium suarum partium Seminariorum, destinare, qui ad Prouincias Hispaniç, quando necessitas vrgeat, accedat, & illos Religiosos, seruatis seruãdis, in illarum Seminarijs, si se spontè offerant, seligat, qui pro conuersionibus, & Seminariorum conseruatione, ab eisdem Discretorijs, & præfato Missionum Commissario necessarij censeantur.

§. 55. At nec Commissarij Missionum, nec Religiosi ab ipsis missi, aliquam Superioritatem habeant respectu illorum, qui in aliquo Seminario de Familia constituti fuerint, nisi in casibus, de quibus supra manet dispositum, & cum limitationibus ibi taxatis, ac Superioritate Guardianis Seminariorum hic concessa, præ omnibus illęsa remanente.

§. 56. Quandocumque Guardiani obitus, ante triennij finem contigerit, Præses seu Vicarius, vsque ad noui Guardiani electionem, Seminarium gubernabit; tenebitur tamen sub pœna priuationis sui Officij, ipso facto incurrenda, die tertia à morte Guardiani, Patres absentes conuocare, & post aduentum illorum, qui intra tempus viginti dierum venire poterunt, Communitatem pro præsentatione Superiori Generali, vt præfertur, facienda, congregare, & præsentatos statim ad Superiorem Generalem prædictum trasmittere.

§. 57. Ipseque vnum nominabit, qui similiter, per triennium duret, eademque duratione gaudebit, qui præcedente alterius renunciatione, vel priuatione, electus fuerit; Præsidis autem, & Discretorum Officium, ad id tempus, sine noua electione, in præfatis tribus mortis, priuationis, & renunciationis casibus, extenditur. In absentia Guardiani, & præsidis, antiquior Discretus, in communitatibus, & Seminarijs præsideat.

§. 58. Antiquitas autem inter Fratres Seminarij tam præsentes, quam futuros, secundum gradus, & præeminentias, iuxta Ordinis Statuta Generalia, hic præscripta excepta, computetur; qui autem nullam in proprijs Prouincijs, aut Seminario obtinuere, habitus antiquitatem seruent; qui autem Guardianatum per triennium laudabiliter exercuerint; Discretos illius Seminarij, non verò Commissarium Missionum, semper præcedant.

§. 59. Omnes indispensabiliter, per horam cum dimidia, vacent Orationi mentali, dimidia scilicet hora, post primam: (non verò ampliùs ob frequentes audiendas Confessiones, & similia exercitia matutina) hora autem integra post Completorium, vel alia fortasis opportuniori, pro temporum, & exercitiorum varietate.

§. 60. Horæ Canonicæ tempore; & pausa competenti, deuotè soluantur, sine cantu autem, vt plus temporis impendatur Studio. Dominicis verò diebus, Festis, & clasicis, cantus adhiberi poterit, vt fit apud Obseruantes: cuiusmodi Diuino Officio, Orationi mentali, & Missæ Conuentuali omnes assistant, nullo prorsus excepto: Cunctique Sacerdotes gradatim, ab ipso Guardiano inclusiuè, hebdomadarium agant.

§. 61. Singulis diebus habeant per duas horas lectiones, & conferentias: per vnam post Conuentualem Missam, de

de materia ad exercitium Missionum conducente, seu de intelligentia idiomatum, seu de Theologia mystica: per alteram, post Vesperas, de Theologia morali, & casibus conscientiæ; à Lectionibus autem ipsis nullus possit excusari; neque à reddenda ratione de materia Lectionis, si à Guardiano, vel alio ab ipso deputato, interrogetur,

§. 63. Cùm autem in audiendis Confessionibus, vel alijs vtilioribus exercitijs peragendis, Missionarij fuerint occupati, vel occupari indigeant, Lectio matutina à Guardiano, de Consilio Discretorum, abbreuiari, seu dispensari valeat.

§. 64. Missionarijs, dum in Seminario sunt, spiritualibus exercitijs, vel studio impendere debent totum tempus, quod Corporalibus superfluit indigentijs; si quis verò vanis, confabulationibus, aut curiositatibus deditus inueniatur, publica pœnitentia in Communitate puniatur; nec vlli concedatur licentia è domo exeundi, nisi aliquando, recreationis causa, per Campos, cum Socio expaciaturus sit, aut pro ineuitabili pertractando negotio, ad Ciuitatem, vel Oppidum egredi debeat, & idque raró fiat, vt quanto in Monastica solitudine, humani commercij contemptu, vigilantiores fuerint, eò ad reprehendendas Fidelium diuersiones aptiores reddantur.

§. 67. Communitas à Seminario non exeat, nisi rara, & grauissima de causa, vt, ad Exequias Religiosi alicuius nostri Ordinis, aut Syndici Apostolici, non autem ad sociandos alios defunctos, vel publicas processiones.

§. 68. Fœminarum colloquia, quantumuis breuissima, vbique euitentur, solumque ipsarum Confessiones, nullo alio intermisso colloquio, audire licebit. Nullo modo acceptentur Conciones Festiuæ in Seminario, solumque fiant, quæ occassione Missionum necessariæ censeantur; ad elemosynas autem petendas, omnes sine exceptione mittentur, itaut in omni seruitio Communitatis, omnes, etiam Guardianus, quantum fieri possit, sint pares.

§. 69. Quoad eleemosynas Prædicatorum, libros Defunctorum, & Bibliothecarum augmentum, & conseruationem, in omnibus Seminarijs, sicut & in omnibus alijs Conuentibus, nostræ obedientiæ subiectis, seruetur Breue: *Exponi nobis*: à Sanctissimo Domino nostro Innocentio XI. expeditum.

§. 70. Nulli seculari permittatur ingressus ad interiora Conuentus, sed in Claustro inferiori disponatur aliqua Camera honesta, & deuota, cum humilibus Sedibus, vbi Viri Seculares, quærentes aliquem ex Patribus, pro sua spirituali consolatione, excipiantur, & consolentur.

§. 71. Et, tam quoad ingressum, & moram, ac pernoctationem secularium, quàm quoad suppellectiliũ, & ornamentorum commodationem, seruentur in dictis Seminarijs, sicuti & in alijs dictæ Familiæ Vltramontanæ Conuentibus, decreta Sacræ Congregationis, auctoritate Apostolica confirmata, in dicta Familia obseruari præcepta.

§. 72. Omnes Seminarij Patres, sine aliqua inter ipsos notabili differentia, induant habitum exteriorem Obseruantium, in quo vilitas, & humilitas, ac Solus Cinericeus color, ex lana alba, & nigra non ex alia tinctura consurgens, semper resplendeat. Forma verò erit iuxta Reformationem, in vltima Congregatione Toletana factam, ad litteram obseruandam.

§. 73. Et in disciplinis, ieiunijs extra Regulam, Capitulis culparum, & alijs austeritatibus, cæterisque ad Regulæ, vitæ Monasticæ, & Regularis disciplinæ obseruationem, conducentibus, Constitutionibus Generalibus Ordinis se conforment.

§. 74. Guardianus, vel in eius absentia Præses, temporibus opportunis, aut quando necessarium iudicauerit, mittat Missionarios binos, & binos, aut in maiori numero, prout animarum necessitati viderint expedire: consignando eis, in partibus Fidelium, Oppida, Tractus, & Terras, in quibus singuli suas Missiones facere debent, de licentia tamen Ordinarij: relinquant tamen aliquos in Seminario, qui Communitatis exercitia expleant, & hi, alijs reuertentibus, mittantur.

§. 75. Nullus tamen eorum vltra spa-

ſpatium ſex menſium in præmiſſis fidelium terris, extra Seminarium, pro qualibet vice remaneat, & quilibet ſub pęna expulſionis à Seminario, poſtquam prędictum tempus inſumpſerit, à Miſſione ceſſare debeat, ad Seminariumque reuertatur, vt vires Spirituales, & Corporales in eo reaſſumat, ac recuperet, & alij id opus ab ipſo inceptum, & forſan non finitum, proſequendum deſtinari poterunt.

§. 76. Ad partes verò Infidelium ſolus Miſſionum Commiſſarius, ſi præſens fuerit, operarios neceſſarios, ſub forma ſuperiùs præſcripta, deſtinare valeat, eoque abſente, Guardianus, de conſenſu maioris partis Diſcretorij, idoneos Miniſtros ire cupientes, eodem modo, transmittere valebit.

§. 77. Prædicti Superiores Generales reſpectiuè, teneantur per ſe, vel per ſuum Commiſſarium, ad hoc ſpecialiter inſtitutum, in ſingulis triennijs pręfata Seminaria viſitare, & in ſingulis viſitationibus inquiratur ſigillatim de obſeruantia præmiſſarum omnium Conſtitutionum: & defectus, ſi qui fuerint, corrigantur, & iuxta eorum qualitates poſſit Superior ipſe Generalis procedere, ad expulſionem Miſſionariorum, & Guardiani priuationem; Delegatus autem ipſius poſſit tantùm Guardianum ſuſpendere, & adhibitis neceſſarijs correctionibus, Superiorem Generalem, de maiori remedio apponendo monere.

§. 78. Et quia ſperamus, quòd Dei aſpirante gratia, per hos ſui verbi Miniſtros, plures Gentilium populi ad Fidem ſint conuertendi, quorum Neophitos in accepta fide conſeruare, eiſque Sacramenta miniſtrare, neceſſarium eſt, ordinatur, vt in conuerſis populis aliqui ex præfatis Miſſionarijs, ad prædicta obeunda neceſſarij, remaneant, monito Guardiano Seminarij, & ab eo licentia obtenta, qui ſemper eiuſdem Guardiani Subditi remanebunt, & eius correctioni, vt ſupra ſubiecti; manentes autem in Oppidis conuerſis, non computabuntur in numero aſſignato Miſſionariorum Seminarij, ſed eorum loco alij in Seminario poſſint recipi.

§. 79. In cura autem animarum ſic conuerſarum ad Fidem, tàm diù ſolummodò poterunt remanere, quoad vſque Epiſcopo, ad quem Terra pertinet, vel impoſterum pertinebit, placuerit Presbyteros Seculares, quibus animarum curam committat, deſtinare. Quamdiù verò prædicti Miſſionarij in prædicta cura remanſerint, nihil ex titulo Curatorum, vel Doctrinarum poſſint accipere, ſed præcisè ex emendicatis eleemoſynis, vel vltrò oblatis, viuere debent.

§. 80. Poterunt tamen, ſtabilita noſtra Fide, & Curatis Secularibus inibimanentibus, in populis magnis, aut capacibus, de licentia Epiſcopi, & præfati Superioris Generalis, Conuentus noſtri Ordinis fundare, in quibus iuxta Regulam, & Statuta, ex eleemoſynis, ſub Regulari diſciplina, Fratres viuere poſſint: Et Conuentus illi Guardiano præfati Seminarij, ad quem pertineat viua illa conuerſio, & cuius ſollicitudine obtenta fuerit (vel Seminarij vicinioris, eligendi à Miſſionum Commiſſario, ſi conuerſio eius cura, ac diligentia promota, & adepta fuit) in omnibus, & per omnia, ſicut præfatum Seminarium, erunt ſubiecti, quouſque ex illis Cuſtodia poſſit formari, vel aliter in Capitulo Generali de illis prouideri: aut ex illis aliqui, vt licitum erit, in Miſſionariorum Seminaria, ſub his ſtatutis, erecti fuerint.

§. 81. Quoniam verò cura, & ſollicitudine Miſſionariorum, pertinentium ad prædicta Seminaria ſpiritualibus neceſſitatibus Regnorum Hiſpaniæ, (licèt non Indiarum) ſufficienter prouideri poterit; ne Sanctum Miſſionum opus, ex diſſimili Miſſionariorum modo procedendi, deturpetur; nullus noſtri Ordinis Fratrum, qui extra prædicta Seminaria viuat, Miſſionarij munus, quarumcumque litterarum à Nobis, vel Prædeceſſoribus noſtris, ac ab aliquo inferiore, vel in noſtro officio Succeſſore, conceſſarum, vel concedendarum, vigore, ſub aliquo quantumuis ſpecioſo colore, aut prætextu, in Hiſpaniæ partibus, à tempore, quo tria Seminaria in illis erecta fuerint, exercere valeat.

§. 82. In Prouincijs autem tàm Hiſpaniæ, quàm Indiarum, quæ non ha-

buerint Conuentum idoneum, & pro præfata erectione inconuenientibus insuperabilibus non expositum, fundatio noui Seminarij, requisitis seruatis seruandis, licita erit, arbitrioque Commissarij Missionum relinquitur, & à nullo nostri Ordinis Fratre, siue Subdito, siue Superiore, cuiuscumque Dignitatis sit, impediri poterit. Et qui secus fecerit, pœnis contra impedientes exercitium Missionis, & transitum Fratrum ad Seminaria, superiùs taxatis, ipso facto subiaceat.

§. 83. Si Seminaria præmissa in prædictis Hispaniæ, & Indiarum partibus erecta, ac erigenda, aliquando relaxentur, & à perfectione, & laudabili fine, ad quem instituuntur, notabiliter defecerint, vel Statuta hic contenta, & alia, quæ præsentibus non sunt contraria, & pro alijs Seminarijs iam erectis à Sede Apostolica, vt præfertur, approbata reperiuntur, non obseruauerint, seu nouum gubernium, & aliquam ab Obseruantia separationem, à Sede Apostolica, aut à Superioribus Ordinis petierint, vel per se, aut interpositam personam obtinere curauerint, vel sponte oblatam, cum effectu admiserint, Seminaria eisdem Prouincijs, à quibus Conuentus, pro illorum erectione, sumpti fuerint, iterum incorporentur, & Ministri Prouincialis Regimini, sicut cæteri eiusdem Prouinciæ Conuentus, indispensabiliter subijciantur: Siquidem sub his tantùm conditionibus, & ordinationibus, quas vim illius indissolubilis obligationis, & contractus, qui inter Fratres Missionarios, & Fratres Prouinciarum, & Superiores Seminariorum, & Superiores Obseruantiæ esse possit, habere volumus, & non sub aliqua alia consideratione, præsentem Seminariorum erectionem permittimus, laudamus, & approbamus, ac ab omnibus, ad quos spectat, sub pænis præmissis, admitti præcipimus.

§. 84. Quartò, & quia Nos non latet quamplurima absurda, ex nimia opinandi, sub priuilegiorum prætextu, ac operandi licentia, quotidie oriri posse, quæ scandala, & relaxationes suscitare valent, omnibus Nostri Ordinis Missionarijs, ac alijs sub nostra directione, seu obedientia degentibus personis, in Domino suademus, & mandamus, vt doctrinas tutiores, & probabiliores semper doceant, & amplectantur.

§. 85. Vt autem, quod temporalibus proficit spatijs, spiritualibus quoque amplificetur dictarum Missionum augmentis, & ne perpetua firmitate careat, quod sola nostra authoritate decernitur, præsentiū tenore, nostro huius Curię Cōmissario Generali paternam benedictionem, & facultatem concedimus, ad hoc vt tanquam Ordinis nostri honorabile negotium præsens amplectatur: & earum rerum, quę in his litteris continentur, confirmationem, ac perpetuam validitatem à Sancta Sede Apostolica petat, & sollicitare non desistat.

§. 86. Qua obtenta, omnia Seminaria tam erecta, quàm erigenda, iuxta nostras litteras gubernari teneantur. Et si aliquod dubium, circa aliquam illarum clausulam, aliquando oriatur, Superior Generalis illarum partium respectiuè, non verò aliquis Delegatus, de consilio, & assensu tamen maioris partis Discretorij alicuius Seminarij, tempore visitationis & non alio, nec aliter, valeat prouidere, donec Sancta Sedes consulatur, seu Sacra Congregatio Propagandæ Fidei; nunquam tamen in aliquo, absque Sedis Apostolicæ authoritate, dispensare poterit.

§. 87. Et tam dictis Missionum Commissarijs, quàm omnibus alijs personis, quæ ad harum erectionum stabilimentum, & Missionum præfatarum promotionem, auxilium dederint, Seraphici Patris Nostri Francisci benedictionem impartimur: Et si Seculares fuerint, vltra dictam benedictionem, eos ad participationem omnium indulgentiarum, & operum spiritualium, quæ ipsis cōmunicare valemus, ex nunc, pro tunc, admittimus, & pro semper admissos esse, & fore declaramus. Datum Romæ, ex nostro Conuentu Sanctæ Marię de Araceli, die Septima Aprilis millesimo sexcentissimo octuagesimo sexto. Frater Petrus Marinus Minister Generalis. Loco + Sigilli. De mandato Suæ Reuerendissimæ Paternitatis, Frater Ioseph à Leone, Secretarius Generalis Ordinis. *Præsens transumptum concordat*

*cum*

*cum suo Originali de verbo ad verbum. In quorum Fidem, &c. Romæ hac die 23. Aprilis 1688. Frater Michael Tonerus Secretarius Generalis Curiæ.*

§. 83. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicta Statuta absque Sedis Apostolicæ approbatione, & defectuum supplemento, ac contrariorum, quibus eisdem Sedis accessit authoritas, legitima derogatione, subsistere non valeant: Nobis propterea tam Franciscus, Commissarius Generalis Curiæ, quàm Antonius, Missionum Præfectus præfati, humiliter supplicari fecerunt, vt in præmissis opportunè prouidere, & vt infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur ...

§. 89. Nos igitur, ipsos Franciscum, & Antonium specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à Iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, Congregationis negotijs Propagandæ Fidei præpositæ, super hoc negotio specialiter deputatorum, consilio, Collegia, seu Seminaria, pro educandis Fratribus dicti Ordinis ad Missiones iam erecta, tam in Conuentu Sanctæ Crucis de Queretero, Prouinciæ de Mechoacam, quàm in alijs Hispaniæ Prouincijs, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus.

§. 90. Ac facultatem erigendi alia Collegia, seu Seminaria huiusmodi, vnum scilicet, vel duo, in qualibet ex Prouincijs Ordinis præfati, quæ in Ditionibus dicti Caroli Regis, tam apud Hispaniam, quàm apud Philippinas, Mexicanas, Peruanas, & cæteras Occidentales Indias, ipsi Carolo Regi subiectas, consistunt, eidem Ordini, de Ecclesia Dei, & Sancta Sede Apostolica benemerito, auctoritate, & tenore præfatis, benignè concedimus.

§. 91. Confirmando supplementum consensuum, per dictum Petrum Marinum, Ministrum Generalem, vt exponitur, factum; & interdicendo Superioribus Generalibus illarum partium, sub pœnis in præinsertis litteris contentis, & alijs arbitrio dictæ Congregationis Cardinalium reseruatis, ne vltra quatuor menses à requisitione, per Religiosos ad id facultatem habentes facta, seu facienda, computandos, dictas erectiones protrahere, seu suspendere possint; salua semper in omnibus supra relatis auctoritate eiusdem Congregationis Cardinalium, ad formam Constitutionis fel. record. Gregorij Papæ XV prædecessoris nostri.

§. 92. Propterea Statuta præinserta pro dictis Collegijs, seu Seminarijs tam erectis, quàm erigendis, ac eorum Fratribus, & Superioribus à præfato Petro Marino, Ministro Generali, vt præfertur, condita, dicta auctoritate harum serie confirmamus pariter, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, salua tamen semper memoratæ Congregationis Cardinalium auctoritate ea augendi, seu moderandi, quatenus opus fuerit, & magis in Domino expedire videbitur; ac quoscumque Iuris, & facti defectus, quoad Collegia præfata iam erecta supplemus.

§. 93. Decernentes easdem præsentes, ac præinsertas Parentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respectiuè inuiolabiliter obseruari. Sicque in præmissis, per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Prouinciarum, & Ordinis præfatorum, alijsque quibusuis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; priuilegijs quoque, Indultis, & litteris Apo-

Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè,& sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes,illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialitèr, & expresè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque; Volumus autem, vt earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, munitis, eadem prorsus fides vbique locorum,tam in Iudicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem,sub Annulo Piscatoris, die 16. Octobris 1686. Pontificatus nostri anno vndecimo.

I.G.Card. Slusius.

# DISTINCTIO XII.

*Decorantur Missionarij Noua Missionis Facultatibus Ordinis à Sancta Sede solemniter approbatis.*

## §. I.

OBtentis die 2. Aprilis,& 7. Maij 1686. approbationibus noui Instituti Missionariorum ( quod die septima Aprilis, sub præinsertis statutis, iuxta præscriptum Congregationis particularis efformatis, Minister Generalis stabilierat ) precedenti Distinct. relatis: die 11. eiusdem mensis Maij, expeditæ sunt ab eodem Ministro Generali Ordinis aliæ litteræ, cum Facultatibus Instituto præfato cohærentibus. Harum confirmatio ex eo à Sac. Congregatione de Propaganda Fide postulata non est, quia oppositio facta Matriti, contra expostulata à præmemorata Sac. Congregatione præsertim procedebat. Zelus tamen. fælic. record. Innocentij XI. precibus, & informatione verbali Patris Diaz excitatus, eam voluit impertiri, seru[illegible] præuia examinis forma, quam lic[illegible]bit, [illegible] spicere in eiusdem Pontificis [illegible] quentis tenoris: videlicet.

## Innocentius Papa XI.

*Ad futuram rei memoriam.*

§.1. ECclesiæ Catholicæ per vniversum terrarum Orbem diffusæ regimini, meritis licèt imparibus, diuina dispositione Præsidentes, ea quę à Superioribus Regularibus ad Christianæ Religionis, Fideique Catholicæ propagationem, rectamque Fidelium in Sacra Doctrina, & moribus Christianis institutionem, ac etiam Religiosorum Ministrorum in Seminarijs, ad eum finem institutis, & instituendis, pro tempore degentium, fęlicem directionem, piè prudenterque decreta, atque ordinata esse noscuntur, & firma semper, atque inuiolata persistant Apostolici muniminis pręsidio, cum id à Nobis petitur, libenter corroboramus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius, Franciscus Diaz à Sancto Bonauentura, Charissimi in Christo filij nostri Caroli, Hispaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus, ac pro Vltramontana Familia Fratrum Minorum, Ordinis S. Francisci de Obseruantia nuncupatorum, in Romana Curia Commissarius Generalis, quòd dilectus etiam filius, Petrus Marinus Sormanus, Minister Generalis dicti Ordinis per suas Patentes litteras, dilecto pariter filio, Antonio Linaz, Missionū eiusdē Ordinis in Indijs Occidentalibus Præfecto, directas, diuersa Decreta, & ordinationes edidit, prout continetur in eisdem Patentibus litteris, tenoris, qui sequitur, videlicet. Frater Petrus Marinus Sormanus à Mediolano, Lector Iubilatus, Sanctæ Inquisitionis Qualificator, Ex-Guardianus Hierosolymitanus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, & Seruus &c. Dilectissimo

ſimo Nobis in Chriſto Patri Fratri Antonio Linaz, Miſſionum noſtri Ordinis in Indijs Occidentalibus auctoritate Apoſtolica Præfecto, ſalutem in Domino ſempiternam.

§. 2. Cum memoria retineamus, Beatum Franciſcum, inclytum noſtri Ordinis Fundatorem, diuina reuelatione cognouiſſe, ſe, & ſuos, pro aliorum ſalute vocatos fuiſſe, iuxta illud, quod ei Eccleſia accinit, *S. Franciſcus quid faciat inſtructus, non ſibi ſoli viuere, ſed alijs proficere, vult Dei zelo ductus*. Ac inſuper, cum attenta mente cogitemus, quod ipſe Seraphicus Parens, anno à ſua conuerſione vndecimo, multis cum periculis, iter, vt Soldani præſentiam adiret, feruenter aggreſſus fuit, & quinque obſeruantiſſimos Fratres ad Miramolinum deſtinauit, vt ipſe Orientis, illi Occidentis populis ſalubre Chriſti prædicantes Euangelium, mundum quaſi totum, ad ſanctam Fidem conuerterent. In qua ſollicitudine Ordo noſter; vt ex quamplurimis Summorum Pontificum Diplomatibus apparet, per Obſeruantes Miſſionarios à ſuis primordijs ad vſque præſens tempus, mirabiliter effulſit.

§. 3. Prædicti muneris in Seraphica noſtra Religione conſeruationi, ac præfati exercitij Miſſionum laudabili incremento conſulere deſiderantes, conſultationibus neceſſarijs præhabitis, maturè decreuimus tibi præcipere, prout tenore præſentium, cum merito ſalutaris obedientię præcipimus, vt tanquam Commiſſarius, ad infraſcripta delegatus, per Prouincias in Vltramontanis Regnorum, ac Inſularum Hiſpaniæ partibus, noſtræ obedientiæ ſubiectas, ſedulò circumeas, Sanctumque Miſſionum miniſterium in Ciuitatibus, Locis, & Caſtellis tibi benè viſis, de conſenſu Ordinariorum exerceas.

§ 4. Ac Religioſos, quos in pręfatis Prouincijs ad Sacrum Miſſionum exercitium, & conſeruationem idoneos reperetis, ad illud amplectendum exhortari, monereque cures, & eos, qui, diuina inſpirante gratia, ſpontè in partes Indiarum ire voluerint, charitatiuè recipias, ac ad præfatum laudabile munus, noſtri nomine deſtinandos; ſollicites.

§. 5. Eiſdemque per tuas litteras, vnum ex Seminarijs, ſeu Collegijs in Hiſpanię, ac Indiarũ partibus erectis, & erigendis, iuxta Statuta à Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio XI. die 7. Maij 1686. approbata, aſſignare poteris; ipſique in illud, ad morandum, ſtatim proficiſci teneantur.

§. 6. Et ne in tàm ſancto opere meritum obedientiæ deſit, omnibus, qui, vt præfertur, ſe ſpontè obtulerint, & ſub forma præfata, ad aliquod ex Seminarijs prædictis fuerint deſtinati, ad meritum obedientiæ præcipimus; vt præfatum iter, & opus, exemplo Diſcipulorum Chriſti Domini, iuxta prędictorum Statutorum præſcriptum, deuotè exequantur, pro certo ſperantes, quod ſicut in labore eos imitati fuerint, ità & in præmio eis ſociabuntur.

§. 7. Per eamdemque Obedientiam, ac ſub pœnis in memoratis Statutis, à Sancta Sede approbatis, contentis, omnibus noſtri Ordinis Fratribus, cuiuſcumque Gradus, Conditionis, & Reformationis ſint, præcipimus, vt ſub nullo prætextu, ſpecie, aut colore, ac ſub nulla forma, dictos Fratres à te, vt præfertur, ſelectos, & admiſſos, detineant, retrahant, ſeù impediant; ſed potiùs ſtatim licentient, & in Seminaria abire permittant.

§ 8. Pro quo, tam euntibus, quàm permittentibus, ſuadentibus, aut cooperantibus, Sancti Patris Noſtri benedictionem libentiſſimè ex nunc, pro tunc impartimur.

§. 9. Tuam tamen conſcientiam oneramus, ad hoc vt ſollicitam curam adhibeas, nè Religioſi incapaces, parum idonei, vel in moribus apud ſuas Prouincias malè audientes, ad tam ſanctũ opus aſſumantur; ſic enim animarum ſaluti conſuletur, & fidelibus, ac infidelibus ſcandalorum occaſio non ſubminiſtrabitur.

§. 10. Et ne præfati Fratres à te ſelecti, dum tecum in itinere, ac extra Collegia Miſſionariorum, in exercitio Miſſionum morati fuerint, abſque Paſtore remaneant, tibi præcipimus, vt eis præſis, illiſque per obedientiam iniungimus, vt tibi tanquam ſuo vero, ac legitimo Prælato Delegato, in omnibus, & per omnia, ac eo modo, quo Nobis obtemperarent, ſi pręſentes eſſemus, pareant, & obediant.

§. 11. Præterea tibi facultatem transmittendi in proprias Prouincias Religiosos illos iam receptos, & in aliquo Collegio nondum incorporatos, quos inhabiles, vel minus idoneos ad Missionum munus peragendum, recognoueris, & recipiendi alios loco illorum, præmemoratis Statutis inhærendo, & eorum obseruantiam commendando, plenariè impartimur.

§. 12. Et si aliquis è Socijs tuis, vel è Missionarijs, Missionum exercitio vacantibus, in infirmitatem extra Collegium ceciderit, ac in aliquo ex Conuentibus nostræ obedientiæ subiectis, demorari contigerit, prædicti Conuentus Superior, ac cæteri Religiosi illum, vsque ad perfectam valetudinem curare, & ei, iuxta Regulam, inseruire, omninò sint adstricti.

§. 13. Insuper tibi permittimus, quòd, si propter magnam distantiam, aut aliquam aliam causam ad aliquas, ex prælibatis Vltramontanis, & Indianis Prouincijs personaliter ire non potueris, authoritatem ad omnia illa peragenda, quæ immediatè faceres, si personaliter adesses, alicui, vel aliquibus è socijs tuis, aut alteri è Nostri Ordinis Missionarijs, cùm Superioritate, & facultatibus, tibi in præsentibus litteris concessis, in omnibus, & per omnia subdelegare, ac communicare valeas: Ille autem, vel illi, alteri subdelegare nullatenus poterunt.

§. 14. Quò verò ad Facultates, volumus, & tenore præsentium concedimus, quod Tu, & Fratres prædicti, qui ad præfatam subdelegationem, in præmemoratis Hispaniæ, & Indiarum Prouincijs, assumpti fuerint, eadem absoluendi, dispensandi, commutandi &c. Auctoritate, & facultate, super Fratres, Moniales, & Sæculares in foro conscientiæ gaudeant, qua Minister Generalis, si ibi esset, vti, ac frui valeret.

§. 15. Vtque prædictæ authoritates, & facultates effectu non careant: omnibus, ac singulis vtriusque sexus personis, in præfatis Prouincijs obedientiæ nostræ subiectis, cuiuscumque gradus, dignitatis, ac Superioritatis sint, per Sanctam Obedientiam, ac sub pœna maioris excommunicationis, ipso facto incurrenda, necnon priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, per triennium, præcipimus, & mandamus, vt te, ac socios tuos, sub forma prædicta subdelegatos, tuis desiderijs cooperantes in suis locis, Conuentibus, Cappellis, Oratorijs, & Ecclesijs, quoties pro priuata, secreta, ac Fraternali collatione: vel pro publica à vobis facienda prædicatione, confessionibusque de licentia Ordinariorum, audiendis, à quolibet Vestrum requisitę fuerint, benignè, & charitatiuè, ac sine vlla repugnantia recipiant.

§. 16. Et si pro alicuius Monialis infirmæ, seu in articulo mortis constitutę, Sacramentali solatio, aut ad moriendum in Domino religiosa assistentia, in aliquod Monasterium ingredi necessarium fuerit, supradicta iurisdictio spiritualis, etiam pro his casibus concessa, ac præstita intelligatur.

§. 17. Quando verò ad aliquod, ex Missionariorum Seminarijs, seu Collegijs, in Indiarum, & Vltramontanæ Familiæ partibus, hucusque erectis, & imposterum erigendis, seu fundandis, accesseris: ac dum in illo cum socijs præfatis moratus fueris, seu ipsi socij subdelegati inibi separatam moram trahant, sola authoritate, & facultatibus, ad sacramentale forum spectantibus, Vos frui posse decernimus, & omni alia iurisdictione alterius Prælaturæ titulo non obtenta; spoliatos declaramus.

§. 18. Ex hoc tamen effectum litterarum Patentium, & Commissionum, quas antea dederis, non suspendimus, imo illum sortiri peroptamus, & sub pœnis prędictis strictè præcipimus.

§. 19. Tibi, ac socijs tuis, cæterisque subdelegatis simul iniungentes, vt licèt de Familia dicti Collegij non sitis, illius Guardiano, iuxta præscriptum prędictorum Statutorum à Sancta Sede, vt præfertur, approbatorum, in omnibus, quæ ad hospites, & moratores respectiuè spectare dignoscuntur, inuiolabiliter pareatis, & obediatis.

§. 20. Idque ipsum in alijs Ordinis Conuentibus in signum reuerentiæ faciatis, quando in damnum exercitij Missionum non vergat, seu cum illo incompatibile non fuerit.

§. 21. Cęterum quando è Seminario, seu Collegio, in quo de Familia,

seu

seu hospes fueris, exire decreueris; Socios, ac Missionarios, quos ad præfatum Missionum munus in illis partibus Infidelium; in quas eos necessarios iudicaueris, & magis idoneos credideris (spontanea illorum voluntate, ad id requisita, præcedente) de Consilio Discretorij Seminarij prædicti seligere, ac tecum ferre, licitè valebis.

§. 22. Si autem Guardianus, cum maiori parte Discretorij, tibi, quoad hoc contradixerint, Superiorem Generalem, sub cuius iurisdictione præfatum Seminarium fuerit, certiorem facies.

§. 23. Ac habito illius consensu, & non aliter (nisi priùs, ad id, legitimam obtinuisses delegationem) Guardianus, & Discreti tuis votis acquiescere teneantur; etenim nulla ratio suadet, quod ille, qui Commissarius Missionum fuerit, electionem operariorum, iuxta locorum & terrarum Infidelium necessitatem, facere non possit.

§. 24. Post præfatum exitum verò, & quando per prædictas Hispaniæ, & Indiarum Prouincias de nouo circumeas, vel quoties, vt supradictum est, alios Fratres ad quærendum alios Missionarios, seu aliqua Collegia Missionum erigenda, mittas, aut personaliter eas, te, & dictos Fratres memorata Superioritate, & Facultatibus supradictis vti, ac frui posse, sancimus, & declaramus.

§. 25. Eisdemque Vos, & omnes alios nostri Ordinis Concionatores, ac Confessarios, in præfatis Missionum Collegijs, tam erectis, quàm erigendis, incorporatos, gaudere debere decernimus, dum Sancto Missionum operi, ac laudabili muneri ipsos, in terris tam fidelium, quàm infidelium vacare, seu in præfatis Collegijs applicatos esse, contigerit.

§. 26. Nullusque memoratorum Collegiorum Guardianus, sub aliquo prætextu, tuum exitum è Conuentu, seu Collegio, aut egressum è loco, in quo Collegium fuerit, impedire præsumat, nec Socium gratum, à te, tenore præsentium, eligendum, & quoties opportunum fuerit, mutandũ, in alijs exercitijs occupare audeat, sed statim ac ab ipso benedictionem petas, te cum prædicto Socio licentiare teneatur, vt sic tuum munus, tam in Terris fidelium, quàm infidelium, & in omni euentu, ac necessitate faciliùs, & conuenientiùs exequi valeas: Si enim Fratres, qui Terræ Sanctæ, ac quæstuationi, pro illa, applicati sunt, hac independentia à Superioribus locorum fruuntur; illa potiori iure Commissarius Missionum, infidelium conuersioni, ac animarum lucro, totis viribus deditus, frui, potiri, ac gaudere debet.

§. 27. Prętereà, vt meliùs infidelium conuersioni, & omnium animarum saluti salubriùs in prædictis Vltramontanæ Familiæ, & Indiarum Prouincijs, pro nunc, & imposterum prouideatur, volumus, & tenore præsentium sancimus, vt in qualibet ex dictis Prouincijs, vbi aliquod Seminarium, seu Collegium Missionariorum nostri Ordinis, authoritate Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, non fuerit erectum, seu approbatum, nec erigi, aut fundari permittatur in futurum, vnus ex Conuentibus, iam fundatis in Collegium, & Seminarium, pro Missionarijs nostri Ordinis educandis, erigatur.

§. 28. Ac eo modo, & sub illa forma dicta Collegia in dictis Prouincijs iam erecta, & imposterum erigenda, gubernari (quoad omnia, quæ dictæ Sacræ Congregationis auctoritatem non respiciunt,) semper teneantur, sub qua, in Statutis prædictis, à Sanctitate Domini Nostri, præfata die septima Maij approbatis, regi, ac gubernari præcepimus.

§. 29. Prædicti autem Conuentus, ad tam laudabilem finem destinandi, de numero Recollectorũ esse possint, & debeant, si aliqua ineluctabilis ratio aliud non suadeat, quòd iudicio, & arbitrio Superiorum Generalium illarum partium, qui de præsenti sunt, & pro tempore fuerint, committere censuimus.

§. 30. Eisdem sub S. P. N. Francisci indignatione, & pœnis à Nostro Eminentissimo Protectore, & eius Successoribus, pro suo arbitrio infligendis, simul præcipientes, vt quando à Te, vel ab alio Religioso, à te destinato, requisiti fuerint, Conuentum ad dictam Missionariorum educationem, in qualibet Prouincia assignent, & vltra quatuor menses, à die requisitionis numerandos, di-

dictam assignationem protrahere, seu suspendere non præsumant, nec audeant.

§. 31. Et si secus fecerint, illius S. P. N. Francisci sententiæ memores sint, in qua suæ, & totius Cælestis Curiæ maledictionis pœnam illis imponit, qui confundunt, ac destruunt, quod Altissimus per Sanctos Fratres huius Ordinis ædificauit, & ædificare non cessat.

§. 32. Te autem in Domino exhortamur, vt per te ipsum, aliosque ad id idoneos Missionarios, seu probos, ac Sanctitate morum pollentes Religiosos, à te sobriè eligendos, præfatis erectionibus, tam in Hispania; quàm Indiarum omnium, Regi Catholico subiectarum, partibus, ardenter inuigiles, illarumque executioni, promotioni, & stabilimento sedulò vaces, atque Deo, & Ordini nostro, in opere adeò Sancto, inseruire nunquam cesses.

§. 33. Ad quod te, & Socios tuos, ac omnes alios Religiosos à te destinandos, qui prælibatis erectionibus operam spontè dederint, Superioribus Generalibus, & particularibus illarum Prouinciarum, in quibus memoratæ erectiones faciendæ sint, enixè commendamus.

§. 34. Earundemque Prouinciarum consensum, quatenus opus sit, vestigijs nostri Prędecessoris inhærentes, (qui illum pro erectionibus tempore sui Generalatus factis, & dispositis suppleuit) per præsentes, pro nunc, & imposterum, authoritate Ministri Generalis, qua fungimur, iuridicè, ac legitimè supplemus, & ab illis peti, & expectari non debere declaramus.

§. 35. Insuperque, te, ac dictos Fratres Principibus Christianis, præcipuè Regi Catholico, eiusdemque Maiestatis Consiliarijs, submissè, ac reuerenter commendamus.

§. 36. Sperantes, quòd in Tribunali tantæ pietatis nihil vtilius, ac magis expediens credetur, quàm hoc opus inceptum, ad finem, Regia protectione, perducere: Vt tot benè instructis, ac educatis operarijs existentibus, aditus, & ingressus in Indiarum, aliarumque Infidelium partes illis tantùm cōferatur; & quærentibus, quæ sua sunt (quod Deus auertat) & non Iesu Christi, omninò denegetur.

§. 37. Postquam verò septem Seminaria, sub forma prædicta, erecta fuerint, ac Missionibus in Hispaniæ Prouincijs applicata reperiantur, harum vigore sancimus, quod transitus in Indiarum Missiones, omnibus Religiosis Prouinciarum Hispaniæ, qui priùs per duos annos, vel aliud spatium à nostro Indiarum Commissario Generali, Matriti existente, assignandum, augendum, vel minuendum, in aliquo ex prædictis Seminarijs, seù Collegijs suæ Religiositatis, idoneitatis, ac vocationis testimonium, & indicia non dederint (accedente consensu, & placitis necessarijs) omninò interdicatur.

§. 38. Hac enim prouidentia, Prouinciarum in Indijs existentium reformationi, si illa indigent, consuletur, & fidelium tam in illis, quàm in Hispaniæ partibus ædificationi: Infidelium conuersioni: omnium animarum saluti, & nostræ Regulę Obseruantiæ puriori; ac totius Ecclesiæ decori, maximoperè inseruietur: & tot Seminariorum numerus, in Hispaniæ Prouincijs, superfluus aut sine fine Deo gratissimo, non reputabitur.

§. 39. Cæterum, quia tui Corporis vires ad adeò immensum laborem non sufficiunt, ideò præsentium tenore decernimus, quod te cum P. F. Francisco Salmerone, Seminarij de Sabagun Erectore, ac zelantissimo per totam Hispaniam Missionario Concionatore, fraternaliter coniungas, teque, atque Prętatum P. Salmeronem Commissarios nostros Delegatos, ad dictarum erectionum effectum consequendum, cum omnimoda independentia vnius, in dimidia parte Prouinciarum Hispaniæ ab alio, in altera dimidia (iuxta repartitionem inter vos priùs concordandam) instituimus, & pronunciamus.

§. 40. Ac vobis, & Socijs vestris, alijsque probis Religiosis, qui de consensu vestro, prædictis erectionibus operam dare voluerint, earum curam, & sollicitudinem enixè commendamus.

§. 41. Et ne prædictus P. Salmeron, eiusque Socij, ac alij Fratres, qui eum in opere adeò Sancto sequi voluerint, debita authoritate, facultatibus, superioritateque necessaria, careant, eos om-

omnibus Gratijs, facultatibus, superioritatibus, & priuilegijs respectiuè tibi, Socijsque tuis, ac alijs te sequi eligentibus, tenore præsentium concessis, æquè ac pariformiter, respectiuè tamen, vti, & frui posse, ac debere volumus, & declaramus.

§. 42. Tibi autem, in Indiarum Occidentalium rebus, ac necessitatibus experto, facultatem facimus, vt ex Concionatoribus Missionarijs, in Prouincijs Peruanis existentibus, vnum, qui tibi magis idoneus appareat, nomine nostro eligas, qui in præfatis Prouincijs, Commissario Generali illarum partium subiectis, prædictis erectionibus inuigilet, & ibi Commissarius Missionum sit, & appelletur.

S. 43. Aliumque, ex existentibus in Prouincijs nouæ Hispaniæ, ac Philippinarum, ad eundem effectum, & cum eodem titulo, pro illis partibus (dum ad illas non perueneris) nominare poteris, & si necesse fuerit, quod distinctus ad Prouincias Philippinas destinetur, alium pro ipsis destinare valebis.

S. 44. Prædicti autem Missionum Commissatij à te eligendi, eadem authoritate, & superioritate, & similibus facultatibus, tam pro erectionibus, quàm pro exercendis Missionibus, & quærendis ad illas Religiosis, potiri, ac frui poterunt, quibus tu harum tenore vti, frui, ac potiri vales.

§. 45. Quæ tibi, pro eisdem partibus etiam deseruient, & nunquam, nisi per Apostolicam Sedem aliud fuerit determinatum, sub vllo prætextu finientur.

§. 46. Eademque duratione præfata authoritas, superioritas, & facultates P. Francisco Salmeroni concessæ, durabunt, nisi etiam aliter, per eandem Sanctam Sedem fuerit stabilitum.

S. 47. Vnicuique autem vestrum præcipimus, vt tam pro Seminarijs erectis, ac erigendis, quàm pro exercitio Missionum in Indiarum partibus augendo, idoneos tantū Religiosos admittatis, & quando in easdem partes transire Vobis opportunum visum fuerit, illuc, tenore præsentium, vos conferre poteritis.

S. 48. Te verò, vel præfato P. Salmerone decedente, aut vno, vel altero in Indias transeunte, & dum Commissarij Missionum, quos in Indiarum Regnis, & Prouincijs, vt præfertur, elegeris, prædictum munus per septemnium exercuerint, alij vestri, & illorum loco à Superioribus Generalibus illarum partium respectiuè, qui pro tempore fuerint, eligantur.

S. 49. In eorum tamen electione illa forma seruari debeat, quæ pro electione cuiuslibet Guardiani Seminariorum stabilitur. Vtque æqualitas honoris, à præfato Commissariatu prouenientis, omnibus Seminarijs impartiatur, primus Commissarius pro qualibet Prouinciarum parte, cui vnum supra concessimus, à Seminario in illa parte primo erecto assumetur.

S. 50. Secundus, à secundo, & sic de reliquis, vsque ad vltimum; qui ordo iterū incipiendo semper seruetur, nisi aliud, Superiori Generali Prouinciarum illius partis, de assensu maioris partis Guardianorum Collegiorum dicti Commissariatus, magis expediens, pro prosperiori Missionum augmento, visum fuerit.

S. 51. Vnde cuilibet Collegio, seu Seminario vnus Commissarius, per septemnium integrum duraturus, concedi debebit, etiamsi primo electus, è vita migret, aut (seruata eadem forma, quæ pro depositione, & priuatione Guardianorum in Seminarijs obseruetur, & non aliter) Officio priuetur, siue ex alio capite inhabilis reddatur, aut ad munus incompatibile, quale erit Guardianatus, & Prouincialatus officium, aliquando assumatur.

S 52. In ijs enim casibus, alius eiusdem Seminarij Missionarius Concionator, iuxta primæ electionis formam, ad Missionum Commissariatum promoueatur.

S. 53. Commissarij prædicti, in omnibus suis Commissariatus Collegijs primum locum habeant, post Guardianum, & dum intra Claustra cuiuslibet fuerint, eorum Discreti, per tempus sui Commissariatus (vltra nominatos in Collegiorum Statutis, vt præfertur, approbatis) legitimè erunt.

S. 54. Nunquam tamen Titulum

Generalem vsurpent, aut Commissarij Generales Missionum appellari valeant; nec minùs vlla iurisdictione, authoritate, aut facultate, vltra id, quod eis supra concessum manet, vti, aut gaudere præsumant, aut gubernium Regulare Collegiorum perturbare audeant.

§. 55. Ad solosque Guardianos spectabit Nouitios recipere, Fratres ad prædicandum, & audiendas sæcularium confessiones, locorum Ordinarijs præsentare, & numerum Missionariorum, aliorumque Fratrum (seruatis, iuxta statuta, seruandis) augere, vel minuere, quæ omnia à dictis Guardianis fiant, quin forma, in dictis Statutis, à Sancta Sede approbatis, aliqualiter violetur.

§. 56. Prædicatorum verò, ac Confessariorum, tam Fratrum, quàm Monialium, & Secularium prima institutio, nec non Clericorum, seu Choristarum ad Ordines recipiendos destinatio, ad solos Superiores Generales illarum partium, in quibus Seminaria fuerint, spectabit.

§. 57. Ipsi autem nullum instituant, promoueant, seu destinent, nisi habito priùs consilio, & assensu (in scriptis post exactum examen, & non aliter conferendo) maioris partis Discretorij illius Seminarij, in quo moram trahat examinandus.

§. 58. At præfato consensu interueniente, Superior Generalis suas litteras statim expedire tenebitur, ne Seminaria, ob eius culpabilem moram, operarijs necessarijs priuata remaneant, seu conseruentur.

§. 59. Si aliquando contingat, quod aliquis Religiosus, qui officio Diffinitoris Generalis, Commissarij Generalis Curiæ, Procuratoris Generalis Ordinis, Commissarij Generalis Familiæ, Ministri Generalis, seu Vicarij, aut Vice Commissarij Generalis, functus fuerit, ad aliquod, ex dictis Seminarijs, seu Collegijs transeat, & ibi Missionum exercitio vacare desideret, statim à Guardiano, & discretis recipiatur.

§. 60. Cæterùm, ne propria Prouincia, aut Vltramontana Familia, seu totus Ordo, Viris in gubernio adeò expertis, omninò priuetur, dictus Pater, etiamsi in Collegio, seu Seminario de Familia viuat, suffragia, subrogationes, præeminentias, & priuilegia sibi, tam in Prouincia propria, quam in Familia Vltramontana, & Ordine toto, iuxta statuta, debita, non amittat: illisque eo modo ibi frui poterit, ac si à propria Prouincia non exiuisset: sic enim Missionum exercitium Viris magnæ authoritatis, & experientiæ honorabitur, quin aliquod detrimentum, in eorum defectu, seu separatione, Religio patiatur.

§. 61. Et quia dum decori primi Ordinis S. P. N. Francisci, ac solatio, & spiritalibus indigentijs secundi, per præsentes litteras consulimus; Tertij Ordinis de Pænitentia, eidem Sancto Fundatori valde amabilis, obliuisci non debemus: vt præfatus de Pęnitentia Venerabilis Ordo à S. P. N. Francisco pro Personis vtriusque sexus, in seculo viuentibus, institutus, & à fel. rec. Clemente Septimo, ac Paulo Tertio in tres status sub vna, eademque Tertij Ordinis appellatione, atque eorumdem priuilegiorum, gratiarum, concessionum, indulgentiarum, & fauorum communicatione, ac solum sub diuersis statutis, secundum cuiuslibet status exigentiam, diuisus, magis in dies augeatur, & illi Sancti, qui, vt ab eodem Paulo Tertio in suo Breui trium statuum: *Cum à nobis*, incipiente, refertur, pro Sanctis dicti Ordinis recensentur, sequacibus in Indiarum, & totius Orbis Christiani partibus non careant; ac vt exemplo personarum, sub Regula præfati Ordinis viuentium, fidelium mores reformentur; virtute Constitutionum Apostolicarum, à Sanctitate Alexandri Septimi in quibusdam litteris *Exponi nobis*, incipientibus, die 28. Iulij 1657. datis, approbatarum (quas prædictus Pontifex, vna cum Ordinis statutis obseruari præcepit) prædictos Missionum Commissarios, & Seminariorum Guardianos, ac alios Missionarios, ab ipsis destinandos, augmenti dicti Ordinis Sollicitatores instituimus.

§. 62. Eisque recipiendi fideles ad hunc Ordinem Tertium, illiusque professionem, & exactissimam Regulæ, iuxta præmissa Statuta, ac Ordinis Constitutiones,

nes, in speculo Seraphico contentas, & explicatas, sequelam, & obseruantiam, omnimodam facultatem impartimur.

§. 63. Ipseque vtriusque sexus Personæ, ad statum sibi in dicto Ordine Tertio correspondentem, sub forma præmissa admissæ, cunctis gratijs, & indulgentijs, ac concessionibus dicto Ordini Tertio à Sancta Sede, vt præfertur, factis, & elargitis, æque frui poterunt, ac illis Personæ aliæ dicti Ordinis vti, ac potiri valent, & consueuerunt.

§. 64. Vlteriùs, tam ipsius Tertij Ordinis, quam alijs vtriusque sexus nostræ obedientiæ, seu directioni subiectis Personis, intra, & extra Seminaria præfata degentibus, in Domino suademus, vt Viæ Crucis gressus, & deuotam illorum gressuum meditationem, more solito frequentent.

§. 65. Atque ante, vel post cuiuslibet meditationis morulam, consuetę Sanctissimi Sacramenti Stationis Orationes recitent, vt indulgentias, quæ à Sancta Sede reuocatæ non fuerint, media hac diligentiarum commutatione, iuxta Summorum Pontificium concessiones, securè lucrari valeant, & possint.

§. 66. Postremo omnibus Missionum Commissarijs, ac Collegiorum Fratribus tam subditis, quàm Superioribus, strictè iniungimus, vt in omnibus se Dei Ministros, Discipulorum Domini sectatores, Obseruantiæ Sanctæ alumnos, Sanctorum Ordinis imitatores, & S. P.N. Francisci eximij ardoris filios, perenniter ostẽdant, & vsui pauperrimo rerum indispensabiliter mancipent. Vtque illorum librorum vsu sint contenti, quos secum in Missiones portare necessarium, & ineuitabile iudicauerint.

§. 67. Si autem alios à Benefactoribus receperint, eos Bibliothecis Collegiorum statim donent, imò ad hunc tantùm finem donationem prædictam acceptare poterunt.

§. 68. Et si contingat, quòd opera alicuius Missionarij, Benefactorum eleemosynis, typis dentur: Religiosus, qui eas (vt licet) medio Syndico, & de licentia Superiorum, pro hac necessitate determinata præstanda, perceperit, & impressionis indigentijs applicauerit, neutiquam sibi exemplarium repartitionem, & librorum donationem reseruet; sed id de illis fiat, quod Discretorio Collegij vtilius, & religiosiùs apparuerit, semper tamen benefactores, & amici spirituales præferantur, qui digni ab Authore, seù sollicitatore impressionis declarati fuerint.

§. 69. Et ne præsentes litteræ, ac maturæ determinationes, ob aliquos, siue authoritatis ad decernendum in perpetuum, siue alterius rationis defectus, necessaria firmitate careant, earundem tenore, facultatem procurandi, tam apud Eminentissimum Dominum nostrum Protectorem, quàm apud Sanctam Sedem, necessarias confirmationes, & roborationes opportunas, ac perpetuam manutentionem, P. Francisco Diaz à Sancto Bonauentura, huius Curiæ Commissario Generali, plenariè impartimur.

§. 70. Ipseque dictarum erectionum promotionem, & Missionum negotia, in hac Curia tractanda, cum facultatibus necessarijs, committimus: & licentiam, ad postulandas, in Sacra Congregatione de Propaganda Fide, Missionum, pro memoratis Commissarijs, Pręfecturas, & omnia illa agenda, quæ pro tam sancto opere perficiendo, necessaria fuerint, libenter concedimus, & elargimur.

§. 71. Harumque litterarum obseruantiam omnibus, ad quos spectat, cum salutaris obedientiæ merito, commendamus, & ipsis S. P. N Francisci benedictionem benignè impartimur. Ex hoc nostro Aracælitano Conuentu die 11. Maij 1686. Frater Petrus Marinus Minister Generalis. Loco ✠. Sigilli. De mandato Suæ Reuerendissimæ Paternitatis. Frater Ioseph à Leone, Secretarius Generalis Ordinis. Reg. Tit. Prouinciæ.

§. 72. Et subinde Venerabilis Frater Noster Alderanus, Episcopus Portuen. S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupat. Ordinis præfati apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, dictas patentes litteras, earumque præinsertam dispositionem approbauit, & confirmauit, per suum Decretum, tenoris sequentis, videlicet.

§. 73. Alderanus, Episcopus Portuensis; S.R.E. Cardinalis Cybo, Seraphici Ordinis S. Francisci apud Sanctam Se-

Sedem Protector &c. Retroscriptas litteras Patentes Patris Ministri Generalis,earumque præinsertam dispositionem, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, suumque effectum sortiri præcipimus, & mandamus,sub pœnis in Statutis Generalibus contra Rebelles præscriptis. Romæ 13. Maij 1686. A. Card. Cybo Protect. Loco ✠. Sigilli Io: Baptistà Rusca &c.

§. 74. Cùm autem,sicut eadem expositio subiungebat,præfatus Franciscus, Commissarius Generalis Curiæ præmissa, quo firmiùs subsistant, & seruentur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos,ipsius Francisci, Commissarij Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus,benignè annuentes, eumque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine,Nobis super hoc humiliter porrectis,inclinati, præinsertas præfati Petri Marini,Ministri Generalis Patentes litteras, à memorato Alderano, Episcopo, Cardinale, & Protectore approbatas, & confirmatas, vt præfertur, cum omnibus,& singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica,tenore præsentium confirmamus pariter. & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos, Iuris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint,supplemus.

§. 75. Decernentes, easdem præsentes, & præinsertas Patentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectiuè inuiolabiliter obseruari; sicque in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus,& Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, eiusque Prouinciarum, ac Conuentuum quorumcumque etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat,specialiter, & expresè derogamus, ceterisque contrarijs quibuscumque.Volumus autem, vt earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis,manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides vbique locorum tam in iudicio, quàm extra illud habeatur, quę haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitę, vel ostensę. Datum Romę apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris,die 28. Iunij 1686. Pontificatus Nostri Anno Decimo. I.G. Cardinalis Slusius.

§. 76. Breuia superiùs transcripta, emanata, tam pro instituto nouo Collegiorum Missionum, quàm pro Facultatibus Missionariorum, adeò onerosa non sunt Prouincijs Hispaniæ, ac fuerunt, & essent, si loco eorum obseruanda forent Indulta, & Mandata olim expedita, de quibus sumus locuti *Distinct.5 §.7.9.& 18.Nec non distinct.7 §. 25.* In vtroque autem maximè facienda venit connexio Collegiorum Prouinciarum Hispaniæ, cum alijs erectis, & erigendis in Indijs, necnon inter se inuicem;pro qua in primo hæc verba vidimus apposita. [Accedente consensu maioris partis Discretorum, tam Seminarij à quo, quam Seminarij ad quod, Superior Generalis illarum partium, in quibus Seminaria fuerint, quoslibet Religiosos de vno ad aliud Seminarium mutare valeat: & quando transitus fiat de Seminario in Hispaniæ partibus,

ad

ad Seminarium in Indijs existens, consensus Commissarij Generalis Indiarum, in Curia Matritensi residentis, & Commissarij Missionum, qui pro tempore Religiosos in Indias conducere curauerit, absque aliquo alio sufficiet: & nec Seminaria Hispaniæ, & Indiarum, nec eorum Guardiani, & Discreti determinationi à prædictis Missionum, & Indiarum Commissarijs, circa præfatos Fratres, spontè in Indias transire eligentes maturè factas, se opponere, sub aliquo prætextu audeant, sed ea statim executioni mandare omninò procurent. ]

§. 77. In secundo verò ità habetur: [Insuperque te (*id est Commissarium Missionum*) ac dictos Fratres Principibus Christianis, præcipuè Regi Catholico, eiusdemque Maiestatis Consiliarijs, submissè, ac reuerenter commendamus. Sperantes, quod in Tribunali tantæ pietatis nihil vtiliùs, ac magis expediens credetur, quàm hoc opus inceptum ad finem, Regia protectione, perducere; vt tot benè instructis, ac educatis operarijs existentibus, aditus, & ingressus in Indiarum, aliarumque Infidelium partes, illis tantùm conferatur: & quærentibus, quæ sua sunt (quod Deus auertat) & non Iesu Christi, omninò denegetur. Postquam verò septem Seminaria sub forma prædicta, erecta fuerint, ac Missionibus in Hispaniæ Prouincijs applicata reperiantur, harum vigore sancimus, quòd transitus in Indiarum Missiones, omnibus Religiosis Prouinciarum Hispaniæ, qui priùs, per duos annos, vel aliud spatium à nostro Indiarum Commissario Generali, Matriti existente, assignandum, augendum, vel minuendum, in aliquo ex prædictis Seminarijs, seu Collegijs suæ Religiositatis, idoneitatis, ac vocationis Testimonium, & indicia non dederint (accedente consensu, & placitis necessarijs) omninò interdicatur. Hac enim prouidentia, Prouinciarum in Indijs existentium reformationi, si illa indigent, consuletur, & fidelium tam in illis, quàm in Hispaniæ partibus ædificationi; Infidelium conuersioni: Omnium animarum saluti: & nostræ Regulæ Obseruantiæ puriori: ac totius Ecclesiæ decori, maximopere inseruietur, & tot Seminariorum numerus, in Hispaniæ Prouincijs superfluus, aut sine Deo gratissimo non reputabitur. ]

§. 78. Nec Breuia præmemorata, dum facultatem recipiendi ad Ordinem, ex Regulæ præscripto Prouincialibus primario competentem, ad alios extendunt, quicquam statuunt, quòd non fuerit etiam concessum vetustioribus Indiarum, & aliarum partium Infidelium, Missionarijs, per priuilegia antiqua, in litteris Leonis X. & Adriani VI. de quibus egimus supra, *Distinct. 4. à §. 9.* consultò renouata. Et quamuis non defuerint, qui ægre tulerint independentiam eorundem Collegiorum, quo ad electiones, & Gubernium, à Diffinitorijs Prouinciarum, quia tamen aderant iam quamplura exemplaria (Apostolica auctoritate, & Ordinis laudabili praxi roborata) aliorum Collegiorum, ac Monasteriorum, simili independentia fruentium; & satis nota erant præiudicia Apostolico muneri imminentia, si illud amplexuri, deberent Capitulis, & Congregationibus interesse, & exindè suspictione ambitionis, & periculis partialitatum, vel æmulationum maculari, ideò à cunctis viris cordatæ mentis laudata sunt, ex hoc præsertim capite, huiusmodi Breuia: aliunde cohærentia alijs litteris Apostolicis, quarum mentio facta est, *Distinct. 9. à §. 22.* vbi memoratur modus transeundi à Prouincijs, ad Collegia, quem Sancta Sedes iam à duobus sæculis, pro alio Instituto Cętus Seraphici, semel, & iterum approbauit.

§. 79. Quibus omnibus à P. Diaz verbo, & scripto Patribus Ordinis efficacissimè expositis, Breuia ipsa in Capitulo Generali Romano anni 1688. recepta, & acceptata conspiciuntur, per Decretum huius tenoris. *Vt ex laudabili Missionum exercitio, & multiplicatione Collegiorum, seu Seminariorum, pro Missionariorum institutione, decus non mediocre nostræ Religioni accrescat, animarumque saluti, & Orthodoxæ Fidei augmento, quotidie magis consulatur, Breuia pro dicto munere, & dictorum Collegiorum gubernio, die 28. Iunij 1686. & 16. Octobris eiusdem anni, à præmemorata Sanctitate Domini nostri Innocentij XI. concessa, executioni mandari sancimus. Committentes insimul Reuerendissimo P. Ministro Generali, & dictarum Missionum Procuratori, vt Sacram Congregationem de*

*Propaganda Fide instantissimè deprecentur, quatenùs dignetur vsum dictorum Breuium, iuxta restrictiones, additamenta, & declarationes in Diffinitorio Generali præscripta, limitare.* Ac proinde P. Minister Generalis, Reuerendissimus Fr. Marcus de Zarzosa ab Vrbe discedens, limitationem hanc, per P. Diaz, Procuratorem iam dictum, quàmcitiùs obtinere curauit. Pro qua ab eadem Sacra Congregatione fuit expeditum sequens Decretum.

§. 80. Decretum Sacræ Congregationis Generalis de Propaganda Fide, habitæ sub die 16. Nouembris 1688.

§. 81. Sacra Congregatio, attenta instantia Ministri Generalis Ordinis Sancti Francisci petentis, circa Statuta ab eadem Congregatione pro Missionarijs partium Vltramontanarum, & Indiarum Occidentalium, necnon pro eorum Collegijs, seu Seminarijs, in Dominijs Regis Catholici, ac Prouincijs præfati Ordinis iam erectis, & in posterum erigendis approbata, sub die 2. Aprilis 1686. aliquam fieri moderationem, seu declarationem; eadem Sacra Congregatio re iterum maturè discussa, pro maiori Prouinciarum pace; Missionariorum quiete, & ampliori in suo exercitio profectu, sanciuit, & decreuit, prout sequitur.

§. 28. Primò, quod Prouinciæ Nouæ Hispaniæ, vltra Conuentū de Queretero, non teneantur nisi alium Conuentum formatum præstare, vt in Collegium, seu Seminarium Missionariorum erigi possit; loco tamen Conuentus ipsis debeant concedere aliquas Doctrinas, seu loca Regularia, in quibus duodecim Fratres non adsint, & id præcipuè fiat in Terris, nouis Conuersionibus viciniorıbus, sub pænis in præfatis Statutis præscriptis rebellibus, ac cōtradictoribus infligēdis. Secūdò, quod Prouinciæ Peruanæ alios duos Conuentus formatos, ad hoc idem munus, destinare teneantur, in reliquis verò, id tantùm obseruent, quòd pro Prouincijs Nouę Hispaniæ sancitum est Tertiò, quod Seminaria, seu Collegia iā erecta, quàm erigenda, nuncupentur Collegia illius Prouinciæ, intra cuius limites existant, ac sint fundata, & cum ea commercium spirituale tam pro viuis, quàm pro Defunctis habeant. Et ne membra alterius Prouinciæ separata, aut independentia vnquam censeantur, Superiores Generales tam Indiarum, quàm Vltramontanæ Familiæ suam facultatem (quo ad ea, quæ ad ipsos spectant) Ministris Prouincialibus earundem Prouinciarum, & non aliàs, delegare teneantur, nisi vrgens ratio, aut grauis causa aliter aliquando suadeat; quia tunc expedit, vt Superior, quod iustum sit, decernere debeat.

§. 83. Quartò, præcipit eadē Sacra Congregatio, quod destinentur eleemosinarij idonei, Laici, seu Tertiarij in quolibet Seminario, vt Missionarij nunquam à suo munere, ob aliquam quæstuationem diuerti possint, & quod nunquam de Seminario recreationis gratia egrediantur, nisi in Communitate, & quando P. Guardiano, & discretis expediens visum fuerit.

§. 84. Quintò, quòd per duas integras horas qualibet die vacent Orationi Mentali, diuidendas prout Discretorium cuiuslibet Seminarij, iuxta circumstantias, & occupationes locorum, magis consonum iudicauerit; & nisi aliquando, iusta de causa, dimidia hora in aliud opus pium cōmutare, ei visū fuerit. Sextò, quod Superior Generalis, cum Discretorio cuiuslibet Collegij id, quod ad maius bonum ipsius, & optimum regimen Missionariorum conducat, & in præfatis Statutis non sit præscriptum, per Constitutiones Municipales decernat, ac stabiliat, cum debita tamen semper dependentia ab hac Sacra Congregatione; & si aliquid pro leuamine aliquorum Fratrum à Choro, & alijs assistentijs, tam intra, quàm extra Seminaria perficiendis, statuere opportunum fuerit, id Superior Generalis cum Discretorio prędicto præscribere teneatur, illæsam tamen semper relinquendo Communitatis strictissimam in omnibus rigiditatē, & obseruantiā. Septimò, quòd deffinita pro ex Diffinitoribus Generalibus, & alijs Patribus Ordinis, qui in præfatis Seminarijs Missionarij fuerint, sancita etiam intelligantur pro omnibus Patribus Prouinciarum, qui iure subrogandi in eis fruuntur; ac pro Lectoribus Iubilatis, votum perpetuum habentibus, qui alicuius Collegij, seu Seminarij Scriptores fuerint.

§. 85.

§. 85. Vt autem præmissa inuiolabiliter ab omnibus, ad quos spectant, obseruentur, districtè præcipit, & mandat, sub pœnis, in memoratis Statutis præscriptis, pro rebellibus, ac contradictoribus, quibuscumque Constitutionibus Apostolicis non obstantibus, &c. Datum Romæ 16. Nouembris 1688. P. Cardinalis de Alterijs Præfectus. O. Archiepiscopus Seleuciæ Secretarius, &c.

# DISTINCTIO XIII.

*Præscribitur modus Obseruandus à Missionarijs, etiam Conuersis, seu Oblatis nuncupatis, Nouæ huius Missionis, in instructione Animarum, quoad præcipua fundamenta Religionis Christianæ.*

## §. I.

CElebris Synodus Prouincialis Limana, à Sancta Sede comprobata, in cuius laudem nonnulla diximus, *Distinct.* 8. *à* §. 33. Sacris inhærendo Canonibus, & Conciliorum Generalium Decretis, *Action.* 2. *cap.* 4. circa ea, quæ scire tenentur Fideles in Indijs commorantes, ità decreuit. [ Cum Diuino præcepto omnes Christiani adulti teneantur, pro suo captu, scire, quæ ad Religionis Christianę, quam profitentur, substantiam pertinent: Qualia sunt mysteria fidei præcipua, quæ continentur in Symbolo, Mādata Decalogi omnibus seruanda, Sacramēta quoq; ea, quæ necessariò cuiq; suscipiēda sunt. Tū demū quæ à Deo petere, & expectare debemus, iuxta Dominicæ Orationis institutionem, sedulò in ijs erudiendi sunt à Pastoribus, & Ministris, omnes, maximè rudiores Indi, Aethiopes, pueri, pro cuius ingenio, & opportunitate, ne grauissimo morbo ignorantiæ ( vt fit passim ) periclitentur. Omninò autem curandum est, vt quicumque neque ætate, neque valetudine impediuntur, memoriter discant elementa Christiana, maximè Symbolum fidei, Orationem Dominicam, præcepta Decalogi, Sacramenta Ecclesię. Id yt fiat antiquorum Canonum statuta sequens, præcipit strictè Sancta Synodus, vt nullus adultus ad Sacramentum Baptismi admittatur, qui non priùs saltem Symbolum, & Orationem Dominicam memoriter reddiderit. Idemque in Sacramentis Pœnitentiæ, & Confirmationis conferendis omninò seruetur, excepto, vel necessitatis articulo, vel nimiæ senectutis, aut ægritudinis, siue etiam profundæ alicuius hebetudinis impedimēto, quòd Parrochorum, seu Confessariorum iudicio, & cōscientiæ relinquatur. Qui verò ijs tantis impedimentis grauati fuerint, vt copiosiorem Catechesim non admittant, doceantur demùm pro suo modo præcipua fidei capita, scilicet, vnum esse Deum, omnium rerum Authorem, qui accedentes ad se, vita æterna remuneret, improbos, & rebelles æternis supplicijs in alio sæculo puniat. Deinde hunc ipsum Deum esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, tres quidem Personas, sed vnum Deum Verum, pręter quem, nullus alius sit verus Deus. Nam quæ adorant aliæ gentes, præter Christianam, non esse Deos, sed Dęmones potiùs, aut figmenta hominum. Prætereà Filium Dei propter reparandam salutem hominum, factum hominem ex Virgine Maria, pro Nobis passum, & mortuum, ac tandem resurrexisse, & regnare in æternum. Hunc esse Iesum Christum Dominum, ac Saluatorem nostrum. Postremò neminem posse esse saluum, nisi credat in Iesum Christum, & pænitens de peccatis commissis Sa-

Sacramenta ipsius suscipiat. Baptismatis quidem, si Infidelis est, Confessionis autem, si lapsus post Baptismum: Denique statuat ea seruare, quæ Deus, & Ecclesia Sancta præcipiunt. Quorum summa est, vt Deum diligat super omnia, & proximum sicut seipsum. Intelligant igitur Dei Sacerdotes, nisi in fide, vt opportet, instructos baptizent, vel à peccatis absoluant, se & grandi Sacrilegio commaculare, & animarum reos apud districtum Dei iudicium reddere.]

§. 2. Et inferiùs *cap. 6.* [Christianæ instructionis, aut Catechismi scopus præcipuus est fidei perceptio, corde enim credimus ad iustitiam, quod ore confitemur ad salutem. Quamobrem ita quisque instruendus est, vt intelligat, Hispanus Hispanicè, Indus Indicè, alioquin quantumuis bene dicat, mens illius, iuxta sententiam Apostoli, sine fructu est. Quo circa nullus Indorum de cætero compellatur, orationes siue Catechesim latinè discere, cum sufficiat, multoque melius sit suo idiomate pronuntiare, aut si qui ipsorum velint, possunt etiam Hispanicum, quo multi iam vtuntur, adiungere. Præter hæc aliquam aliam linguam ab Indis exigere, superfluum est.]

§. 3. Præmissa omnia à Missionarijs nostræ Missionis (etiam Conuersis, seu Oblatis, ad instar antiquorum, quorum meminimus in præcedentibus Distinctionibus) piè, ac deuotè præstentur, etiam extra Indiarum Regiones, ad adimplendam sui muneris, ac Instituti partem, quoad sanctionem *Distinct. 11. §. 32.* relatam, *vt nullus in præfatis Seminarijs recipi valeat, qui verbum Dei prædicando, vel Confessiones audiendo, aut Doctrinam Christianam, & nostræ Fidei rudimenta, docendo, finem erectionis præfatorum Seminariorum promouere non possit.* Ad hunc effectum, ex Catechismis approbatis, tam per Beatum Pium V. quàm per Sixtum V. in præmemorata Synodo Limana, & Paulum V. extracta est norma, seu formula breuis docendi Sanctæ Fidei rudimenta, à cunctis Ordinis Seraphici Religiosis in huiusmodi exercitio, ad maiorem vniformitatem, vbique obseruanda, & tenenda: cuius tenor, per viam exhortationis familiaris, & spiritualis congestus, est, prout sequitur, videlicet.

§. 4. Attentè me audi (*Frater charissime*) breuiter tibi dicturum, quid te, vt salueris, expediat scire. In primis vellem, quod animaduerteres, te esse hominem, & quòd homo est creatura composita ex corpore, quod moritur, & ex anima, quę nunquam morietur, quia Deus illam creauit ad Imaginem, & similitudinem suam, vt duret in sempiternum. Idemque Deus, ac Dominus hominem fecit, vt ipsum videat, eoque in Cœlo fruatur: ac non minus reliqua omnia fecit, vt illis, ad assequendam illam vitam beatam, homo iuuetur. Hanc tamen beatitudinem illi soli homines assequentur, qui boni sunt, & Deo placent; malis autem, & Deo non seruientibus parata sunt tormenta, & pœnæ in futuro sæculo, quas morientes in mortali, seu graui culpa luent in inferno, sine fine.

§. 5. Vndè maius hominis bonum erit, Deum cognoscere, eiusque gratiam, & amicitiam acquirere, & ipsi in hac vita adhærere, ac illius præsentia in altera vita frui. Percipere etiam debes, quòd primi Parentes Adamus, & Eua, à quibus nos omnes originem trahimus, inobedientes fuerunt Deo, in re graui, & propter eorum peccatum omnes homines eramus exclusi (Christo, & Maria exceptis) ab ingressu in Cælestem beatitudinem. Cæterùm Deus Pater, qui homines ad hunc finem creauerat, & eos, ad eundem valde dilexit, Filium suum vnigenitum in hunc mundum visibilem misit, in quo, Spiritus Sancti virtute, carnem humanam in ventre Mariæ Virginis sumpsit, & manendo semper Deus, factus est verus homo, qui vocatur Iesus Christus; hic mortem Crucis propria sua voluntate patiens, nos à reatu peccati primorum Parentum liberauit, & cunctos, qui Baptismum, ab eo institutum susceperint, ac Fidem mysterijs supradictis præbuerint, & præceptis legis gratiæ, ab ipso promulgatæ, vsq; ad finè vitæ obtéperauerint, saluos, ac Regni Celestis participes, & hæredes effecit.

§. 6. Scire debes præterea, quòd vt placeamus Deo, & simus perfecti Christiani, ac salui fiamus, oportet credere in Iesum Christum, Filium Dei, ac Redemptorem nostrum, ipsiusque Sanctum no-

nomen coram omnibus gentibus confiteri, cunctaque Fidei mysteria fideliter amplecti, & legem eius cum spe firma in ipsum obseruare, ac tantum Dominum, & Redemptorem ex toto corde, ex tota mente, & ex omnibus animæ viribus, super omnia diligere. Mysteria autem Fidei, quæ firmiter credere debes, in hac breui symboli fidei explicatione, quam memoriæ poteris mandare, collecta inuenies.

§. 7. Prima symboli clausula, à Sancto Petro prolata, est: *Credo in Deum, Patrem Omnipotentem, Creatorem Cæli, & terræ*: per quæ verba oportet intelligere, quòd Deus sit vnus solus, & est supra totum sine æquali ac tam magnæ essentię, bonitatis, sapientię, & potentiæ, quòd nec sit, nec cogitari valeat res maior, aut melior, nec quæ illi æquari possit. Oportet etiam intelligere, quòd semper fuit, & semper erit, sine principio, & sine fine, estque in Cœlo, & in terra, ac in omni loco, scitque totum quantum est, & quantum esse valet, & sola sua voluntate facit, ac facere potest quicquid vult, & in æternum factibile erit. Innuitur non minus, quòd sit Pater, quia Filium habet, qui pariter Deus verus est, eo quod ille Deus omnipotens est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, qui sunt tres Personæ distinctæ, & vnus Deus verus solus, nulla etenim harum Personarum est alia, & ipsarum vnaquæque est Deus, & omnes tres sunt idem Deus, eademque Essentia, Potentia, & Diuinitas, quin sit vna illarum maior, aut minor altera, nec distinctæ voluntates, aut diuersi intellectus.

§. 8. Ostenditur denique per illa verba, quòd Cœli, & terra, ac omnia visibilia, & inuisibilia, quæ in eis continentur, sunt opera Dei, quæ ille, solo suo verbo, vel fecit in principio, vt seruirent ad ipsius beneplacitum, vel fieri disposuit, aut creauit in tempore, eiusdem virtute ad omnium esse influente, seu cooperante, vt sub Potentissimo ipsius arbitrio permanerent, vel esse desinerent, aut corruptioni subiacerent. Vnde quicunque aliquid eorum, vt Deum adorant, hunc Excelsum Dominum honore debito priuant, illiusque iram prouocant, ac maximum peccatum, & offensam in illum committunt.

§. 9. Inter hæc autem Dei opera, Spiritus illi, qui in Cœlis habitant, numerantur, qui Angeli communi sermone nuncupantur, quorum munera sunt Deum laudare, & hominibus, vt salui fiant, vigilanter assistere: quisque hominum enim vnum ex ijs habet, qui ipsum die, noctuque à ventre matris, vsque ad finem vitæ custodiat. Et quia inter hos spiritus pulcherrimos aliqui fuerunt, qui contra Deum, à principio, malitia inflexibili peccarunt, è Cœlo propter magnam ipsorum superbiam eiecti sunt; & in inferno à Deo, ad punienda eorum, & prauorum hominum delicta, parato, cum suo Principe Satana ad pœnam æternam damnati, seuerè plectuntur. Hi autem sunt illi, quos Dœmones, & Diabolos appellamus, quique Dei inimicitia æstuant, ac homines offendere, & à via veritatis, & perfectionis, ne saluentur, auertere, indefessis tentationibus, ac machinationibus, omni tempore satagunt: horum suggestione primi Parentes dona, & prærogatiuas pro se, & sua stirpe à Deo acceptas, miserè perdiderunt, & lapsi sunt in multa mala, & miserias corporis, & animæ, propter quas omnes homines filij iræ, & in peccato, quod vocatur Originale, ex tunc nascimur; à quo meritis Iesu Christi D. N. nunc per Baptismum liberamur.

§. 10. Secunda clausula, prolata à S. Andrea, est: *Et Iesum Christum Filium eius vnicum, Dominum nostrum*. In his verbis ostenditur, quòd Filius vnicus Dei Patris, qui postquam Carnem assumpsit, & in mundo natus est Homo, appellatus est Iesus, & per vnionem humanitatis ipsius cum Diuinitate, dicitur Christus, ac propter inenarrabilia beneficia, quæ ab ipso accepimus, & recipiemus in perpetuum, Dominus noster iure optimo nuncupatur, firma fide ab omnibus, & præcipuè ab illis, qui ob fidem in ipsum, Christiani vocantur, sit honorandus. De Cœlo enim in terram descendit, vt nos verbo & exemplo viam Dei doceret, filios Dei adoptiuos per gratiam faceret, & à Diaboli insidijs sua protectione liberaret, ob idque nullum alium Dominum, præ-

ter ipsum, qui etiam verus est Deus, confiteri tenemur.

§. 11. Tertia clausula, à D. Iacobo Mai. prolata: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*: per quæ verba demonstratur, quòd Filius Dei non opera viri, sicut cæteri homines, sed Spiritus Sancti virtute, in ventro Virginis Mariæ carnem humanam sumpsit, & manendo semper Deus, post nouem menses natus est verus Homo è Sanctissima Virgine Maria, quæ ideò Dei Mater, ac Domina nostra est, & Virgo incorrupta ante partum, in partu, & post partum permansit. Deus enim, qui Diuinitatem cum humanitate coniungere potuit, Virginitatem Mariæ partui vnire non abhorruit.

§. 12. Quarta clausula S. Ioannis prosequitur, dicendo: *Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, & sepultus*. Quæ uerba continent, quòd postquam Iesus Christus natus, triginta tribus annis inter homines vixit, ipsos docendo, & multa bona in eosdem operando, ac plura miracula patrando, propria sua voluntate permisit, se tradi ad sustinendum dolores, opprobria, & crudelem mortem in Cruce: quæ omnia passus est, non in quantùm Deus, sed in quan tùm homo; sub qua etiam distinctione fuit mortuus, ac sepultus, quatenus scilicet, anima separata fuit à corpore, & corpus, durante hac separatione, in sepulchro fuit collocatum, semper tamen Diuinitas coniuncta mansit tã Animæ, quàm Corpori. Ex quo colligitur quanta sit Crucis Sanctæ dignitas: in ea enim Auctor vitæ decessit, vt vitam nobis sua morte donaret, & Adami stirps Deo reconciliata maneret: ideoque nos Christiani ob illius dignitatem, magnam Crucibus vniuersis vbique facimus reuerentiam, illiusque signo vtimur ad benefaciendum, & defendendum nos à malis quibuslibet, ac ab inimicorum nostrorum infernalium diabolica nequitia.

§. 13. Quinta clausula, ex ore S. Thomæ. *Descendit ad Inferos, tertia die resurrexit à mortuis*: in quibus verbis oportet percipere, quòd illa Sanctissima Christi Anima, statim ac à Corpore fuit separata, magna Potentia, & Maiestate ad Inferos descendit, & animas Sanctorum Patrum; qui in lege natutæ, & tempore legis veteris scriptę accepti fuerant Deo, sed Cœlum ob peccati originalis impedimentum ingredi non poterant, & in loco separato à damnatis, apud Inferos detenti, Aduentum Redemptoris expectabant, ab ea reclusione benignissimè liberauit: easque secum detulit, & tertia die iterum corpori quod in sepulcro, sine vlla corruptionis vmbra Diuinitati coniunctũ permanserat, propria sua potestate vnita fuit: ex tunc verò Anima, quæ à primo instanti suæ creationis gloria fruebatur, suas Beatitudinis dotes Corpori, quod amplius nec passurum, nec moriturum erat, plenissimè communicauit; & sic noster Redemptor amantissimus valdè Gloriosus resurrexit, illisque, quos Sanguine suo redemit, æternæ vitæ principium conferre dignatus est. Postquam autem resurrexit, suis Discipulis per dies quadraginta apparebat, eis iubens, vt per totum mundum, ad prædicandum verbum, quod de eius ore acceperant, & in quo eos etiam tunc instruebat, ire non pertimescerent.

§. 14. Sexta clausula, quam S. Iacobus Min. eructauit: *Ascendit ad Cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis*: in quibus verbis venit intelligendum, quòd Iesus Christus, verus Deus, & verus Homo, peractis illis quadraginta diebus, propria virtute, ad Cœlos cum illis animabus Sanctis, quas in signum triumphi in triduo mortis liberauerat, & secum retinuerat, Gloriosus ascendit, & tanquam Primogenitus prædestinatorum, primus Cœlum introiuit & ad dexteram Dei Patris, id est, in maximis bonis, maximoque honore, quem Deus Pater Omnipotens habet, & per quem ipsius dextera intelligitur, super omnes Spiritus Cœlestes, & omnes res creatas sedens, opus nostræ Redemptionis, & glorificationis Sanctorum absoluit: & vestigia, pro nostra saluatione, lequenda patefacta reliquit.

§. 15. Septima clausula, quam protulit S. Philippus, superaddit: *Inde venturus est iudicare viuos, & mortuos*: quibus verbis instruimur; quòd Filius Dei, qui primò in hunc mundum venit, vt

vt carnem humanam assumeret, & genus humanum sua Passione, & Morte redimeret, illique legem Sanctissimā daret, vt ipsius obseruantia hæreditatem æternam mereretur possidere, iterum in vltimo die, quando scilicet finis humanæ generationi est imponendus, humana Maiestate, & Animæ, ac Corporis gloria veniet, hominesque cunctos viuos, & mortuos, quotquot fuerunt, sunt, & erunt vsque in illum diem strictè iudicabit; bonisque, quia eius Sancta mandata custodierunt, gloriæ præmium elargietur; malos autem, qui eadem mandata non obseruarunt, ad æternam pœnam; ad quam eos, qui in culpa graui decesserant, in iudicio particulari damnauerat, solemnius deputabit.

§. 16. Octaua clausula, prolata à S. Bartholomæo, subnectit: *Credo in Spiritum Sanctum*: Et hæc verba innuunt, quòd Tertia Sanctissimæ Trinitatis Persona, quæ Spiritus Sanctus appellatur, & à Patre, & Filio procedit, estque cum vtroque vna in Essentia, Intelligentia, atque eadem indiuisibili Diuinitate gaudet, & per indiuisibilem Potentiam, omnia ad extra operatur, vt verus Deus à cunctis Nationibus coli, ac adorari debet. Huic Sanctissimę Personæ, quæ in forma ignis, in Sancto Pentecostes die, postquam Redemptor ad Cęlos ascenderat super eiusdem Discipulos descendit (eosque omnia docuit, quæ ad legis promulgationem, & stabilitatem necessaria videbantur, ac in gratia, cum alijs, quamplurimis donis confirmauit, vt Dei Verbum gloriosius per totum Orbem disseminarent) munerum supernorum largitionem, & Gratiæ Diuinæ infusionem, ac cuiusuis Sanctitatis, & Charitatis donum omnes Christiani appropiamus: vnde illius amplissimæ beneficentiæ debitores sumus, & propter eam hanc Diuinam Personam, plenis affectibus, quotidie collaudamus.

§. 17. Nona clausula, ex ore S. Matthæi, adiungit: *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem*: in quibus verbis oportet concipere, quòd Congregatio omnium Fidelium Christianorum, qui veram Fidem, & doctrinam habent, Ecclesia Catholica dicitur. Vnio autem in vna eademque Fide, atque in eisdem Sacramentis, & præsertim in omnium Sacramentorum maximo, quod vocatur Eucharistia: per cuius sumptionem Fideles verum Corpus Domini N. Iesu Christi, (quod est in Cœlo, & in Hostia, post Sacerdotis Consecrationem, modo miraculoso existit) reuerenter suscipiunt; & ipsius virtute orationes, & bona opera totius Ecclesiæ, vt partes vnius eiusdem Corporis mystici, participant, Communio Sanctorum nuncupatur.

§. 18. Huius Ecclesiæ Caput est Iesus Christus, cuius vices gerit eius Vicarius in terra, qui est Summus Pontifex Romanus, Papa communiter dictus; & quia pluribus membris vitæ Sanctitate corufcantibus, abundat, & abundabit in futurum, ab eorum, & Capitis Sanctitate semper Sancta, & Catholica nuncupabitur.

§. 19. Ipsa est Magistra veritatis, & perfectionis, contra quam Portæ Inferi, id est Dæmonum, & Ministrorum ipsorum malitia, & insidiæ præualere non poterunt. Spiritus enim Sanctus Christi Vicario assistit, vt in pascendis ouibus Saluatoris nunquam, quoad mores, & Fidem erret: & sic quicquid ipsa ex oraculo Summi Pontificis in ordine ad Fidem, & mores Fidelium tenuerit, & tam quoad Scripturam, quàm quoad Traditiones, & Conciliorū Definitiones approbauerit, & confessa fuerit, nos omnes illudmet amplecti, approbare, ac confiteri tenemur. Debemus etiam eiusdem Ecclesiæ præceptis obtemperare, quorum præcipua sunt quinque. Primum, *Audire Missam integram diebus Dominicis, & in Festis obseruandis*. Secundum: *Confiteri semel in anno, & in periculo mortis, & cum Communicandum erit*. Tertium: *Communicare necessariò in Pascate Resurrectionis*. Quartum: *Ieiunia ab Ecclesia imposita seruare*. Quintum: *Soluere Decimas, & Primitias*.

§. 20. Decima clausula, ex verbis S. Simonis superaddit. *Remissionem peccatorum*: ex quibus verbis intelligimus, non esse peccata adeò numerosa, vel tam grauia, quæ ex vi meritorum Christi Domini in Sancta Ecclesia per Sacramentorum virtutem non remittantur. Per Baptismum enim

enim paruulis peccatū Originale remittitur & adultis vltra peccatū originale remittuntur etiā omnia illa, quæ in vitæ decursu commiserunt, si de ijs, hac fide, verè doluerint. Per pœnitentiæ verò Sacramentum remittuntur omnia peccata, post Baptismum commissa, si peccator præmissa debita, pro illorum recordatione, diligentia, ea cum dolore, & proposito emendationis (debitam pro ipsis præstando, saltem in voto satisfactionem) Sacerdoti, per Episcopum, in Ordine Sacerdotali constituto, iurisdictionem ad illa audienda habenti, integrè, & sine vlla fallacia confessus fuerit, ab ipsoque Sacerdote absolutionem receperit. Et si copia Confessoris non adest, contritio perfecta ad hanc remissionem sufficiet, dummodò adsit propositum confitendi, & statim, ac obligatio vrget, & copia Confessoris adest, ea vt supra confiteatur.

S. 21. Purgatur prætereà anima à peccatis, quoad pœnæ reatum, per susceptionem Sacramenti Extremæ Vnctionis: quod à Sacerdotibus ministratur infirmis, in mortis periculo constitutis, vt maiorem vigorem habere queant contra tentationes inimici infernalis, in vltimo transitu vitæ patiendas. Ad quas etiam superandas, non parum iuuabit, Sacrementum Confirmationis recepisse, quod ab Episcopis confertur omnibus Christianis Baptizatis, vt habeant fortitudinem in fide, & lege Dei, contra eosdem infernales inimicos. Est denique aliud Sacramentum in Dei Ecclesia, quod appellatur Matrimonium; & hoc, licèt peccata non aboleat, dat tamen illud recipientibus, sicut & alia Sacramenta faciunt, gratiam, per virtutem Iesu Christi, vt benè viuant, & in suo statu saluentur: diciturque pactio firma, & perpetua inter Virum, & Mulierem Christianos, ad procreandum, & educandum filios in obsequio Dei, fidelitatem inter se mutuò custodiendo, coram Parocho, & testibus stabilienda.

S. 22. Vndecima clausula, ex ore S. Thaddæi: *Carnis resurrectionem*: per quę verba fatemur, quòd in postremo die, quando scilicèt Dominus, vt dictum manet, ad iudicandum veniat, omnium hominum animæ reuertentur ad sua propria corpora, per immensam Dei virtutem rursus efformanda, & sic in præfato Dei iudicio in suis proprijs corporibus, nunquàm amplius separandæ, indispensabiliter comparebunt. Exitus tamen erit longè diuersus: etenim mali resurgent ad patiendum in corpore, & anima in igne æterno, ac societate Dæmonum; boni verò cum corporibus gloriosis in Cælum ad quiescendum, non sine magna lætitia, & gaudio in societate Angelorum, fæliciter conscendent.

S. 23. Duodecima clausula S. Matthiæ, finem Symbolo imponit, dicendo: *Vitam æternam. Amen.* Quæ verba indicant illud præmium, quod hominibus iustis in Christum credentibus, & eius mandata obseruantibus, in fine huius vitæ mortalis est conferendum: etenim ij viuent vitam æternam, cum Deo in Cœlis regnando, & eiusdem præsentia, atque amicitia, alijsque bonis infinitis, quæ nunquam finientur, inamisibiliter fruendo. Hoc tamen præmium aliqui Iusti, statim ac decedunt, non consequuntur, quia etsi eorum peccata, quoad culpam fuerint remissa, & ob id in gratia moriantur, quoad pœnam tamen propter illa luendam, non sunt absoluta, indigentque purgatione. Cœterùm pro ijs Iustis est quidam locus distinctus à Limbo, quo vadunt animę Infantium, sine vsu rationis, & absque baptismo decedentium, & ab inferno, in quo Dæmones, & praui homines tam fideles, quàm non fideles pro suis delictis cruciantur: & hic locus Purgatorium nuncupatur, in eoque præfati Iusti promeritam pœnam medijs crudelissimis tormentis luunt, & per aliquod tempus determinatum purgantur, Deo sic pro peccatis, & delictis perpetratis satisfaciendo.

S. 24. Ijs autem pro abbreuianda hac purgatione valde proficit, vt Missæ pro eis celebrentur, eleemosinæque, & orationes ad ipsorum leuamen fiant, atque alia, quæ diuinam possint placare Iustitiam, ac satisfactioni debitæ æquiualere, pro ipsis offerantur: tunc enim Deus illorum miseretur, & ipsos in Cælum ingredi benignissimè permittit. Sunt etiam plures Indulgentiæ plenariæ, à Summis Pontificibus, tam pro viuis, quàm pro defunctis concessæ, per quas prædicti iusti pœnas præfatas vitare pote-

terunt. Illæ siquidem de Thesauro Ecclesiæ, ex meritis Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, atque Iustorum composito, à Summo Pontifice, huius Thesauri dispensatore, quantum ad plenariam satisfactionem sufficit, applicante, benignè conceduntur: vnde siue iusti, pro se ipsis, in fine vitę vnam lucrentur, siue aliquis fidelium pro illorum quolibet, aliquam ex illis, quæ per modum suffragij pro defunctis conceduntur, obtineat, anima à pœnis Purgatorij libera, in Cœlum recipietur. Quapropter huiusmodi indulgentiæ in magna veneratione, ac deuotione ab omnibus Christi fidelibus sunt habendæ; sin verò meritò continget, quòd, qui eas in obliuione, aut contemptu habuit, earum suffragio. coram diuina Iustitia non fruatur.

§. 25. Iam in præmissis ad longum habes (*mi dilecte frater*) quid te credere, ac intelligere oporteat; nunc breuiter tibi subiungo, quod ex præfata Symboli explicatione, memoriter ad minus retineas, quòd Articuli Fidei sunt quatuordecim. septem pertinent ad Diuinitatem, & alij septem ad Sanctam Humanitatem D. N. Iesu Christi veri Dei, & Hominis. Qui ad Diuinitatem pertinent, sunt isti. Primus, credere in vnum solum Deum Omnipotentem. Secundus, credere, quòd Pater sit. Tertius, credere, quòd Filius sit. Quartus, credere, quòd Spiritus Sanctus sit. Quintus, credere, quòd sit Creator. Sextus, credere, quod sit Saluator. Septimus, credere, quòd sit Glorificator.

§. 26. Qui pertinent ad Sanctam Humanitatem D. N. Iesu Christi, sunt isti. Primus, credere, quòd Dominus N. Iesus Christus, in quantùm homo, conceptus sit per operationem Spiritus Sancti. Secundus, credere, quòd natus sit ex ventre Virginali Sanctæ Mariæ Virginis, quæ Virgo fuit, ante partum, in partu, & post partum. Tertius, credere, quòd mortem, & Passionem susceperit, ad saluandum nos peccatores. Quartus, credere, quòd descendit ad Inferos, & inde abstulit animas SS. Patrum, qui expectabant ipsius sanctum Aduentum. Quintus, credere, quòd tertia die resurrexit à mortuis. Sextus, credere, quòd ascendit ad Cœlum, sedetque ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. Septimus, credere, quod venturus est iudicare viuos, & mortuos; id est, bonos, ad dandum ipsis gloriam, qui ia custodierunt ipsius sancta mandata; & malos, ad dandum ipsis pœnam æternam, quia illa non custodierunt.

§. 27. Oportet etiam, vt memoriæ mandes, quòd Sanctæ Matris Ecclesiæ Sacramenta sunt septem. Primum, *Baptisma*. Secundum, *Confirmatio*. Tertium *Pænitentia* Quartum, *Eucharistia*. Quintum, *Extrema Vnctio*. Sextum, *Sacer Ordo*. Septimum, *Matrimonium*.

§. 28. His, notitiam, ac intelligentiam Pręceptorum legis Diuinæ adiunges, quę sunt decem; quorum tria prima pertinent ad honorem Dei, & reliqua septem ad vtilitatem proximi. Quæ ad honorem Dei pertinent, sunt. Primum: *Amare Deum super omnia*. Hoc autem præceptum illi Christiani obseruant, qui tribus virtutibus Theologalibus student, *Fidem* nimirum, *Spem*, & *Charitatem* erga Deum habendo, in ipsum credendo, in ipso sperando, & amando ipsum plusquam vllam rem totius mundi: omnes siquidem res debet homo tali amore prosequi, vt pro illis cunctis alicui peccato mortali non acquiescat.

§. 29. Huius præcepti violatores sunt, qui quamcumque creaturam, tanquam Deum adorant, vel falsis sectis, & hæresibus, vel somnijs, aut diuinationibus, quæ sunt vanitates, & fraudes Dæmonis, fidem præstant; & per pacta implicita, vel explicita ad Diabolum conuertuntur: necnon illi, qui alicui desperationi, Deo relicto, aut odio habito, temerè consentiunt: & qui Imaginum Sacrarum adorationem, Idolatriam appellant, & vt illicitam impugnant: Christiani enim Imagines ligneas, vel metallicas non adoramus propter ipsas, vt Idolatræ faciunt; nec putamus, quòd illis ipsis sit diuinitas aliqua, aut virtus innata; sed respicimus illud, quod Imagines repræsentant, & sic adoramus Iesum Christum, eiusque Passionem in qualibet ipsius Imagine, & in Cruce: reueremurque Imagines ipsius Saluatoris, & Virginis Mariæ Dominæ nostræ, omniumque Sanctorum, qui in Cœlo regnant, non propter id, quod ipsæ Imagines sunt, sed propter id, quod significant, in quo sen-

vnun su

su coram ipsis fauorem illius sanctitatis, quam repræsentant, enixè imploramus, & vllam Idolatriam neutiquam incurrere possimus, per præmissa.

§. 30. Secundum: *Non iurare per Sanctum Nomen ipsius in vanum*: & hoc præceptum infringunt, qui nomen Dei, vel Sanctorum blasphemant; & qui iurant per Creatorem, vel creaturam, cum mendacio, & sine iustitia, aut necessitate; nec non illi, qui vota solemnia, vel simplicia Deo, aut Sanctis facta non adimplent, & qui non obseruant illud, quòd suo iuramento promiserunt, si sit licitum & honestum: aut qui fictè, & sine animo adimplendi, aliquid facere iurant, vel cum iuramento malum facere proponunt.

§. 31. Tertium: *Sanctificare dies Festos*: quòd præceptum illi violant, qui Dominicis, & Festis diebus, ex præcepto colendis, Missam non audiunt: aut in eis opera seruilia prohibita faciunt, & sine iusta necessitate, aut iusto motiuo laborant.

§. 32. Quæ ad vtilitatem proximi spectant, sunt. Quartum: *Honorare Patrem, & Matrem*: quod nempè præceptum ille transgreditur, qui erga Parentes suos, & maiores ætate, dignitate, aut gubernio irreuerenter, & immorigeratè opere, vel verbo, vel actione se gerit, & qui illis reuerenter in ijs, ad quæ tenetur, non obedit, vel eis necessitatem extremam, aut grauem patientibus, non opitulatur.

§. 33. Quintum: *Non occidere*: cui non obtemperat, qui proximum vel occidit extra prælium iustum, ac licitum: vel vulnerat, aut verbo, vel opere malè tractat, seu minatur, vel odio etiam in cordis secreto prosequitur, aut malum graue illi cupit, minusque præfatum præceptum obseruat, qui sibi talia damna procurat, aut inferri, cum ea valet licitè impedire, vllo modo permittit: & qui per ebrietatem se vsu rationis priuat, seque ex homine bestiam facit, ac præfatorum malorum periculo proximo exponit.

§. 34. Sextum: *Non Mœchari*: quod infringit ille, qui turpitudinem cum quacunque muliere, sibi matrimonio nõ coniuncta, committit, & multò magis, qui cum masculo, vel bestia aliqua se turpiter immiscet: necnon ille, qui voluptati venereæ, ex verbis, vel tactibus, siue cum se ipso, siue cum alijs conceptæ, consentit.

§. 35. Septimum: *Non furari*. cui non obedit, qui rem proximi, contra ipsius voluntatem, accipit, vel detinet: aut ipsum in emptione, vel venditione, in alioue contractu decipit, & qui, vel per se, vel per alium, damnum rebus infert, aut inferri, cum tenetur, non impedit: necnon qui damnum emergens, ac ex cessatione lucri legitimè proueniens, si potest, nõ reparat, aut damna in fama, & honore proximo infert, & pro illatis non satisfacit.

§. 36. Octauum: *Non dicere falsum testimonium*: & hoc transgreditur, qui proximum, aut seipsum falsò diffamat, seu falsæ diffamationi malitiosè consentit, vel occultum defectum, absque necessitate, & sine iusto motiuo detegit: aut temerè de aliquo malum iudicat, vel murmurationis vitio in præfatis otiatur.

§. 37. Nonum: *Non concupiscere vxorem proximi*: quod violat, qui animo consistit in desiderium vxoris alienæ.

§. 38. Decimum: *Non concupiscere bona aliena*: cui opponitur, qui bona aliena ita concupiscit, vt ea auferret, vel raperet, si posset; aut ita in ea propendit, vt versutijs, ac solicitudinibus, pro spoliando proximo, ipsis, in sui, aut suæ domus, vel communitatis commodum, vti deliberauerit. Circa ista duo vltima præcepta animaduertendum venit, quòd Deus nobis malum desiderium in illis peculiariter prohibet, non quia desiderium committendi ea, quæ in alijs præceptis interdicuntur, Dei offensa non sit, in omnibus siquidem peccatum est; sed quia delectatio carnis, & propensio ad possidendum, sunt duæ res, quæ magis mentem nostram obcæcant, & ex quibus maxima damna oriri queunt, & sic, vt perfectius ab ijs malis liberemur, lex Diuina hæc duo præcepta non tantùm opere, sed etiam animo, & corde complenda, ac obseruanda proponit.

§. 39. Hæc decem præcepta in solis duobus continentur, quæ sunt: *Amare Deum super omnia*: id est illum pro vllare mundi non offendere: *& proximum tuum sicut te ipsum*; id est, non optando proximo id, quod tibi non optares, ac illi faciendo, quidquid velles, quod tibi fa-

facerent alij.

§. 40. Pro obseruatione autem, ac fide omnium præmissorum, aduertere debes, quòd sine Dei auxilio, & gratia non potest homo facere bonum, nec fugere malum, sicut oportet: Deus verò licet auxilia, & gratiam pro sua libera voluntate, & ex mera sua liberalitate conferat; præstat tamen huiusmodi dona ad sufficientiam, vnumquemque adiuuando, vt possit, & vt liberetur ab impedimentis; Quapropter, vt remotionem impedimentorum, illis mediantibus donis, consequi possis, est tibi insudandum, quatenus pro humanæ fragilitatis posse, & pro eo, quod lapsæ naturæ permittitur, principijs legis naturalis in omnibus operibus adhæreas, omniaque humanam deformitatem ingerentia fugias, & continentiæ, modestiæ, probitati, frugalitati, beneficentiæ, honestati, cæterisque id genus animi humani ornamentis, operam des, ac vitæ laudabili (à Philosophis etiam Gentilibus amore prosecutę) impensè studeas; hęc siquidem omnia ab homine fidei habitu illustrato patrata, eum valdè præparant ad recipiendam Gratiam, per quam perfectè, & ex dilectione, ac meritoriè operetur; ipsum tamen efficacius disponent, si prædictis, orationis virtutem frequenter adiunxerit; in eaque à Deo, quòd ipsius honori, & bono nostro conuenit, enixè petierit, & indigentias omnes ipsi patefecerit.

§. 41. Vnde sæpe orare valde tibi proficiet: *Oratio enim iusti suauis est ante Deum, & mox* (inquit S. Bernardinus Senensis super cap. 6. Apocal.) *vt de ore processit suscipiunt eam Angeli, & manibus suis offerunt ante Deum. Vnde secundum Isidorum, qui vult cum Deo semper esse frequenter debet orare, & frequenter legere: nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur, cum verò legimus, Deus nobiscum loquitur.*

§. 42. Vt autem scias, qualiter Patrem in abscondito orare debeas, breuiter, cum eodem Senensi, tibi orationem Dominicam expono, quam Christus apud Matthæum *cap. 5.* Discipulos, & in eis omnē fidelem animam docuit, dicendo: *Cum orabitis, dicite Pater noster &c.* Ista oratio est breuissima, & fecundissima, quia in ea omne appetibile, scilicet boni collatio, & mali ablatio, seu remotio, & vtriusque confirmatio (in quibus tribus cōsistit generaliter omne appetibile, & desiderabile) docuit Dominus deprecari.

§. 43. Prima igitur petitio est boni confirmatio sine malo, de qua loquitur: *Pater Noster, qui es in Cœlis, sanctificetur Nomen tuum*, id est, confirma, & sanctifica in nobis honorem tui Nominis, vt Nomen tuum, quod est Pater, tanquam adoptiui filij honoremus: vt Nomini tuo, quod est Deus, tanquam subditi ad nutum obtemperemus: vt à Nomine tuo, quod est Iesus, salutem impetremus.

§. 44. Secunda petitio est Gloriæ optatio, Pro qua subditur. *Adueniat Regnum tuum*, id est ad nos veniat, per vtriusque Stolę immortalitatem, Regnum tuum (in quam) omnium sęculorum, & omnium Sanctorum, per longitudinem æternitatis, interminabilis latitudinis, capacitatis incoarctabilis, & per celsitudinē sublimitatis incōprehensibilis: Regnum, in quo cū Christo regnant iusti in ęternum. O quàm gloriosum est Regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amicti Stolis albis, sequuntur Agnum, quocunque ierit!

§. 45. Tertia petitio, Gratiæ infusio pro qua dicitur: *Fiat voluntas tua, sicut in Cęlo, & in terra*: id est, da voluntatem tuam perficere per infusionem tuæ Gratiæ. Voluntas enim Dei semper fit, Sed oramus, vt libertas nostri arbitrij sociétur per gratiam suæ voluntati; fiat igitur voluntas tua, *sicut in Cęlo*, in quo omnia rectè tenent cursum suum, & ordinem: *& in terra*, id est in hominibus de terra plasmatis, per indefessam obedientiam, & filialem perseuerantiam.

§. 46. Quarta petitio, naturæ sustentatio, de qua dicitur, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: quia crastinum ignoramus, non habentes, nisi nunc, de tempore: da ergo Panem naturæ ad sustentationem corporis, da Panem pænitentiæ ad releuationem languoris, da Panem intelligentiæ, contra famem terroris, da Panem Eucharistiæ ad purgationem amoris, da Panem gloriæ ad delectationem saporis: istis quinque Panibus satiauit

uit Dominus quinque millia hominum.

§. 47. Quinta petitio, est culpæ præteritæ remissio, pro qua dicitur: *Et dimitte nobis debita nostra*, id est, peccata, quibus obligamur ad pœnam, *sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris*, quasi dicat; fac nobiscum misericordiam, vt sic nos geramus cum proximis, in remittendo gratis illatam iniuriam.

§. 48. Sexta petitio, est mali futuri præseruatio, & exclusio, pro qua dicitur: *Et ne nos inducas in tentationem*, & si inducis, da virilem protectionem, nec permittas nos cadere in hostis antiqui illaqueationem; & si nos permittas induci per sensum, vt excitemur, non tamen induci per actum, nec per consensum, quibus ad mortem obligamur.

§. 49. Septima petitio, est imminentis, & præsentis periculi amotio, pro qua ponitur; *Sed libera nos a malo*: quasi dicat: sic remittas præterita, vt præserues nos à futuris, & liberes à Præsentibus. Libera ergo nos a malo Mundi, ne nos comburat per cupiditatem. A malo carnis, ne nos absorbeat per voluptatem. A malo Diaboli, ne nos perdat per iniquitatem. *Amen*: est nota, & optatio prædictorum.

§. 50. Aliter etiam accipitur numerus septem petitionum, penes proprietates septem virtutum, ita quòd prima sumitur penes *Fidem formatam*, cuius est corda Sanctificare, cum dicitur, *Pater noster, qui es in Cœlis, &c.* Secunda penes *Spem*, cuius est Regnum Dei præstolari, cum dicitur, *adueniat Regnum tuum*. Tertia penes *Charitatem*, cuius est voluntatem Dei adimplere, & eius beneplacitum, cum dicitur, *fiat voluntas tua, &c.* Quarta penes *Fortitudinem*, cuius est in aduersis confortare, cum dicitur, *Panem nostrum quotidianum, &c.* Quinta est penes *Iustitiam*, cuius est vnicuique ius suum reddere, & dimittere, cum dicitur, *& dimitte nobis, &c.* Sexta penes *Prudentiam*, cuius est mala futura præcauere. *Et ne nos*. Septima penes *Temperantiam*, cuius est à malis præsentibus abstinere, ideò dicitur, *Sed libera nos à malo*.

§. 51. Item, aliter accipiuntur prædictæ septem petitiones, contra septem vitia capitalia. Et prima petitio est contra *Luxuriam*, quæ non sanctificat, sed polluit. Secunda, contra *Auaritiam*, quæ regnum Mundi concupiscit. Tertia, contra *Accidiam*; quæ voluntatem Dei nunquam perficit. Quarta contra *Gulam*, cui panis non sufficit. Quinta, contra *Iram*, quæ rancorem non dimittit. Sexta, contra *Superbiam*, quæ in tentationem inducit. Septima, contra *Inuidiam*, quæ malum proximi appetit. Ex quibus plenè habes, quæ sint peccata Capitalia, & quæ dicantatur Virtutes Theologales, & Cardinales illis opposita.

§. 52. Hæc, & aliæ Orationes in omni loco fieri valent, quia Deus, qui est Immensus, vbique præsens existit, & nos exaudire dignatur. Cæterum cum Ecclesiæ, & Loca, quæ apud Christianos Deo cõsecrantur, Templa Dei, & Domus orationis sint, preces, quas ad Dominum in illis effundimus, & tutius fiunt, & magis ipsius Maiestati placere censentur.

§. 53. Quare Loca prædicta passim visitare curabis, & dum in ea introeas, Aquam Benedictam, per quam Dæmones fugantur, & peccata venialia remittuntur, deuotè accipias. Posteà genua flectes, teque signo Crucis signabis, & Orationem Dominicam, ac alias, quas in Catechismis inuenies, cum interiori, & exteriori reuerentia, ac magna cum fiducia obtinendi per merita, & Sanguinem D. N. Iesu Christi, quod petieris, spiritu & lingua recitabis. Sic enim faciendo, & alijs pijs operibus vacando, gratiam à Domino recipies, per quam bonum facere, & malum fugere, vt oportet, ad obtinendã vitam ęternam, tibi satis possibile, ac delectabile erit. Id age, & ora pro me, vt in illa Beatitudine Sancta, simul gloriari valeamus, in sæcula sæculorum. Amen.

§. 54. Huic formulæ instruendi Fideles in doctrina Christiana, & Mysterijs Fidei, ac præceptis Domini, & Ecclesiæ, adiungere poterunt Instructores alia oportuna documenta, quæ nos hic multiplicare noluimus. Sciant tamen, valdè expedire, quòd in explicanda Doctrina Christiana penitùs se abstineant à declatione quorumdam peccatorum, quæ rarò committuntur, vel quæ postquam in notitiam audientium venerint, secretò ac facilè perpetrari quiuerint, aut quę fidelibus impracticabilia apparent, vel graue scandalum

dalum inferre possint; vnde circa hæc sufficiet auditores monere, vt Confessori omnia inhonesta, & deformia, quæ super punctis, & transgressionibus in præmissa formula adnotatis, in se recognouerint, & de quibus adhuc leuem suspictionem habeant, quòd sint peccata, integrè detegant, & quòd in minima, aut enormissima re de Sigillo, seu secreto à Confessore obseruando, minimè dubitent; sic enim infirmo medicina præstabitur, & venenum à beneualente, ad manducandum nociua procliuè, sobriè abscondetur.

§. 55. Expediens insimul erit, quòd Instructor in eo actu explicationis, à moralibus Authorū opinionibus præscindat, & quòd ad particulares casuum moraliū decisiones, soli probabilitati innitens, nō descendat: sæpe quippe contra alios, se sic non gerentes, obmurmurare audimus, quòd retia, ex laqueis plurium opinionum, scrupulos excitantium, formata, laxant, vt fideles plurimos ijs irretitos, ab alijs Directoribus separent, & suæ, pro obtinenda à perplexitatibus, & scrupulis liberatione, directioni spirituali subijciant, suarumque Ecclesiarum deuotos reddant inquilinos; poterit tamen aliquas veras historias, seu exempla, quę addiscentiam Doctrinæ Christianæ, & fugam vitiorum, atque obseruantiam mandatorum Domini suadeant, breuiter enarrare.

§. 56. Si autem Instructor, Concionator fuerit, post explanatam præinsertæ formulæ aliquam partem, poterit, dum moram traxerit apud Fidelium Incolatus, Concionem adiungere, fundatam in Euangelio Officij illius diei, vel super aliqua, è materijs, in quibus frequentiores extitere Apostolorum Conciones, dum agebant in humanis. Circa quas Maximus Italiæ Præco, & Instituti Seraphici Instaurator, Diuus Bernardinus Senensis *Tom. 4. Serm. 5. de Ascen. art. 1. cap. 3.* sic inquit: [Retardauit Christus Ascensionem suam propter discipulorum informationem, quod apertè ostendit Lucas *Act. 1.* cum ait: *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei*. Per hoc siquidem Regnum Dei intelligitur hic, non solùm Cælestis Patria, sed etiam tota Christi in hoc Mundo Ecclesia: Insuper, & omnia Diuina, ad Regnum Dei pertinentia: & de his loquebatur eis. Si quis autē diligentius perscrutari desiderat, quæ sint illa Diuina, pertinentia ad Regnum Dei, de quibus eis Dominus loquebatur? consideret, quod Christus in vltimo recessu suo, præcipit Apostolis prædicare, cum, *Marc. vltim.* ait illis: *Euntes in Mundum Vniuersum, prædicate Euangelium Omni Creaturæ*. In quibus verbis, quasi epilogando conclusit, quid quid per quadraginta dies apparuit eis, loquens de Regno Dei. Ex his igitur dici potest, quòd Apostoli prædicantes Euangelium, docuerunt vnumquemque credentem, se præseuerare à vitijs, quæ Natura, Mos, Ratio, Vsus, Lex, Gratia, & Veritas reprehendit.

§. 57. Docuerunt, alienum fieri ab Idolorum cultura, & vnum solum Deum, vnum Dominum, Iesum Christum, adoratione Latriæ adorandum. Docuerunt non thesaurizare in Terra, sed in Cælo, per mandatorum custodiam. Non diligere quæ videntur, quia temporàlia sunt, & caduca; sed diligere, quæ non videntur, virtutes scilicet, & bona Cælestia, quæ aut ad æterna, & beata disponunt, aut ipsa æterna consistunt.

§. 58. Docuerunt Mundi creationem ex nihilo, quem falsa Philosophorum opinio putat, esse æternum. Docuerunt, quomodo inuidia Diaboli, mors intrauit in Orbem Terrarum: & quomodo meritò protoplasti damnationi æternæ, iustè tenemur adstricti: ne qui superbirent, quòd non egerint Misericordia Dei. Docuerunt, quomodo aliundè humano generi non poterat esse remedium, nisi per Verbum Increatum, cum fieret incarnatum, & pęnas sustineret in ligno Crucis, Sanguinem funderet, mortemque subiret, pro omnibus Caro factum.

§. 59. Docuerunt Paupertatem, Cælibem vitam, Coniugalē Castimoniam, neminem lædere, omnibus velle prodesse, pro iniuria, iniuriam non referre. Docuerunt abrenunciare proprijs voluntatibus, Crucem tollere, Christum sequi: non quæ sua sunt, quærere, sed quæ Iesu Christi. Docuerunt perfunctoriam gloriam non quærere, sed gloriari tantummodo in Dominica Cruce. Docuerunt, homines supra seipsos fieri, Sacramentaliter viuere, Dominica mandata seruare, stu-

dere Virtutibus, & quod nulli debeatur iniquitas, sed Charitas omnibus sit reddenda, & quòd Respublica, & res Principum, nunquam meliùs, quam in veritate, iustitia, & charitate, sub Christo, Dei Filio conseruatur: Et ibi miseria, vbi Mundi prosperitas, & ibi gloria, vbi voluntaria est miseria.

§. 60. Docuerunt secundùm naturam conditam, contra naturam corruptam, supra humanum vsum, supra sensum. Docuerunt hominem, in Carne, Angelicè viuere. Docuerunt secretos fieri à bestiali natura. Docuerunt Gentes à genitura recedere, in terra natos, in suprema posse conscendere. Et vt breuiter multa perstringam. Docuerunt, quid credendum, quid sperandum, quid amandum, quidue timendum, quid agendum. Hoc siquidem Dominus, per quadraginta dies Apostolis apparens, docebat eos de Regno Dei. ] Hucusque Diuus Bernardinus, in quibus materia Concionum Apostolorum, dum vixere, satis ostensa reperitur. Quæ pariter debet inseruire, pro Concionibus eorum præsertim, qui muneri Apostolicæ Prædicationis Sacrati inueniuntur, sub superiùs descripto Missionariorum Instituto.

§. 61. Quoad Indulgentias vacantibus exercitio tum docendi, tum addiscendi Doctrinam Christianam, à Sancta Sede (sollicitudine illius, qui contenta in his tribus posterioribus distinctionibus, ad instructionem, & regimen Missionariorum congessit, & approbari curauit) nouissimè concessas, adest Apostolica Constitutio, inferiùs transcribenda. Circa quam præmittere, & animaduertere oportet, eum Doctrinam Christianam, iuxta Decreta Concilij Tridentini docere, qui documentis, & explicationibus Cathechismi, iussu Concilij apud *Sess.* 25. in vltimis Decretis de Indice librorum, &c. formato, conformibus, (cuius generis sunt, quæ in præmissa formula continentur) vti contendit, & Dominicis, ac alijs Festiuis, seu Stationum diebus, Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & Parentes, iuxtà *cap.* 24. *Sess.* 24. *de Reformat.* docere, ac promulgare consueuit. Pro hac tamen consuetudine maior in Parochis, quibus id ex munere, & ex Decreto Concilij competit, docendi frequentia requiritur, quam in alijs, qui per Parochias, seu Oppida, ac Ciuitates, & Prouincias discurrunt, vel huius pij operis gratia in aliquem locum eunt, & in spatio paucorum dierum fideles, circa præmissa, instruere satagunt. Vnde cum Constitutio prædicta pro Fratribus Minoribus, qui id agunt specialiter, sit expedita, aliam consuetudinem non præscribit, quàm illam, quæ oriri potest ex vsu docendi, seù auscultandi, per aliquas vices illa, quæ apud dictæ Doctrinę explicationem recensentur: & eo maior erit ista consuetudo, quo fuerit magis continua, annualis huius exercitij frequentatio, seu quò propensiùs quolibet anno fideles animæ huic pio operi, pro conseruanda Mysteriorum Fidei, & præceptorum Domini, memoria studuerint.

§. 62. Hic modus intelligendi præfatam consuetudinem innititur praxi, & interpretationi, quam præclarissimi Societatis Iesu Viri, illi concessioni appropiant, quæ ipsis, pro hoc exercitio, sub eisdē ferè verbis, vt attētè perspeximus, facta est. Quare eam praxim sequentes, satis fundatè procedent, & Indulgentias assignatas securè consequentur. Operę tamen prætium erit, licentiam obtinere à Superioribus respectiuè, & consensum ab Ordinario loci; à quo etiam assignanda est Festiua dies, in qua peragatur, intra Ecclesiam, vbi Doctrina Christiana docetur, Communio præscripta, pro consecutione duarum primarum Indulgentiarum: ad alias siquidem, talis assignatio minimè prærequiritur. Ordinarius autem diem Festum assignare poterit, qui primò occurrat post tres, vel quatuor, aut quinque diuersas explicationes, & Auscultationes præmemoratæ Doctrinæ. Nam facultas ipsis ad similem assignationem concessa, eo non respicit, vt habeatur ratio de maioribus, aut determinatis Festiuitatibus, sed tantùm, vt competens præcedat eiusdem exercitij frequentia, seu repetitio.

§. 63. Verùm, sine tali assignatione, poterunt tam docentes, quàm audientes, eodem anno diebus Stationum Romæ, illas omnes Indulgentias Plenarias, medio exercitio ibi prescripto, adipisci, quas, dum de prædictis Stationibus loquamur, pro earum vnaquaque referemus. Pro

alijs

alijs Indulgentijs minoribus, Lectorem ad dictam Constitutionem transmittimus, exhortamurque omnes Seraphici Ordinis Concionatores, vt quando ad prædicandam Quadragesimam, in aliquo loco deputati fuerint, assignationem diei Festi prædicti, aut facultatem ad eum designandum ab Ordinario petant, & præfato exercitio docendi Doctrinam Christianam solicitè incumbant. Quandò autem absque tali assignatione, memorato exercitio operam dederint, id sibi licitum virtute præsumptæ facultatis credant, quòd ratione circumstantiarum interuenientium intra terminos dictæ facultatis præsumptæ contineri queat. Sciant tamen; quòd illi quibus Ordinarij prædicandi licentiam dederunt, alia speciali ad docendam Doctrinam Christianam non indigent, præcipuum quippè munus, quod Ordinarij, ipsis in prædicta licentia commendant, hoc idem importat, & per instructionem populorum in Mysterijs Fidei, & præceptis Domini impensiùs adimpletur. Illud siquidem fideles ex præmemorata instructione deproment, quod Propheta Regius innuit in illis verbis: *Lex Domini immaculata conuertens animas, Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis*. Constitutio verò præcitata, est sequentis tenoris.

§. 65. Innocentius Papa XI. Ad perpetuam rei memoriam. Pietatis, ac Christianæ Charitatis opera vbique locorum, cum diuini Cultus incremento exerceri cupientes, Christifideles quoscumque, præsertim sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantes, vt ad illa exercenda promptiores reddantur, Indulgentijs, & peccatorum remissionibus inuitamus, prout ad Christianam propagandam Religionem; & Animarum salutem procurandam, conspicimus in Domino salubriter expedire. Cùm itaque (sicut accepimus) Dilecti Filij, Fratres Ordinis Minorum, Sancti Francisci de Obseruantia nuncupatorum, inter pia, quæ exercent opera, etiam pueros, & adultos, quoscumque, per vniuersum Christianum Orbem, Catholicæ Fidei rudimenta, & Christianas omnes virtutes accuratè doceant.

§. 66. Nos pro nostri Pastoralis officij munere, hoc pium, Christianæque Reipublicæ necessarium opus, ex quo hactenùs vberrimi fructus prouenerunt, ac multò vberiores, post hac, prouenturos speramus, confouere. Volentes, vt eorumdem Fratrum deuotio, ad dictum opus exercendum, in dies magis augeatur, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, supplicationibus quoque Dilecti Filij, Francisci Diaz à Sancto Bonauentura, Commissarij Generalis Curiæ pro Vltramontana Familia, dicti Ordinis nomine, Nobis super hoc humilitèr porrectis, inclinati.

§. 67. Omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratribus, & alijs Vniuersis Christi Fidelibus, vbiuis locorum existentibus, ac cum ijsdem Fratribus ad infrascripta cooperantibus, qui de Superiorum suorum licentia respectiuè, ac de consensu Ordinariorum locorum pueros, & adultos quoscumque Doctrinam Christianam, iuxta Decreta Concilij Tridentini docere, aut eidem, dum docetur, interesse consueuerint, si verè pœnitentes, & confessi Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, die Festo, ab eisdem Ordinarijs in Ecclesijs, in quibus Doctrina Christiana docetur, semel in anno designando, refecti fuerint, plenariam: necnon ipsis, qui verè similiter pœnitentes, & confessi, dictum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut id facere non valentes, animo contrito Nomen Iesu saltem corde, in mortis articulo, deuotè inuocauerint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditèr in Domino concedimus.

§. 68. Prætèrea illis, qui pariter verè pœnitentes, & confessi, semel quolibet mense Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint septem annos, & totidem quadragenas; Qui verò in causa fuerint, vt pueri, famuli, aut quæuis aliæ personæ ad Doctrinam Christianam eant, ducentos dies; & qui diebus Stationum Almæ Vrbis nostræ, hanc doctrinam, in Ecclesijs, aut Oratorijs, de Ordinariorum licentia docuerint, ac etiam illi, qui ad eandem discendam accesserint, easdem Indulgentias consequantur, quas consequerentur, & consequi possent si Ecclesias Stationum eiusdem Vrbis personaliter

tur


ter visitarent; Easdem etiam Indulgentias Visitatores Scholarum Doctrinæ huiusmodi, qui ,ex commisso sibi officio, visitabunt illas Scholas, quas illo die visitare poterunt, consequantur, si peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistię Sacramentum sumpserint.

§. 69. Insuper illis, qui diebus feriatis hanc Doctrinam Christianam, aut publicè, aut priuatim, vt præmittitur, explanauerint, centum dies: necnon omnibus, & singulis Præceptoribus, qui diebus Festiuis Discipulos suos ad Doctrinam Christianam duxerint, eosque illam docuerint, septem annos: Et qui diebus Feriatis in proprijs Scholis eandem Doctrinam explicauerint, aut collationes fecerint, licèt illo die non interuenerint in aliqua Schola, docendi causa, septem annos; omnibus autem, & singulis Patribus, & Matribus familias qui in suis Domibus liberis, famulis, & familiaribus vtriusque sexus, Doctrinam similiter explicauerint, qualibet vice id fecerint, centum dies.

§. 70. Item ijs, qui per Ciuitates, Terras, & alia loca viros, mulieres, aut pueros, ad dicendum eandem Doctrinam Christianam, docendi causa circumierint, septem annos; ac etiam, qui extra Ciuitates ad illam, vt præfertur, docendam, per Castra, & Villas, exeunt, decem annos; omnibus, & etiam singulis Christi fidelibus, qui per mediam horam Doctrinæ prædictæ, aut discendi, aut docendi causa studuerint, aut eidem Doctrinæ interfuerint, centum dies; Eisdem etiam, qui Doctrinam prædictam docere solent, si Infirmos visitauerint, quotiès id fecerint, ducentos dies de iniunctis eis, seu aliàs quomodolibet per eos debitis pænitentijs, in forma Ecclesiæ consueta, relaxamus.

§. 71. Præsentibus, perpetuis futuris temporibus, valituris. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt si aliquæ aliæ Indulgentiæ prædictis Fratribus, præmissa peragentibus, à Nobis; vel Prædecessoribus Nostris ad tempus, nondum elapsum, vel perpetuò duraturæ, concessæ fuerint, præsentes nullæ sint; Vtque earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici, vel Secretarij Generalis dicti Ordinis subscriptis, & Sigillo Ministri Generalis eiusdem Orpinis, vel alterius Personæ in Ecclesiastica Dignitatæ constitutæ, munitis, eadem prorsus fides vbique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 30. Maij 1686. Pontificatus nostri anno Decimo.

I. G. Slusius.



DIST.

# DISTINCTIO XIV.

*Afferuntur aliæ Constitutiones Apostolicæ, obseruandæ à Patribus Missionarijs, tàm quoad nouas Fundationes Collegiorum, quàm quoad praxim Facultatum, & Priuilegiorum.*

§. I.

STatuto Apostolico manet præscriptum, prout vidimus *Dist.* 11. §. 21. quod Missionarij huius Missionis, licitè vti valeant Constitutionibus Apostolicis, quæ Paupertatem Seraphicam illæsam relinqunt, & vllam Regulæ dispensationem minimè continent. Manet etiam commendata §. 34. *eiusdem Dist.* quędam Sanctæ Sedis Constitutio, specialiter pro directione nonnullorum Missionariorum expedita, cuius notitia, non parum proderit ad assumptum præsentis Distinctionis. Cæterum priusquam tenorem eiusdem exhibeamus, expediens erit, hic expendere modum capiendi Loca in Ciuitatibus, & ædificandi noua Collegia, secundum intentionem B. Francisci, quæ in Speculo vitæ eiusdem Sancti Patriarchæ, & Sociorum, *Centur.* 1. *cap.* 10. expressa reperitur, per hæc verba.

§. 2. [Quodam tempore, cum esset apud Senas, pro infirmitate oculorum, dixit ei Dominus Bonauentura, qui dederat Terram Fratribus, in qua Locus fuit ædificatus. Quid tibi videtur de loco isto, Pater? Et ait illi Beatus Franciscus: Vis vt dicam, quomodo Loca deberent ædificari Fratrum? Respondit ei, Volo Pater: & dixit Beatus Franciscus: Cum Fratres vadunt ad aliquam Ciuitatem, vbi Locum non habent, & inueniunt aliquem, qui velit eis dare terram, quòd possint Locum ædificare, & habere Hortum, & omnia necessaria: Primò, debent considerare, quanta terra sufficiat eis, attendentes semper Sanctam Paupertatem, & bonum exemplum, quod tenemus in omnibus exhibere. Hoc autem dicebat, quia nullo modo volebat, quòd Fratres in domibus, quibus vtebantur, modum excederent Paupertatis, nec aliqua Loca iure propriè tatis possiderent; sed in eis semper, tanquam Peregrini, & Aduenæ morarentur. Et propterea volebat, *vt Fratres non in magna quantitate in Locis collocarentur, quia sibi difficile videbatur, in magna multitudine Paupertatem seruari.* Et hæc fuit intentio eius ab initio suæ Conuersionis, vsque ad finem, vt Paupertas in omnibus seruaretur.

§. 3. Considerata ergo Terra, Fratribus necessaria pro Loco; deberent ire ad Episcopum illius Ciuitatis, & dicere ei: Domine, talis homo vult dare Nobis tantam Terram amore Dei, & salutis animæ suæ, vt possimus Locum ibi ędificare. Vndè ad vos recurrimus, primo, quia estis Pater, & Dominus animarum totius Gregis, vobis commissi, nostrarum, & omnium Fratrum, qui morabuntur in Loco. Volumus ergo, cum benedictione Dei, & Vestra ibi ædificare. Hoc autem dicebat: *quia fructum, quem Fratres volunt facere, melius peragunt cum pace Clericorum, lucrando eos, & Populum, quàm scandalizando eos, licèt populum lucrentur*, & ait: *Dominus nos vocauit in adiutorium Fidei suæ, & Prælatorum, & Clericorum Sanctæ Ecclesiæ; Et ideò tenemur, quantum possumus, ipsos semper diligere, honorare, & venerari. Nam vocamur Fratres Minores, quia sicuti nomine, ita exemplo, & opere, præ cæteris hominibus huius sæculi, humiles esse debemus*; & quia ab initio meæ Conuersionis, posuit Dominus in ore Episcopi Assisij Verbum suum, vt mihi consuleret benè, & confortaret in seruitio Christi, propter hæc, & alia multa, excellentiam, quam in Prælatis considero, non tantùm Episcopos; sed pauperculos Sacerdotes volo diligere, & venerari eos, & tene-

Yyyy re

re eos pro meis Dominis.

S. 4. Deinde accepta benedictione ab Episcopo, vadant, & faciant mitti magnam Carbonariam in circuitu Terræ, quam pro Loci ædificatione acceperunt, & ponant ibi bonam sæpem pro muro, in signum Sanctæ Paupertatis. Postea faciant Domos fieri pauperculas ex luto, & lignis, & aliquas Cellulas, in quibus Fratres aliquando possint orare, & laborare, pro maiori honestate, & vitanda ociositate; Ecclesias autem paruas fieri faciant. *Non enim debent facere fieri magnas Ecclesias, causa prædicandi populo, nec alia occassione, quoniam maior est humilitas, & melius est exemplum, cum vadunt ad alias Ecclesias prædicare.* Et si aliquando Prælati, & Clerici, & Religiosi, vel Seculares ad loca ipsorum venerint, *Domus pauperculæ, & Cellulæ, & Ecclesiæ paruulæ eorum, prædicabunt illis, & ipsi ædificabuntur plus de hoc, quam de verbis*, & ait: *Multoties Fratres faciunt fieri ædificia, rumpendo Sanctam nostram Paupertatem, in murmurationem, & malum exemplum proximorum*: & quandoque occasione melioris, & sanctioris Loci, & melioris concursus populorum, propter cupiditatem, & auaritiam, dimittunrur illa Loca, & ædificia, vel destruunt ea, & faciunt alia magna, & excessiua. Vnde illi, qui dederunt Eleemosynas ibi, & alij hoc videntes, scandalizantur plurimum, & turbantur. Quapropter melius est, vt faciant Fratres parua, & paupercula ædificia, obseruando Professionem suam, & dando bonum exemplum proximis, quàm faciant contra Professionem suam dando malum exemplum alijs. Nam si Fratres dimitterent aliquando paupercula Loca, occasione honestioris Loci, minus scandalum inde esset.] Hucusque Speculum præfatum, de mente Seraphici Patris, quoad nouas Fundationes. Sequitur nunc præmemorata Constitutio, cuius testor est.

## Innocentius Papa XI.

*Ad futuram rei memoriam.*

Ecclesiæ Catholicæ regimini per abundantiam Diuinæ Bonitatis, nullo licèt meritorum nostrorum suffragio, Præsidentes, ea, quæ à Superioribus Regularibus, ad Religionis, bonorumque operum incrementum, & animarum salutem piè, prudenterque Instituta, atque ordinata esse noscuntur, vt firma semper, atque stabilita persistant, Apostolici muniminis, cum id à Nobis petitur, præsidio, libenter corroboramus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius, Franciscus Diaz à S. Bonauentura, Charissimi in Christo Filij nostri Caroli, Hispaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus, ac pro Vltramontana Familia Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci, de Obseru. nuncupatorum, in Romana Curia Vice-Commissarius Generalis; quòd Dilectus etiam Filius, Marcus Zarzosa, Commissarius Generalis eiusdem Familiæ Vltramontanæ, litteras Patentes, super Institutione noui Seminarij, in Prouincijs Portugalliæ, dicti Ordinis, pro Frarribus eiusdem Ordinis, qui ibidem Missionibus ad animarum salutem operam dare debebant, cum diuersis Capitulis, & Ordinationibus edidit, tenoris, qui sequitur videlicet.

S. 6. Frater Marcus Zarzosa, Lector Iubilatus, totius Ordinis Seraphici P. N. S. Francisci, in hac Cismontana Familia, Commissarius Generalis, & Seruus. Dilecto Nobis in Christo P. Fr. Emanueli à Conceptione, Prædicatori, Missionario Apostolico in Nostro Seminario S. Antonij de Varatojo, in Regno Portugalliæ, salutem in Domino Nostro Iesu Christo, & consolationē in Spiritu Sancto Sempiternam. Cum Illustrissimus Pater Fr Ioseph Ximenez Saminiego, dignissimus hodie Placen. Episcopus, olim totius Nostri Ordinis Generalis Minister meritissimus, per suas Patentes litteras, obtenta Sanctæ Sedis Apostolicæ, confirmatione, venerabili admodum P. Fr. Antonio à Plagis, celeberrimo in dicto Regno Prædicatori

tori Missionario Apostolico, Conuentū S. Antonij de Varatojo in nostra Algarbiorum Prouincia segregatum, ac in prędictum Seminarium Missionariorum, sub immediata Nostri Ordinis Generalium, ex dicta familia eligendorum, obedientia erectum, sub certis, in ijsdem litteris contentis, Conditionibus, & Ordinationibus, concesserit; suoque plenario effectu sequuto, præfatus Venerabilis Pater dum viueret, ex certis rationabilibus causis, motus, prædictum Seminarium ad Oppidū de Setuuàl in Transtagana Prouincia obtentis licentijs, nouo constructo Seminario, transferre decreuisset: Ex quo fit, vt ad Prouincias Interamnensem maximè, & Transmontanam, in finibus dicti Regni consistentes, & innumerabili Populorum multitudine refertas, non promptus, immò difficilis sit, propter maximam locorum distantiam, itinerum asperitatem, Fluuiorumque, & Torrentium periculosum transitum, ex præfato, Seminario, Fratrum Missionariorum accessus: Vnde prouenit, & ex vastissima eiusdem Regni Portugallię, & Algarbiorum Populorum multitudine, vt ad præfatas Prouincias, post dicti Seminarij Erectionem, Missionarij peruenire non possent; sintque in alijs Prouincijs, Superioribus vicinis, permulta loca Sancto Missionum beneficio carentia.

S. 7. Ex quibus, & alijs animum nostrum mouentibus, singula pro comperto habentes, ac Missionum Sanctum exercitium permaximè Animarum saluti, experientia lata edocti, non tantùm proficuum, sed etiam necessarium, ad omnes Chisti fideles extendere summoperè cupientes, accedente maximè summo, huius operis desiderio, Serenissimi D. D. Petri Secundi, præfatorum Regnorum Regis, tèr maximè Incliti, Nobis suo Regio, & Catholico animo Significato, nouū Seminarium, sub Inuocatione, & Patrocinio Immaculatæ Deiparæ Conceptionis, in qualibet ex dictis Prouincijs, vel propè duximus constituendum: Quòd vt indubitata authoritate fiat, perpetuaque firmitate roboretur, præsentium tenore, Tibi, tuisque Socijs nostram Paternam Benedictionem, ac facultatem concedimus, vt ad prædictum opus, tanquam Deo gloriosum, animabus proficuum, ac nostro Ordini decorum, aggrediendum, à S. Sede Apostolica licentiam, ac confirmationem impetrare possis, ac valeas, & vt plus meriti Tibi, & Socijs tuis apud Deum, in cuius Vinea laborare intenditis, accrescat, in virtute S. Obedientiæ hoc SanctumOpus libentèr committimus, & mandamus. Sed quoniam experientia Magistra Nobis proposuisti, prædictas Seminarij Ordinationes, tàm ad purissimam, ac strictissimam Regulæ Nostræ obseruantiam, quàm ad commodiorem Missionum expeditionem, aliqua reformatione indigere, maturo super hoc habito consilio, sequentes Ordinationes, & Constitutiones à Te, & Socijs tuis, ac Successoribus, in construendo Seminario firmiter, absque dispensatione, nisi alitèr à prædicta Sancta Sede fuerit ordinatum, obseruandas proponimus, videlicèt.

S. 8. *Caput I. De Seminarij Constitutione, Gubernio, ac Dominio.* Seminarium construendum, erit quantum fieri poterit, Sanctissimæ Paupertati consonum, itaut Cellulæ potius mortuorum Sepulchra, quàm virorum habitacula; Dormitoria magis transitus ad Cellulas, quam deambulatorium videantur, & in omnī structura, & fabrica, non Cœnobij magnitudo, sed verè Pauperum Hospitium resplendeat. Omnis Suppellex etiam Sacra ex li[illegible]o, & lana tantùm erit. Habebit in inferiori parte, intra Clausuram, domum, cum honestis receptaculis, vbi hospites, tàm Regulares, quam Sæculares charitatiuè hospitentur, nullique sæculari, etiam Seminarij Patrono, nisi Episcopali dignitate fulgeat, ad Chorum, Dormitoria, Refectorium, & alias Officinas interiores aditus pateat; solùmque Regularibus, si id petant à Prælato, & duobus Fratribus de eius licentia, supradicta breuitèr ostendentur, ac in Refectorio præstabitur. Vt igitur meliùs omnis ad superiora ingressus arceatur, Scalarum Portæ erunt semper clausæ, pro quibus, & alijs Cellularum, & Bibliothecæ ostijs, apud singulos Fratres eiusdem formæ claues erunt, vt quilibet omnes aperiat, & claudat, & sic quoad ipsos sint semper apertæ, & quo ad alios semper clausæ, vt melius Religiosum Silentium, & solitaria vita custodiatur. In reliquis Offici-

ficinis diuersæ formæ claues deputentur.

§. 9. Et vt Seminarium, quantùm Domino adiuuante, possibile fuerit, ad Ordinis primordia reducatur, erit illius dominium totalitèr apud Construentem, & eius Successores: Cui, & vni eorum tenebitur quilibet Guardianus, initio triennij, intra mensem, claues principales Seminarij, in recognitionem dominij, sub pœna proprietatis, tradere; Et si ipse propter Dei amorem, Seminarium ad Fratrum hospitium vlterius concesserit, cum gratiarum actione Claues iterum recipiet; Sed si Patronus vltra quatuor leucas vixerit, etiam recognitionem per litteras ipsi significabit: nec claues ei realiter tradentur, nisi fuerit præsens in eodem loco; Et in singulis euentibus fiat istius diligentiæ terminus, in libro Communitatis à Guardiano, & à discretis subscriptus: Et quotiescumque Dominus Seminarij Fratres expulerit, liberè illud dimittant, & firmitèr in Domino fidentes, aliquod Sacellum derelictum petant. Dominium autem omnium mobilium Seminarij, si à dantibus non reseruetur, ad S. Sedem Apostolicam, iuxtà Iuris dispositionem transibit. Huiusmodi Seminarij Communitas, Generali ex Cismontana Familia assumpto, immediatè subsit: Solumque pro suffragijs Fratrum defunctorum, si placuerit, cum altero Seminario, vel viciniori Ordinis Prouincia Fraternitatem habebit. Communitas constabit, ex vigintiquinque Fratribus tantùm, ex quibus tres erunt Laici, cæteri autem Prædicatores, & Confessarij, quin dictus numerus vnquam augeri possit.

§. 10. *Caput II. De qualitatibus recipiendorum Fratrum, & Nouitiorum*, Fratres recipientur ex Regni Prouincijs: exteri enim minimè accipi poterunt: Idiomatis quippè, ac morum municipalium ignorantiam tàm ad Conciones, quàm ad Confessiones maximum, & perniciosum est impedimentum. Præter Spiritum, & zelum saluationis animarum, sint bonæ famæ, integræ vitæ, sanæ valetudinis, & talis ætatis, vt Missionum onera subire valeant, sanguinis impuri nulla labe, vel rumore laborent, sintque talis scientiæ, & prudentiæ, sufficientisque linguæ latinæ intelligentiæ, qualis ad tanti muneris executionem est necessaria: Quod per rigidum Discretorium examen vel notoriè, priùs constare debeat: Et qui in proprijs Prouincijs adhuc Prædicatores, & Confessarij non fuerint instituti, cum approbatione, & testimonio Discretorum, & Guardiani, post receptionem, à Generali instituentur: Fratres verò Laici non recipiantur, nisi habentes prædictas qualitates, suo statui respectiuè conuenientes. Receptio autem fiat cum litteris Guardiani Seminarij, Prælato Locali Fratris recepti directis, qui statim absque vlla mora ipsum, cum libris proprij vsus remittere, & postea proprio Prouinciali prædictas litteras receptionis dirigere tenebitur.

§. 11. Et vt à Sancto Missionum opere Operarij minimè auertantur, mandamus in virtute Spiritus Sancti, sub pœnis inobedientiæ, Excommunicationis maioris, priuationis Officiorum, & Dignitatum, ac inhabilitatis ad obtinenda Officia, ipso facto incurrendis, omnibus, & singulis Prælatis, & Religiosis Nostri Ordinis, etiam cuiuscumque Reformatæ, & Discalceatorum Prouinciæ, vt nullo modo directè, vel indirectè per se, vel interpositam Personam, Religiosos, volentes ad prædictum Sanctum opus transire, impediant, aut auertant, ne Diuinam inspirationem, & vocationem sequantur. Die prima cuiuscumque ingressus, fiat terminus receptionis à Guardiano, Discretis, & à Fratre recepto subscriptus, cũ declaratione, quod primo anno ingressus, ad Missiones non mittetur, nec votum in electione Prælati habebit; Sitque velut probationis annus, vt de recepti Fratris sufficientia constare melius possit; & si intra annũ de illius insufficientia constiterit, ad propriã Prouinciam remittetur, & ibi sub dictis pœnis recipietur: quia non decet ad tanti ponderis Ministerium incapaces Ministros, cum tanto animarum periculo, Ordinisque Nostri dedecore, exponere.

§ 12. Guardianus, cum approbatione Discretorum, poterit Nouitios intra prędictum numerum recipere; dummodo prędictas qualitates respectiuè, & cæteras Constitutionum Generalium habeant, ostendantque veram, & probatam vocationem, sciant qualitatem vitæ recipiendæ, quam ipsis ante habitus receptio-

tionem Magister Nouitiorum declarabit. Vigesimum primum ætatis annum excedant, ac talis sint scientiæ, vt transacto Choristatu, statim Prædicatores, vel Confessarij tutò institui possint. In primis tribus annis post professionem, nullo modo instituentur; sed indispensabiliter sub Magistri Nouitiorũ disciplina erunt: nec à Seminario ad aliquid foris mittentur, excepta vrgentissima causa; vt ita pleniùs vitiosi habitus exuantur, & induantur Virtuosi: quibus transactis, cum simili testimonio approbationis à Generali instituantur.

§. 13. *Cap. 3. De Electione Guardiani, Præsidis, & Discretorum.* Electio Guardiani fiet à Generali, siue ab eius speciali Commissario, ex tribus eiusdem Seminarij Fratribus, per secreta suffragia omnium Prædicatorum, & Confessariorum, in tribus scrutinijs, canonicè eligendis, & ipsi præsentandis; nullusque poterit eligi ante quatuor annos completos post institutionem, à die Datæ litterarum computandos, aut assistentiæ in Seminario (quoad Fratres ex Prouincijs receptos) eius officium per Triennium durabit, nisi alitèr Generali tantùm, & non Visitatori, in medio Triennij, ex Causa videbitur. Præses, qui simul erit Nouitiorum Magister, eligetur vnus, cum simili annorum qualitate ad id idoneus, per Vota noui Guardiani, & Discretorum, & si fuerint numero pares, antiquior Missionarius in Seminario præsens, dubium dirimat.

§. 14. Discreti erunt quatuor, quorum vnus erit Præses Seminarij; Cæteri tres à Guardiano, Præside, & Discreto antiquiore coram Generali, seu eius Commissario, ante noui Guardiani electionem eligetur. Quandocunque cõtigerit Guardiani obitus ante Triennij finem, tenebitur Præses, die vigesima post obitum, Fratres omnes ad electionem, vt supra conuocare, & electos statim Generali præsentare, vt vnum nominet, qui similiter per Triennium durabit, & eodem modo electus per renunciationem. Præsidis autem, & Discretorum officium, sine noua electione ad id tempus extendetur; In absentia Guardiani, & Præsidis, antiquior Discretus in Communitate præsidebit. Antiquitas autem inter Fratres secundum annos habitus, quin aliqua alia Dignitas, vel præeminentia consideretur, computabitur: Generalis per se, vel Commissarium bis in Triennio visitabit, prima vice in medio illius, secunda in fine, vt electioni assistat, ad quod tẽpestiuè à Guardiano certior fiet.

§. 15. *Cap 4. De Paupertate strictissimè seruanda.* Præter purissimam in reliquis Regulæ nostræ omnimodam obseruantiam, Sanctam Paupertatem studeant Missionarij, ante omnia præ oculis habere, omnem cogitatum in Domino, & non in hominibus ponentes, qui Operarijs suis deesse non potest: à totali Terrenorum ambitione omnino abstineant; Et vt omnis aditus illi præcludatur, nulloque modo pecuniariæ elemosynæ recipiantur, non habebit Seminarium Syndicũ Apostolicum, & quę fortè ad illius structuram offerentur, constituetur Procurator à dantibus, qui ipsorum nomine eas expendat: Nunquàm tamen Fratribus licebit tales eleemosynas petere, sed tantùm rem necessariam in specie, quamuis emenda sit, nec prætium ei facere, nec quantum possibile fuerit, propter scandalum, emptioni interesse. Nullo modo habebit annuales redditus, cuiuscumque sint speciei, nec prætextu farinæ, aut vini ad Missę Sacrificium, sed tantùm tempore necessitatis præsentis, vel proximè imminentis, humilitèr, & fidelitèr in Domino, iussu Prelati, & non alitèr, necessaria petantur. Frumentum, Vinum, & Horreum, & Cellaria fiant, nullo modo petantur: neque frumentum etiam spontè oblatum, accipiatur; Vinum tamen, & Oleum si offeratur, recipi poterit, & seruari; imò etiam Oleum, Legumina, & Pisces sicci ab aliquibus deuotis Personis tempore Collectionis peti debent; extrà Missiones tamen.

§. 16. In quibus, neque prætextu ipsarum, nihil petatur; nec spontè oblatum recipiatur, præter quotidianum victum, & hoc moderatum, abstinendo à cibis superfluis, & delicatis, ne verbum Dei venale, & Missionum opus ad delitias institutum videatur. Et omnes Fratres in termino ipsorum ingressus, & professionis in manibus Prælati, iurabunt, se nunquàm Syndicum habituros, seu admissuros. Habitus præter Regio-

nis frigora erit vna Tunica cum Capuccio consuto, & altera sine Capuccio, ex vili Sacco, cinericij coloris, & in forma Generalium Constitutionum factus, quē Fratres, quantum fuerit possibile, repeciabunt, nec aliter nouum admittent, nisi veteri omninò attrito. Sandalia ex ligno, & corrigijs conficientur, quæ ad superiora Seminarij non deferent Fratres, sed omninò excalceati, nisi infirmitate cogantur, incedant. Ad remotas verò peregrinationes, Sandalijs ex Corio vti poterunt, volentes. Lectulus erit nuda Tabula, vel cortex, cum pauperi tegumento, & pro ægrotis, & valetudinarijs culcitra palea, in quorum infirmitatibus, cum maxima charitate assistatur. Nulli Fratrum liceat, etiam leuia munuscula dare, vel recipere; Sed Prælato, & eius dispositioni omnia subsint, & eius nomine dentur, & recipiantur vniuersa: Nec cibum, aut potum priuatim habere.

§. 17. *Cap. 5. De forma viuendi intrà, & extrà Seminarium.* Omnes Fratres, nisi legitimè impediti fuerint, omnibus diebus indispensabilitèr Orationi mentali per duas integras horas vacent: Vnam post Matutinum, alteram post Completorium, breuem aliquam lectionem, pro meditationis materia, præmittendo: à die verò S. Crucis Maij, vsque ad diem S. Crucis Septembris, hora Orationis post Matutinum, habenda erit manè post Nonam: Et vt maneat aliquod tempus liberum ad studium, Missionarijs præcisè necessarium, dicatur Officium Diuinum absque vllo cantu, deuotè tamen, & cum distinctione non affectata, vt ab alterno Choro etiam vltimæ sillabæ percipiantur. Matutinum dicetur hora consueta in media nocte: Prima, Tertia, Sexta, & Nona in crepusculo matutino, & postea hora consueta Hebdomadarius Missam Conuentualem celebret: Vesperę & Completorium dicantur, tempore hiemali, secunda, & quinta hora post meridiem: Et tempore Verno, hora Sexta, Completorium recitetur. Sanctum Missæ Sacrificium, quotidiè in Seminario offeratur à Fratribus non impeditis, pro intentione, quam Christus in Cruce habuit, pro fælici Missionum progressu, ac pro Benefactoribus viuis, & defunctis: solùmque offeratur specialitèr, quando in Solemnioribus Festiuitatibus à Prælato Fratribus concessum fuerit; aut pro aliqua vrgenti necessitate ad ipsius dispositionem; ac quando suffragia pro Fratribus defunctis fiunt, quæ omnibus alijs præferri debent, tàm in Seminario, quàm extrà, & præter hunc casum, extrà Seminarium ad libitum Fratres celebrare poterunt: dummodo semper partem Sacrosancti Sacrificij pro necessitatibus Missionum Domino offerant, nullo vnquam accepto stipendio, sub pœna priuationis actuum legitimorum, & expulsionis à Seminario.

§. 18. Eodem modo, indispensabiliter singulis diebus non festiuis, insumant vnam horam post Vesperam in lectione, & conferentia Theologiæ moralis, explicando per Turnum aliquos Doctores melioris notæ, absque apostillarum scriptura: & post prandium per annum; & tempore silentij, post cænam per alteram horam circitèr, colloquētur honestè de Mystica Theologia, & de Animarum directione, vt ita non solùm arceantur vanę confabulationes, sed lucrētur tempus vtilitèr, vt residuum ad Studium, cuique necessarium, liberum maneat; si autem extrà actus Communitatis aliquis Fratrum vagando, aut inutilitèr confabulando reperiatur, pro prima vice à Prælato admoneatur, & deinceps pænitentiam agat ad ipsius beneplacitum. In his duabus Conferentijs assistant Choristæ tantùm ad ordinem, & in præsentia sui Magistri, nisi alibi occupati existant, vt tantummodò audiant, & discant, non vt doceant, & arguant, quia neque sub hoc prætextu debent cū Fratribus loqui; sed in maxima humilitate, & Silentio educari, donec Prædicatores, vel Confessarij non instituuntur. In omni loco intrà Seminarium, seruetur semper Silentium, submissa voce loquendo. In Cellulis autem, Dormitorijs, & Bibliotheca nullo modo confabulare, nec in alterius Cellula commorari, nisi ad petenda tantùm necessaria, & statim egredi, nec Fratre inscio, vel absente, Cellulam intrare, neque ab illa aliquid extrahere, sub pęna inobedientiæ, absque expræssa Prælati licentia, cuiquam liceat; & quando necessè fuerit, aliqua vtilia tractari inter Fratres, in superiori Claustro, vel alibi extrà Dormitoria similiter

ter submissa voce fiat, ne studio vacantes, impediantur, & Silentium violetur.

§. 19. Prælatus Seminarij mittat Missionarios binos, & binos per turnum ad Missiones, Terrarum districta eis assignando, & solùm ad Terras populatiores, vsque ad quatuor mittat, qui finita ibi Missione, bini, & bini diuidentur, ità vt, receptis vnis in Seminario, alij mittantur, ne in cultura Vineæ Dominicæ, Operarij vllo tempore desint. In quacumque Missione insument ad summum quinque Menses continuos, & reuertantur ad Seminarium, vt vires Spirituales, & Corporales recuperentur. In vnaquaque Missione præsideat semper Prædicator Missionarius, à Guardiano nominatus; prædicatio verò alternis diebus fiat, nisi aliquando necessitas aliud petat, sitque de Vitijs, & Virtutibus, maximè de agenda vera pænitentia, & de amputandis peccatorum occasionibus, cum tanta claritate, honestate, & euidentia Sermonis, vt à rudioribus intelligi valeat: Nullo modo acceptentur Conciones Festiuæ in Seminario, vt omnis occasio vagandi euitetur, nisi occasione Missionum, & petitionis eleemosynarum, ad quas petendum omnes per girum, sine exceptione, mittentur, itaut, in omni seruitio Communitatis, omnes, etiam Guardianus, quantum fieri possit, sint pares. Ad frequentiora autem mandata, sit vnus Donatus probatæ vitæ, & opinionis, qui nullo modo interiora Seminarij intrare poterit, nec Habitum genua excedentem deferre. Et ità nulli Fratrum, absque vrgentissima causa, Prælato nota, & euidenti necessitate à Seminario egredi liceat, neque licentiam ad id petere: nec Communitas ad Sociandos defunctos, vel publicas Processiones exibit.

§. 20. Fæminarum colloquia, etiam breuissima, vbique euitentur; Sed tantummodo ipsarum Confessiones audire, nullo intermisso alio Colloquio, licebit. Quia verò ex cultura Tertij Ordinis Pænitentiæ, maxima animarum lucra percipiuntur, debent Missionarij, tamquam Commissarij ipsius Ordinis, solicitam curā vbique gerere; poteruntque omnimoda Prælati Generalis authoritate, tam ad dispensandum in foro Conscientiæ, quàm ad absoluendum, & Monialium Ordinis Confessiones audiendum, extrà Seminarium vti. Prælatus autem ipsius vbique tam intrà, quàm extrà; quoniam verò cum Missionarijs, tam Seminarij iam erecti de Varatojo, quam huius erigendi sufficienter necessitatibus Spiritualibus prædictorum Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum subuenitur: Ne Sanctum Missionum opus ex multitudine paruipendatur, ac ex dissimili Missionariorum modo procedendi deturpetur (quod nòn semel accidisse dolendum est) non poterit in ipsis tertium erigi Seminarium; nec aliquis Fratrum nostri Ordinis, Missionarij munus extrà prædicta duo Seminaria, quocumque titulo, vel prætextu, deinceps exercere.

§. 21. Vt autem omnibus Missionarijs huius Seminarij sit cum eodem Habitu eadem forma viuendi, fiat statim certa Ceremoniarum norma, ex Ceremoniali Ordinis, & Reformatarum Prouinciarum desumpta: vt ab omnibus vniformiter, sub certis ibi exprimendis pænis (relictis Ceremonijs educationis cuiusque) infallibiliter obseruetur; & in reliquis hic non expressis, seruentur Statuta Generalia Ordinis, præsertim pro Recollectis Obseruantiæ, in hac Familia Cismontana edita: Cum quibus hoc simul statutis temporibus, vulgari idiomate, propter Fratres Laicos in Communitate legantur. Quicunque Fratrum hoc viuendi Institutum perturbare præsumpserit, aut Communitatis omnes actus sequi, vel Statuta prædicta obseruare noluerit, si semel admonitus progrediatur, nec trinam pænitentiam sequatur correctio, tamquam huius Instituti violator, turbator, ac destructor: si alibi professus fuerit, ad propriam Prouinciam remittatur: Professo autem in Seminario, Generalis requisitus, Prouinciam assignabit, quæ in altero ex prædictis euentibus, Religiosum expulsum, sub prædictis remissionis pænis recipere tenebitur.

§. 22 Quapropter, sub istis Constitutionibus, & Ordinationibus, præmissas Facultates, & Consensus Tibi, tuisque Socijs, & Successoribus respectiuè, quantum in Domino possumus, concedimus, & impartimur, ac Paternali affectu monemus, & mandamus, vt tamquam Christi Domini Milites strenui, sub vexillo Seraphici Patris Nostri Francisci, contrà Tar-

Tartareas potestates fortissimè dimicare procuretis, ac vt seduli, & Vigilantissimi Operarij à Vinea, & hæreditate Domini Nostri Iesu Christi, suo Sanctissimo, & Pretiosissimo Sanguine empta, pestissima Vitiorum germina eradicando, virtutum flores plantare sedulo curetis. Nō autem inermis ad istam militiam, & absque instrumentis, & adiutoribus ad hanc operationem proficiscaris: Nec etiam dilatio Constructionis Seminarij Dominicum opus retardare possit, præter libros ad tuum vsum destinatos, tibi libentèr concedimus vnum opus, ex omnibus tèr duplicibus Sanctorum Patrum, & Doctorum, quæ in Bibliotheca prędicti nostri Seminarij de Varatojo inueneris.

§. 23. Nec non, vt ad tuam Societatem tam ex eodem Seminario, quàm ex quacunque nostra Prouincia Fratres recipere, & vocare sub eadem forma, & pœnis in supradicto Capitulo Secundo contentis liberè possis, ac cum ipsis in aliquo Sacello derelicto in finibus dictarum Prouinciarum, vt indè ad Missiones exeatis, habitandi facultatem tribuimus, mandamusque, vt tamquam Prælatus ipsis præsideas, vel alius a Tè nominatus, donec erecto Seminario, Guardiani electio fiat: ac vt supradictis facultatibus omnibus respectiuè, cum Socijs tuis, perfruaris. Vt autem omnia supradicta inuiolabiliter obseruentur, omnes nostras litteras, ac Prędecessorum nostrorum in contrarium facientes, præsentium tenore abolentes, nullius roboris deinceps esse declaramus: Tibique, & omnibus Socijs tuis, ac Successoribus, etiam Sanctissimi P. N. Francisci benedictionem impartimur. Datum in hoc nostro Conuentu Vlisypponēsis Sanctæ Mariæ de Iesu, Prouinciæ Tertianorum in Lusitania, die 25. Ianuarij 1685. Fr. Marcus Zarzosa Commissarius Generalis. De mandato suæ P. Reuerendissimæ. Fr. Ioannes Aluinus Secretarius Generalis Ordinis. Loco ✠ Sigilli.

§. 24. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dilectus Filius, Petrus Marinus Sormanus, Minister Generalis Ordinis præfati litteras Patentes huiusmodi, die Tertia Maij proximè præteriti approbauerit, & confirmauerit: ac subindè Venerabilis Fr. Noster Alderanus, Episcopus Portuen. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Cybo nuncupatus, dicti Ordinis apud Nos, & Sedē Apostolicam Protector, easdē Patentes litteras, earumq; prçinsertam dispositionem, dictique Seminarij laudabile Institutum confirmauerit pariter, & approbauerit, suumque sortiri effectum præceperit, & mandauerit, imposito, omnibus ad quos spectat, salutaris Obedientiæ præcepto, vt illas inuiolabiliter exequantur, & executioni mandari faciant, pro vt in eorumdem Ministri Generalis, & Cardinalis Protectoris decretis desuper, dicta die tertia Maij, & die xxx. eiusdem Mensis respectiuè emanatis, continetur. Firmiora verò sint ea, quæ Apostolicæ Confirmationis patrocinio muniuntur. Nobis propterea supradictus Franciscus, Vice-Commissarius Generalis Curiæ, humiliter supplicari fecit, vt in præmissis opportune prouidere, & vt infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 25. Nos igitur ipsius Francisci votis hac in re quantum cum Domino possumus, fauorabiliter annuere volentes, eumque à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pęnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, præinsertas Patentes litteras, à præfato Marco, Commissario Generali editas, & à memoratis Petro Marino, Ministro Generali, & Alderano, Episcopo Portuensi Cardinale, & Protectore confirmatas, & approbatas, vt præfertur, cum omnibus, & singulis in eius contentis, & expressis, authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus: illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis, robur adjicimus, ac omnes, & singulos Iuris, & Facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus.

§. 26. Decernētes, easdē prçsentes, & prçinsertas Patentes litteras, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat,

ctat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, & ab eis respectiuè inuiolabiliter obseruari, sicque in præmissis per quoscunque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

§. 27. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit, Prouinciarum, & Ordinis Præfatorum, alijsuè, quibusuis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Priuilegijs quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis incontrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro pleuè, & sufficienter expressis, & ad Verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus; cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die xxx. Iulij MDCLXXXV. Pontificatus nostri anno Nono.

I. G. Slusius.

§. 28. Præmissum Breue, si attentè perpendatur, plura continet, quibus Missionarij Ditionum Regis Catholici suos queunt actus dirigere, non tantùm quo ad nouas Collegiorum erectiones, & Missionum exercitia; Sed etiam quoad Regulæ, ac Vitæ Euangelicæ puriorem obseruantiam. Idcircò tamen illud transcripsimus, & exhibemus in præsenti relatione, vt à Lusitanis Minoritis prę oculis habeantur ipsius clausulæ, & præsertim illa §.7. *Accedente maximè summo huius operis desiderio Serenissimi D. D. Petri Secundi, præfatorum Regnorum Regis ter maximè Incliti, Nobis suo Regio, & Cathol co animo significato, nouum Seminarium, sub Inuocatione, & Patrocinio Immaculatæ Deiparæ Conceptionis, in qualibet ex dictis Prouincijs, vel propè, duximus constituendum.* Ex hac enim particula liquidò apparet, quanti habita extiterit, tum apud Superiores Ordinis, tum apud Maiestatem Regis Lusitaniæ, & apud ipsam tandem Apostolicam Sedem propagatio, seu multiplicatio Collegiorum, Instituti Missionariorum in Prouincijs etiam illius Dominij.

§. 29. Eodem tempore emanauit pariter à Sancta Sede pro Prouincia Cathaloniæ, aliud Breue alterius innouatiui, sequentis tenoris.

## Innocentius Papa XI.

*Ad futuram rei memoriam.*

EXponi nobis nuper fecit dilectus Filius, Franciscus Diaz à S. Bonauentura, Charissimi in Christo Filij Nostri Caroli, Hispaniarũ Regis Catholici Concionator, & Theologus ac pro Vltramontana Familia Fratrum Minorum, Ordinis Sancti Francisci de Obseruantia nuncupatorum, in Romana Curia Vicecommissarius Generalis, quòd in Capitulo Prouinciali Prouinciæ Cathaloniæ dicti Ordinis, proximè præterito, anno 1684. celebrato, Conuentus S. Michaelis de Escornalbou nuncupatus, Fratrum Recollectorum nuncupatorum eiusdem Prouinciæ, pro Collegio, siue Seminario Fratrum Missionariorum erigendo, ad instar Conuentus Sancti Antonij de Baratojo, Prouinciæ Algaruiorum, in Lusitania, Ordinis prædicti designatus fuit, & hanc designationem totum Deffinitorium, atque Discretorium, tàm Fratrum de Obseruantia, quàm Recollectorum approbarunt; eique ab vnoquoque, manu propria subscriptum fuit. Quinimò Dilectus etiam Filius, Marcus de Zarzosa, Commissarius Generalis dictæ Familiæ, qui præfato Capitulo Prouinciali præsidebat, eandem designationem rite, ac legitimè confirmauit.

§. 31. Insuper, in præfato Capitulo Prouinciali stabilitum fuit, vt dictum Collegium Fratrum Missionariorum erigendum illis Statutis, quæ pro dicto Conuentu Missionariorum S. Antonij de Baratojo facta, & disposita, ac à nobis per quasd[illegible] nostras in simili forma Breuis, die 23. [illegible]mbris 1679 expeditas litteras, confir[illegible] reperiuntur, subiaceret. Ad-

ditis tamen aliquibus conditionibus, nimirum, quòd Fratres in dicto Collegio, seu Seminario commoraturi, eodem Habitu, quo ad formam, & colorem vtantur, quo Fratres Recollecti illius Prouinciæ vsi fuerunt huc vsque, aut vti poterunt in futurum; Et quòd eadem suffragia pro defuncto Prouinciæ in dicto Collegio, seu Seminario à Missionarijs fiant, quæ fieri solent ab alijs prædictæ Prouinciæ Religiosis; & fient indispensabiliter pro quolibet defuncto Missionario.

§. 32. Ac demùm, quòd si præfatus Conuentus de Escornalbou Fratribus Missionarijs aliquando non placuerit, is recollectioni dictæ Prouinciæ restituatur, nec alius eis à Fratribus Recollectis vnquam præstetur.

§. 33. Cum autem, sicut eadem Expositio subiungebat, Venerabilis Frater noster, Alderanus, Episcopus Portuensis, S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus, Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, prædictam Collegij, seu Seminarij Missionariorum erectionem, cum qualitatibus, & conditionibus supra expressis approbauerit, & confirmauerit, suumque plenarium sortiri effectum præceperit, & mandauerit. Dictus verò Franciscus, Vice-Commissarius Generalis Curiæ præmissa, quo firmius subsistant, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimùm desideret.

§. 34. Nos, ipsius Francisci, Vice-Commissarij Votis, hac in re, quantùm cùm Domino possumus, fauorabiliter annuere volentes, eumque à quibusuis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, alijsque Ecclesiasticis Sententijs, Censuris, & Pœnis à Iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati: ac supradictarum nostrarum litterarum tenorem præsentibus, pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto habentes, designationem, siue electionem dicti Conuentus S. Michaelis de Escornalbou, in Collegium, seu Seminarium Fratrum Missionariorum in dicto Capitulo Prouinciali, Prouinciæ Cathaloniæ factam, ac tam à Deffinitorio, & Discretorijs eiusdem Prouinciæ, quàm à memorato Marco, Commissario Generali, & Alderano, Episcopo, Cardinale, & Protectore approbatam, & confirmatam, vt præfertur (ità tamen, vt in eodẽ Collegio, siue Seminario tàm Statuta, à Nobis pro supradicto Conuentu S. Antonij de Baratojo, sicut præmittitur, confirmata, quàm aliæ Conditiones supra expressæ obseruari debeant) authoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus; illique inuiolabilis Apostolicę firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos, Iuris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus.

§. 35. Decernentes, easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectùs sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his, à quoquam quauis authoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari.

§. 36. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; nec non, quatenùs opus sit, Ordinis, ac Prouinciæ Cathaloniæ, & Conuentus præfatorum, alijsque quibusuis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Priuilegijs, quoque Indultis, & litteris Apostolicis, in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis.

§. 37. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 28. Septembris 1685. Pontificatus Nostri anno nono.

I.G. Slusius.

S.38.

§. 38. Nullum tamen effectum habuit præinsertum Breue, propter subsecutam non longè post Gubernij Prouinciæ Cathaloniæ, & Familiæ Vltramontanæ mutationem Regularem; nec non, quia P. Diaz, ad cuius instantiam concessum extiterat, executionis suspensionem Promotoribus erectionis ex eo suasit, quia cœperat paucos post Menses operã impendere solicitudini stabilimenti Instituti Missionum, in singulis Prouincijs Regnorum Hispaniæ, sub vna, eademque forma Habitus, & sub Statutis, & Regulamentis diuersis, ab Ordinationibus editis iampridem pro Seminario, seu Collegio S. Antonij de Baratojo in Lusitania; Vniformibus tamen pro omnibus Collegijs Prouinciarum Ditionis Maiestatis Catholicæ. Hinc obtento subinde præfato stabilimento, expresso in Constitutionibus Apostolicis, superiùs *Distin.* 11. *&* 12. transcriptis, & appositis in eisdem litteris Pontificijs Clausulis opportunis ad derogandum dispositionibus emanatis in contrarium (ad instantiam presertim ipsiusmet Patris Diaz, qui posteriores Constitutiones, cum præfato stabilimento, ea intentione conatus fuerat obtinere) Breue præmissum remansit sine vllo vigore.

§. 39. Virtute tamen vltimorum, quibus innititur nouum, ac præsens Institutum Missionum, pro Ditionibus Regis Catholici, Pater Linaz, è Alma Vrbe profectus, & ad præmemoratam Prouinciam Cathaloniæ perueniens; ibi in præfato Conuentu de Scornalbou Missionum Collegium instituit, in quo, nulla habita consideratione ad præcedens Breue particulare, introducta, ac stabilita est exacta posteriorum Constitutionum Apostolicarum obseruantia, quæ inibi vsque nunc viget, præsertim quoad determinationem relatam *Dist.* 11. §. 72. Idque non sine magno Animarum profectu, & ingenti populorum ædificatione. Postmodum verò pro maiori securitate Conscientiarum Alumnorum huiusmodi Instituti, & exactiori Obseruantia Ordinationis appositæ sub §. 84. *Dist.* 11. sequentia emanarunt à Sancta Sede Breuia Apostolica.

# Innocentius Papa XI.

*Ad futuram rei memoriam.*

§. 39. EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Franciscus Diaz a S. Bonauentura, Charissimi in Christo Filij nostri Caroli, Hispaniarum Regis Catholici, Concionator, & Theologus, ac in Romana Curia, pro Vltramontana Familia, Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum, S. Francisci de Obseruantia nuncupatorum, subiecta, Commissarius Generalis, quòd Priuilegia, Gratiæ, Concessiones, Fauores, & Indulgentiæ, etiam Plenariæ, ac Pœnitentiarum relaxationes, cæteraque Indulta Ordinibus, Congregationibus, Confraternitatibus, Domibus, Ecclesijs, Locis, Benefactoribus, ac omnibus, & singulis vtriusque sexus Personis obedientiæ, seu directioni prædicti Ministri Generalis Fratrum Minorum subiectis, olim ab Apostolica Sede concessa, seu communicata per plurium Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, & præcipuè per litteras fel. rec. Clementis VIII. incipientes: *Ratio Pastoralis*; de anno 1597. expeditas, ac Pauli V. quæ incipiunt: *Iniuncti nobis &c.* anno 1609. concessas, & Vrbani VIII. Romanorum Pontificum, Prædecessorum pariter nostrorum incipientes: *In plenitudinem*: Et tertio idus Maij 1625. datas, confirmata, & sub aliquibus modificationibus innouata fuerunt; Vnde præfatæ vtriusque sexus Personæ Obedientiæ, seu directioni dicti Ministri Generalis subiectæ, quibus memorata communicatio Priuilegiorum, Indulgentiarum, & Concessionum, tàm inter se, quàm cum alijs Ordinibus, Congregationibus, & Societatibus, etiam Iesu, ac Confraternitatibus concessa fuit, iuxta clausulas, & præscriptum dictarum litterarum Apostolicarum, & cum restrictionibus in illis appositis, & non aliter, ea vsæ fuerunt;

§. 40. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, vt præmissa firmius subsistant, & conseruentur, præfatus Fran-

Franciscus, Commissarius Generalis Curiæ prædictus, Clementis, ac Pauli, & Vrbani Prædecessorum litteras, cum clausulis in eisdem contentis, à Nobis innouari, & omnes aliorum Romanorum Pontificum successorum Concessiones, ad fauorem dictorum Ordinum, Congregationum, Confraternitatum, Locorum, Benefactorum, & aliarum vtriusque sexus Personarum prædictæ Obedientiæ, seu directioni subiectarum expeditas, Apostolicę Confirmationis nostræ patrocinio communiri, plurimum desideret.

§. 41. Nos, ipsius Francisci, Commissarij Generalis Curiæ votis, hac in re, quantum in Domino possumus, fauorabiliter annuere volentes, eumque à quibusuis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, alijsque Ecclesiasticis Censuris, & Pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E Cardinalium, Negotijs, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum consilio, & attenta relatione, quam Venerabilis etiam Frater Noster Alderanus, Episcopus Portuensis, eiusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, eisdem Cardinalibus super præmissis fecit, prædictas Clementis incipien. *Ratio Pastoralis &c.* ac Pauli, quarum initium: *Iniuncti Nobis &c.* & Vrbani Prædecessorum, quæ incipiunt: *In plenitudinem &c.* aliorumque Romanorum Pontificum successorum litteras, super pręmissis respectiuè emanatas, dummodò tamen sint in vsu, nec sint reuocatæ, aut sub aliqua reuocatione compræhensæ, Sacrisque Canonibus, ac Concilij Tridentini Decretis, ac posterioribus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Regularibusque Ordinis prædicti Institutis non aduersentur, authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus; salua tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

S. 43. Decernentes, easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his, à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

S. 43. Volumus autem, vt earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, vbique locorum, tàm in Iudicio, quàm extrà illud habeatur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 5. Septembris 1686. Pontificatus nostri, anno decimo.

I. G. Cardinalis Slusius.

§. 44. Post præmemoratam Constitutionem, aliud etiam Breue ab eodem Sanctissimo Innocentio Papa XI. fuit expeditum, præcedentium, & aliarum Constitutionum executoriale, Nuntio Hispaniarum, Episcopo Angelopolitano, & Scholastico Salamantino directum, cuius tenor est, prout sequitur.

## Innocentius Papa XI.

*Venerabiles Fratres, & dilecti Filij salutem, & Apostolicam benedictionem.*

S. 45. EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Frater Franciscus Diaz à S. Bonauentura, in Romana Curia pro Familia Vltramontana, obedientiæ, seu directioni Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum subiecta, Commissarius Generalis, quòd aliàs ad fauorem dilectorum Filiorum, vtriusque sexus Confratrum Cordæ Sancti Francisci emanarunt, non solum à di-

à diuersis Pontificibus Prædecessoribus nostris litteræ in forma Breuis expeditæ.

§. 46. Primò à felic. rec. Paulo Papa V. sub die 25. Septembris anni Domini 1607. incipientes sub Verbo: *Nuper* Secundò à recol. mem. Gregorio XV. sub die 27. Iunij, incipientes sub alio Verbo *Aliàs* &c. & continentes tenorem aliarum bo: mem: Sixti Papæ V. etiam Prędecessoris nostri: Tertiò ab eodem Gregorio XV. sub die 10. Nouembris anni eiusdem Domini 1622. incipientes sub alijs verbis: *Pias Christi*. Quartò à piæ memor. Alexandro Papæ VII. pariter Prædecessore nostro sub die 28. Iulij 1657.

§. 47. Deinde à Nobis, sub die 28. Iunij, ac postmodum sub die 5. Decembris anni eiusdem Domini 1686. quibus, inter alia, cõmunicãtur inter ipsos vtriusque sexus Tertiarios, & Confratres, seu cum alijs Tertiarijs, & Confratribus, ac Religiosis diuersorum Ordinum, & conceduntur, ac confirmantur diuersa Priuilegia, Statuta, Concessiones, & Indulgentiæ, illæ præcipuè pro recitatione Coronæ Beatę Mariæ Viginis, à dicto Paulo V. die 8. Iunij 1608. & pro Statione Sanctissimi Sacramenti, & exercitio Viæ Crucis, etiam à Nobis præuijs supradictis litteris, sub dictis diebus 25. Iunij, & 5. Septembris, vt præfertur impartitę, & innouatæ; sed etiam Decreta à Congregatione super Indulgentijs, & Reliquijs præposita, sub diebus 14. Ianuarij, & 15. Iulij 1681. formata.

§. 48. Et licèt à nemine litterarũ, Priuilegiorũ, Statutorũ, Cõcessionũ huiusmodi & indulgentiæ executio impediri valeat, etiam non obstantibus quibuscumque contradictionibus, vel oblocutionibus Superiorum quorumuis Ordinum, maximè in Angelopolitanam, & Mexicanam Diœcesibus; Nihilominius idem exponens, pro interesse, & idemnitate dicti Ordinis Minorum, cuius directioni pręfati Confratres, & Tertiarij sunt subiecti, & ad quem, vigore prælibatæ nostræ confirmationibus dictæ concessiones, & Indulgentiæ præfatæ extendnntur, debito frustrentur, effectu, Nobis humiliter supplicari fecit, vt eis in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 49. Nos igitur statum, & merita causæ, & causarum, litterarum, Priuilegiorum, Statutorum, ac Concessionum, & Indulgentiarum huiusmodi tenores, præsentibus pro expressis habentes, ipsumque exponentem à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, Censuris & pœnis à Iure, vel ab homine quauis occasione, vel Causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit: ad effectum pręsentium tantùm consequendum, harùm serie absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrę, attento, quòd sicut dictus exponens, asserit, agitur inter exemptos, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum, vocatis ad id, qui fuerint euocandi, ad dictarum litterarum, Priuilegiorum, Statutorum, Concessionum, & Indulgentiarum huiusmodi executionem, iuxta illarum, seu illorum seriem, & tenorem, prout de Iure authoritate nostra procedatis.

§. 50. Nos enim Vobis, & cuilibet Vestrum quot, & quoties fuerit opus citandi, illisque, & quibus videbitur sub Sententijs, Censuris, & Pœnis inhibendi ac inobedientes in illas incidisse, seruata forma Concilij Tridentini, declarandi, aggrauandi, reaggrauandi. & interdicendi, cæteraque in præmissis necessaria, & opportuna faciendi, exercendi, & exequendi plenam, & liberam Apostolica authoritate tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romę apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die 15. Maij 1688. Pontificatus nostri anno duodecimo.

F. Archiep. Epb.

§. 51. Huius Breuis vigore nouo roboratæ remanserunt munimine Apostolico Constitutiones in eo relatæ, & præcipuè illa præcitata, de die 28. Iunij 1688. in qua Tertiarijs Secularibus, ac alijs vtriusque sexus Personis obedientiæ, seu directioni Ministri Generalis Ordinis subiectis, in Domino suasum inuenitur: *Vt Via Crucis gressus, & deuotam illorum*

*gressuum meditationem more solito frequentent, atque ante, vel post cuiuslibet meditationis morulam consuetæ Sanctissimi Sacramenti Stationis Orationes recitent vt Indulgentias, quæ à Sancta Sede reuocatæ non fuerint, media hac diligentiarum commutatione, iuxta Summorum Pontificum Concessiones securè lucrari valeant.*

§. 52. Quæ limitatio ad solas Indulgentias, quæ *reuocatæ nō fuerint*, eas omnes Indulgentias excludit, quas Paulus V. reuocauit pro Regularibus, tria vota substātialia Religionis emittentibus; non tamen excludit alias personis similia vota nō emittentibus ante prædictam reuocationem concessas, & post Paulum V. ad Minores legitimè extensas, nec eas, quæ adhuc Romæ, & in locis Hierusalem pro omnibus Christi Fidelibus vigere, ac existere dignōscuntur, ad quas lucrandas opus sufficiat recitationis Stationis prædictæ cum, vel sine exercitio Viæ Crucis, in quod commutatæ sunt ceteræ omnes diligentiæ ad earum consecutionem primò præscriptæ: hæ quippe, vtpotè fidelibus cunctis inibi competentes, minimè sub Generali reuocatione præfata censentur comprehensæ.

§. 53. Tam huic, quàm præcedentibus Constitutionibus, ac Breuibus, alia accessit eiusdem Pontificis Constitutio, *Debitum*: incipiens, ad P. Diaz etiam humillimas preces, die 19. Maij 1694. expedita, in qua adest Statutum specificè pro S. Iacobi Alma Prouincia confirmatum, huius tenoris, *Omnimodaque adhibeatur cura, vt in cunctis Confraternitatibus erectis, seu erigendis, in Ecclesijs Conuentuum, seu Monasteriorum prædictæ Prouinciæ exercitium Viæ Crucis, & Orationis mentalis, quam citius stabiliatur, eoque introducto, Vna è Dominicis, seu diebus Festiuis, pro qualibet Mense à Superiore Locali, de assensu Discretorij Conuentus, seu Monasterij in perpetuum assignabitur, ad consequendam Indulgentiam Plenariam, nouissimè a Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XII. in Breui* Ad ea: *benignè concessam. Et quia Indulgentia Stationis Sanctissimi Sacramenti reuocata non sunt, ipsius recitatio quotidiana omnibus tam Fratribus, quàm Monialibus, & Tertiarijs Secularibus enixè commendatur.*

§. 54. Ex qua Clausula prædictæ Constitutioni inserta, liquidò debet depromi Indulgentias Stationis Sanctissimi Sacramenti eatenus reuocatas non esse, quia ipsa Statio est opus, in quod pro Nostratibus commutatæ sunt diligentiæ, aliàs pro eisdem à fidelibus obtinendis præscriptæ; & quia ipsæ Indulgentiæ, pro quarum consecutione facta est præfata commutatio, vel sunt concessæ omnibus Christi-Fidelibus, vel subsistunt pro Personis tria vota substantialia Religionis non emittentibus, cum quibus, vigore Indultorum emanatorum post Paulum V. Nos adhuc communicamus, prout, pro adipiscenda prædictæ Clausulæ Apostolica approbatione, plenius ostēsum est. Vnde iterum ex ipsa noua firmitas accrescit Indulgentijs Viæ Crucis, cum Statione Sanctissimi Sacramenti peractæ, seu frequentatæ.

§. 55. Ceterū, quia supradicta omnia solùm facere videbantur expressè pro Fratribus, ac Monialibus, & Tertiarijs Secularibus, nec non Confratribus directioni Primi Ordinis subiectis: Et quia non nulla alia vigebant dubia, circa communicationem reciprocam Priuilegiorum, & Indulgentiarum, de qua sermo est in præ relata Constitutione Innocentij XI. de die 5. Septembris 1686. Vt omnia tollerentur de medio, & Viæ Crucis exercitium cunctis fieret familiare, ac ob Indulgentias magis æstimabile, dignata est Sancta Sedes, nonnullas Declarationes, eodem P. Diaz instante expedire, per quas & dubia semouentur, & patenter ostenditur cunctos Christi-Fideles, qui in locis pijs Viæ Crucis, seu Caluarij vbique Terrarum à Nostratibus erectis, seu erigendis, Christi Passionē meditati fuerint, eas Indulgentias ibidem lucrari posse, quas lucrarentur, si eandem meditationem emitterent personaliter in locis Caluariæ Montis, seu Viæ Crucis existentis apud Hierosolymam. Series autem Vltimæ supplicationis ad id porrectæ, & declarationum est huiusmodi.

§. 56. Eminentissimi, ac Reuerendissimi Domini. Fuit antea expositum pro parte Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, Sanctitati Domini Nostri Innocentij Papæ XII. quòd aliàs; die nimirum 5. Septembris 1686 emanauerant à felic. rec. Innocentio Papa XI: litteræ in for-

forma Breuis : *Exponi nobis* ; incipientes in quibus confirmata reperiebatur communicatio, Priuilegiorum, & Indulgentiarum ,etiam Plenariarum, nondum reuocatarum , inter Ecclesias Loca , Confraternitates , Congregationes, Ordines & Personas vtriusque sexus obedientiæ, vel directioni Ministri Generalis Ordinis supradicti subiectas, eisdem à pluribus Romanis Pontificibus per diuersa Priuilegia concessa, à qua communicatione, prout iteratis vicibus à Sede Apostolica extiterat declaratum , resultare dignoscebatur , quòd quando decoratum reperitur Altare vnius Loci , vel vna Ecclesia, aut vna Confraternitas , seu quæuis Congregatio, Ordoue aliquarum è dictis Personis , concessione alicuius Indulgentiæ Plenariæ,applicabilis per modum suffragij, vel non applicabilis pro Animabus Purgatorij , nondum tamen reuocatæ , quam lucrari queant Christifideles, qui in eo loco , Altari , vel Ecclesia, diebus in ipsa concessione expressis , id perfecerint , quod per eam fuerit præscriptum ; tunc in omni Loco , Altari, vel Ecclesia, Confraternitatum , Congregationum , Ordinum , & Personarum præmemoratarum, eadem Indulgentia , ab omnibus respectiuè , acquiratur , qui eisdem diebus preces ibidem fuderint, quæ fuerint in concessione taxatæ.

§. 57. Cæterum , quia prætendebatur à non nullis , quòd in præfata Generali Communicationem comprehensa non venirent Loca, & Ecclesiæ Terræ Sanctæ , aliarumque partium Orientis existentium extra Hierusalem: Ideo eidem Sanctissimo fuit humiliter supplicatum, quatenus dignaretur huic Sac. Congregationi Concilij benignè committere , pro vt fecit , vt declararet , non esse exclusa præmemorata Loca , & Ecclesias Terræ Sanctæ , & multo minus aliarum partium Orientis , à Communicatione mutua , & reciproca , quæ includitur in ea generalitate amplissima , sub qua loquuntur Constitutiones Pontificiæ præfatæ , ad hoc , vt vi mutuæ Communicationis iam dictæ Indulgentiæ illis concessæ, & vsque modo non reuocatæ , obtineri valerent, sine vllo dubio , in alijs Ecclesijs Altaribus , & Locis Pijs , ac deuotis ritè spectantibus ad Personas præmemoratæ obedientiæ , vel directioni subiectas, attento quòd S. Sedis mens, fuit semper omnia huiusmodi Loca reddere æqualitèr condecorata , à fidelibusque Venerata , ob meritum æquale , vniforme , seu æquiualens, quòd sæpè dictæ Personæ in Dei , ac Sanctæ Ecclesiæ seruitio peragunt de continuo : Hæc autem Sac. Congregatio , vigore remissionis prædictæ , consideratis prius , quæ considerari debebant super hac re , Decretum edidit , quòd postea idem Sanctissimus approbauit , cuius tenor est , prout sequitur.

§. 58. Die 16. Iulij 1695. Sac Congreg. Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini interpretum , ad quam Sanctissimus Dominus Nostr supplicem hunc Libellum remisit pro Voto , perpenso Breui san.m. Innocentij XI. censuit , si Sanctitati suæ placuerit , præfata Loca , & Ecclesias Terræ Sanctæ , aliarumque partium Orientis , extra Hierusalem , esse comprehensa, seu comprehensas in dictis Priuilegijs , Indulgentijs, seruatis in omnibus, & per omnia , forma , & tenore præfati Breuis San. mem. Innocentij XI. Factaque per infrascriptum Secretarium de præmissis relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua Sac. Congregationis Sententiam approbauit die 27. Iulij 1695. G. Cardinalis Marescottus Pro Præf. Loco ✠ Sigilli R. Pallauicinus Secretarius.

§. 59. Verùm quia, post præfatum Decretum, dubitant non nulli , an mens Sac. Congregationis fuerit stabilire , quod Pia Loca Viæ Crucis, seu Caluarij , ad recolendam , seu meditandam Christi Passionem , à præmemoratis Personis , seu Ordinibus, ad instar stationum Caluariæ Montis , iuxtà diuersa etiam Priuilegia S. Sedis erecta , comprehensa sint in præfata mutua Communicatione ; Hinc exoratur benignitas EE. VV. ad hoc , vt dignentur expresse declarare , fuisse reuera de Mente sua , dicta loca comprehendere , nullum siquidem adest speciale motiuum ad ea excludenda , & pro Gratia Deus &c.

§. 60. Die 12. Nouembris 1695. Sac. Congregatio Eminentissimorum S R. E. Cardinalium Concilij Tridentini interpretum , attenta relatione P. Com-

Commissarij Generalis Curiæ, censuit (facto Verbo cum Sanctissimo) etiam Præfata Loca Pia Viæ Crucis, seu Calvarij comprehendi in Breui San. mem: Innocentij XI. ac proinde frui, & gaudere posse Indulgentijs, & Priuilegijs in eodem Breui contentis, & expressis, eius tenore seruato: Factaque per Secretarium de premissis relatione Sanctissimo, Sanctitas sua benignè annuit, & Sac. Congregationis sententiam approbauit die 15. eiusdem mensis Nouembris, ac iussit super prædictis omnibus Breue Apostolicum expediri. G. Cardinalis Marescottus Pro Præf. Loco ✠ Sigilli R. Pallauicinus Secretarius.

§. 61. Hac demum Sententia, seu declaratione stante, nihil iam remansit enucleandum, ad stabiliendam, pro cunctis fidelibus, Viæ Crucis deuotionem, Indulgentię quippè, quæ pro ipsis concessæ sunt Locis Montis Caluarij, alibi repræsentatis per Cruces, seu Eremitoria, ex quibus huiusmodi Via Sacra coalescit, omnibus notæ sunt, ex ipsarum Tabella transcripta, apud diuersos Auctores, præsertim apud Quaresmium in elucidatione Terræ Sanctæ *t. 1. l. 1. cap.* 4. & confirmata à Pio IV. in Constitutione *Diuina disponente*: In qua huiusmodi verba leguntur: *Id circò Indulgentias, & peccatorum remissiones, à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris Christi fidelibus, Cœnaculum prædictum Visitantibus, Concessas, ad Ecclesiam Sancti Saluatoris huiusmodi transferri, illasque, & alias, præsertim in quadam antiquissima Tabella, quæ apud Sanctissimum eiusdem Domini Nostri Iesu Christi Sepulcrum custoditur, descriptas, & à Beato Siluestro Prædecessore nostro, vt creditur, concessas, Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac insuper omnia, & singula Priuilegia Gratias, Facultates, Prærogatiuas, & Indulta, Guardianis, & Fratribus eiusdem Terræ Sanctæ pro tempore existentibus, à Sede Apostolica, & eius Legatis, hactenus concessa, vt vberiorem roboris firmitatem obtineant, per Nos confirmari, & approbari summopere desiderant. Quare præfatus Bonifatius Nobis humiliter supplicari fecit, vt Indulgentias Cœnaculum visitantibus concessas huiusmodi, ad Ecclesiam Sancti Saluatoris prædictam transferre, illasque, & in dicta Tabella descriptis, ac alijs Indulgentijs Fidelibus, Terram Sanctam visitantibus concessis; Nec non Priuilegijs, Prerogatiuis, Facultatibus, Indultis, & alijs Gratijs Guardianis, & Fratribus, alijsque fidelibus Terræ Sanctæ concessis, pro firmiori illorum subsistentia, robur Apostolicæ Confirmationis adijcere, & alias in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.*

§. 62. *Nos igitur &c. huiusmodi supplicationibus inclinati omnes, & singulas dictum Cœnaculum Visitantibus, & apud illud degentibus concessas, ad Ecclesiam Sancti Saluatoris prædictam, illamque pro tempore Visitantes, & apud eam degentes, Apostolica auctoritate tenore præsentium transferimus, & tàm illas, nec non in dicta Tabella descriptas, quàm alias quascumque, etiam Plenarias Indulgentias, & peccatorum remissiones Sepulcro prædicto alijsque Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, & Pijs locis ipsius Terræ Sactæ, ac illa Visitantibus Fidelibus, & apud illa degētibus: Et insuper omnia, & singula Priuilegia, Prærogatiuas, Facultates, Indulta, & alias Gratias Gubernatoribus, Guardianis, & Fratribus, alijsque Fidelibus Terræ Sanctæ pro tempore existentibus, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Sedem prædictam, vel eius Legatos, tàm in scriptis, quàm in viuæ vocis Oraculo, tàm in genere, quàm in specie, & alias quomodolibet hactenus concessa, Litterasque prædictas, & in eis contenta quæcumque, eisdem auctoritate, & tenore confirmamus, & approbamus, & Nihilominus, pro pattori cautela, illa omnia, & singula eisdem modis, & formis, quibus concessa fuerunt, de nouo perpetuò concedimus, & indulgemus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, omnesque, & singulos iuris, & facti defectus, si qui forsan interuenerunt in eisdem, supplemus, ac illa valida, efficacia fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & inuiolabiliter obseruari, ipsisque Gubernatoribus, Guardianis, Fratribus, & alijs Fidelibus in omnibus, & per omnia suffragari debere &c. decernimus, & declaramus.* Prædictum-

ta.

tamen genus indulgentiarum exigit, quòd qui eas sunt lucraturi, verè pœnitentes, ac Deo per gratiam coniuncti sint, & quòd vel sint tunc confessi, vel contristi firmum habeant propositum confitendi statutis à iure temporibus, sub qua forma plures adsunt concessiones, expeditæ à diuersis Romanis Pontificibus, pro non nullis alijs spiritualibus exercitijs, ac locorum piorum, & Ecclesiarum visitationibus:

§. 63. Sunt notæ præterea, ex Constitutitutione Sixti V. cuius initium *Votis ex quibus*: relata cum præcedenti, in Bullario Terræ Sanctæ apposito, in initio libri secundi præcitati, in qua sequens clausula reperitur. *Præterea de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi, vniuersis, & singulis vtriusque sexus Christifidelibus, etiā in infidelium seruitute detentis, verè pænitentibus. & confessis, qui Sanctissimum Sepulchrum Montem Caluariumm, ac Præsepe Sanctissimi Domini Nostri deuotè visitauerint, plenariam, nec non ijs, qui Monasteria, seu Regulares domos dicti Ordinis, illorumque Ecclesias, & Oratoria, tàm in dictis locis, quàm Constantinopoli, & alijs Ciuitatibus, & locis illarum partium in Domini Nostri Iesu Christi, & Beatæ Virginis Mariæ, ac Beatorum Apostolorum; nec non Beatæ Mariæ, AEgiptiacæ nuncupatæ, & Sancti Ioannis Chrysostomi Natiuitatum Festiuitatibus deuotè visitauerint, ac inibi pias ad Deum preces effuderint, quo die singularum festiuitatum huiusmodi id fecerint, Plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorū Indulgētiā, & remissionē, Apostolica auctoritate tenore præsētiū cōcedimus, & elargimur*

§ 64. Sunt denique notæ, & alicui tergiuersationi minimè suppositæ, ex breui San. mem. Innocentij Papæ XI. *Vniuersis*: incipiente, die 30. Septembris 1681 Pro Sancto Sepulchro, in eodem monte Caluario existente, solemniter expedito, in quo Pontifex prædictus omnibus Christifidelibus; *qui verè pænitentes, & confessi ac sacra Comunione refecti, Sanctum Sepulchrum huiusmodi deuotè visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia Heresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quoties id egerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem, quam etiam Animabus fidelium Defunctorum, quæ Deo in charitate coniunctæ ab hac luce migrauerint, per modum suffragij applicare possint*, misericorditer indulsit.

§ 65. Ne autem deficiat notitia præcitati Breuis *Ad ea*: incipientis, illud tandem hic transcribimus. Estque prout sequitur. Innocentius Papa XII. ad perpetuam rei memoriam. Ad ea, per quæ Animarum Christifidelium salus procuratur, libenter intendimus, & eorundem Christifidelium deuotionem, vt spiritualibus exercitijs feruentius incumbant, Cœlestium munerum elargitione, libenter fouemus, & incitamus: Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, supplicationibus quoque dilecti Filij Francisci Diaz à S. Bonauentura, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia nuncupatorū Definitoris Generalis; nec non Missionum pro Familia Vltramontana dicti Ordinis Procuratoris nomine, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis Fratribus, & Monialibus, ac alijs vtriusque sexus Personis, Ordinum, & Congregationum obedientiæ, seu directioni Ministri Generalis eiusdem Ordinis nunc, & pro tempore subiectis, ac etiam Christifidelibus, Confratribus, & Consororibus quarumlibet Confraternitatum & Societatum, siue sub Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, siue sub alio quolibet Titulo, seu Inuocatione, tā hactenus in eorundem Fratrum, ac Monialium Ecclesijs canonicè erectarum, quàm in posterum canonicè pariter erigendarum, qui per quadrantem horæ Orationi mentali vacauerint, pro qualibet vice centum dies.

§ 66. Qui per duos quadrantes continuos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensem dabunt operam, & verè pœnitentes, & confessi, Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam semel quolibet mense suorum peccatorum omnium Indulgentiam, & remissionem, quam per

modum suffragij Animabus Christifidelium, quæ Deo in charitate coniunctæ ab hac luce migrauerint, applicare possint, Apostolica auctoritate tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus.

§ 67. Insuper, quòd Fratres, & Moniales, ac vtriusq; sexus personæ huiusmodi orationi mentali, siue ( vt dicitur ) Viæ Crucis exercitio, ad quam, seu quod ratione eorum Regulæ, & Constitutionum quolibet die tenentur, operam dantes, prædictas omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pænitentiarum relaxationes proportionaliter lucrari, & consequi possint, & valeant, auctoritate, & tenore præfatis indulgemus. Præsentibus, perpetuis futuris temporibus valituris. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque.

§ 68. Volumus autem, quòd præsentium litterarum transumptis, seu exēplis, manu alicuius Notarij publici, vel Secretarij Generalis dicti Ordinis subscriptis, & Sigillo Ministri Generalis eiusdem Ordinis, vel alterius Personæ, in Ecclesiastica dignitate constitutæ, munitis, eadem prorsus fides vbique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die 24. Decembris 1692. Pontificatus Nostri Anno secundo.

I. F. Cardinalis Albanus.)

# DISTINCTIO XV.

*Expenduntur alia, quæ vltimum Complementum nouissimè præstitere stabilimento Sacri huius Instituti Missionum Apostolicarum.*

## §. I.

Vigore omnium præmissorum Breuium, & Decretorum Apostolicorum, nec non Statutorum Ordinis Seraphici, erecta, atque formata sunt, ab anno 1686. vsque ad hodiernam diem, in Prouincijs tam Hispaniæ, & Indiarum, quam Insularum Dominiorum Regis Catholici, plura Seminaria, seu Collegia Missionum: in ijsque omnibus exactè viget, tam Regula Seraphica, quàm Statutorum sui Instituti Obseruantia: & plures instruuntur Operarij Euangelici, qui Missionibus in partibus fidelium pro Sancta morum reformatione sedulò incumbunt, atque in dies aptiores redduntur, ad inuigilandum Conuersioni Infidelium.

§ 2. Crescente itaque numero Missionariorum, sub adeò perfecta forma viuendi, ipsamet Sacra Comgregatio de Propaganda Fide ad fauorem eorum, qui apud Indias Occidentales sub Commissariatu P. Linaz hoc munus prosequebātur, facultates Apostolicas eidem concessas, ad aliud Septennium, P. Diaz exorante, anno 1692. prorogauit, edito sequenti Decreto.

§. 3. ( Decretum Sacræ Congregationis Generalis de Propaganda Fide sub die 26. Augusti 1692. Referente R. P. D. Odoardo Cybo Patriarcha Constantinopolitano Sec. Sacra Congregatio censuit confirmari posse ad aliud Septennium Fratri Antonio Linaz, Præfecto, & Commissario Missionum Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci de Obseruantia, Facultates, concedi solitas Præfectis illarum Partium, cum potestate communicandi Fratribus suæ Commissionis, pro quibus iussit adiri Sanctum Officium; Datum ex Ædibus dictæ Sacræ Congregationis, die, & anno quibus supra. Non erit necesse extendere nouas Facultates, cum habeat antiquas, sed sufficiet,

ciet tantùm Decretum Confirmatorium. In Decreto autem addatur clausula sequens: Ad aliud Septemnium, à die, quo tempus præscriptum Facultatibus expirauerit, & vt ijs nullo modo vti possit extra fines suæ Missionis.)

§. 4. Tempore eodem, quo Facultatum huiusmodi prorogatio à Sancta Sede emanauit, alter è Socijs præmemorati P. Linaz, Fr. videlicet Petrus Sitjar, Sacræ Theologiæ Lector, & Missionarius eiusdem Collegij, qui se in Hispaniam contulerat, vt nouos Operarios in adiutorium præcedentium, in tam Sancto Ministerio indè asportaret, Selectis Viginti sex, & pro omnium transportatione, Rege Catholico expensas, de more pio, ministrante, ipse cum eisdem nouam Hispaniam est ingressus: præfatamque Missionem sui Collegij hac subsidiaria Virorum Euangelicorum prouisione amplificauit ad salutem Animarum. Pro qua, anno 1699. expensis eiusdem Regis, in augmentum, & auxilium eiusdem Missionis, alij Viginti Religiosi, è præmemoratis Hispaniæ Prouincijs, illuc transmissi sunt à P. Fr. Francisco Esteuez dicti Collegij de Queretero antea Guardiano, & actuali Missionario, qui huius sollicitudinis gratia, Hispaniam accessit, & exinde in hanc Almam Vrbem, se contulit, vt de statu, & spiritualibus necessitatibus prædictæ Missionis certiorem, & in formatam redderet hanc Sacram Congregationem.

§. 5. Exorta eodem tempore controuersia super illegitimitate translationis Collegij Missionariorum Prouinciç Castellç, & habito recursu, pro parte Missionariorum, eiusdem ad Reuerendissimum P. Ministrum Generalem Ordinis, noua huic Instituto accreuit hac occasione firmitas, seu roboratio Apostolica; pront apparet ex subsequentibus resolutionibus, quibus recursus tenorem præmittimus, & fuit huiusmodi: (Reuerendissime P. Minister Generalis totius Ordinis S.P.N. Francisci: P. Guardianus cęterique Fratres Missionarij Prouinciæ Castellæ exponunt Reuerendissimæ Vestræ Paternitati quòd (emanatis Apostolicis fel. record. Innocentij XI. Constitutionibus, pro erigendis in singulis Hispaniarum, Indiarumque prouincijs, Collegijs Missionariorum, qui ad formam earumdem Constitutionum, quoad regimen, nullius essent Prouinciæ, & Superiori Generali illarum partium, in quibus fuerint, sint immediatè subiecta, & in quibus triginta Fratres absque subsidio eleemosynarum pro Missis, & prædicationibus, possent honestè Vitam transigere) Apostolica authoritate, sicut & Ordinis Nostri, in Prouincia Castellæ erectus, seu assignatus extiterit pro huiusmodi Missionarijs, eorumque Collegio, Conuentus Sanctæ Marię de Oliua, in quo Oratores aliquot annis sunt demorati, vacantes continuò suo Missionum exercitio, cum Populi applausu, & fructu Animarum, donec longa experientia habita de comperta omnibus intemperie, & insalubritate aeris Regionis illius, supplicarunt Patribus Prouinciæ Castellæ, alium sibi assignari Conuentum, vbi non cum tam graui corporalis salutis dispẽdio liberiùs laboriosissimo suo Ministerio possent vacare.

§. 6. Cum autem prædicti Prouinciæ Castellæ Patres, sub prætextu annuendi precibus Oratorum, eisdem in commutationem dicti Conuentus de Oliua assignassent Conuentum de Tamajon eiusdem Prouinciæ; commutatioque huiusmodi realiter secuta fuisset cum multis defectibus, è quibus, tam ex Iure, quam memoratis Apostolicis Constitutionibus, necessariò resultarat nullitas actus: præmemorati Oratores reclamarunt incontinenti ad Reuerendissimum Patrem Commissarium Generalem Vltramontanæ Familiæ, protestando de nullitate mutationis iam factæ, petendoque incontinenti restitui sibi antiquum Conuentum de Oliua, vel dari sibi æquiualentem, in quo ad formam Apostolicarum Constitutionum triginta Fratres Missionum Ministerio valerent incumbere. Cæterũ cum (dicto Reuerendissimo P. Commissario Generali nolente circa hoc Oratorum necessitati occurrere, eosdem statim restituendo in integrum; sed per interlocutoriam sententiam differente negotium huiusmodi vsque ad Prouinciale Capitulum) Oratores sine notabilissimo Missionum præiudicio, & impossibilitate morali duorum adhuc annorum spatio reperiendi necessaria ad sustentationem suæ natu-

naturæ, in dicto Conuentu de Tamajon viderent se non posse subsistere, appellarunt à grauamine ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, sub cuius protectione eiusmodi Missionariorum Collegia noscuntur manere, imo & ad Sanctissimum D. N. Romanum Pontificem; petentes ad effectum huiusmodi à sua Reuerendissima Apostolos necessarios, quibus iterum, atque iterum petitis, & negatis; tandem iudicauerunt de Communi Missionariorum consilio, & assensu, Causam hanc in gradu appellationis primò pertinere ad Tribunal Reuerendissimæ Vestræ Paternitatis, & propter hoc sibi licitum esse, Vnum de Commissionarijs suis mittere ad Almam hanc Vrbem, qui prædictam appellationem (seruato ordine in recursu appellationis per Apostolicam Sedem stabilito seruando) ad iudicium Reuerendissimæ Vestræ Paternitatis deferret.

§. 7. Vnde coram Reuerendissima Paternitate Vestra comparentes in Persona Procuratoris, à se ad effectum supradictum destinati, appellant ijdem Oratores coram Reuerendissima Vestra Paternitate à supra relato grauamine, in commutatione facta sui Conuentus, & ab interlocutoria Reuerendissimi P. Commissarij Vltramontani, tamquam irreparabili, vel quasi irreparabili, protestando de nullitate sæpe dictæ commutationis Conuentus de Oliua, pro illo de Tamajon, quam sustinent attentatam, & omnino nullam, inualidamque fuisse, propter sequentia: *Primò*, propter dolū, qui interuenit, qui nulli patrocinari potest, & in quo decepti fuerunt in qualificatione sibi facta à Prouinciæ Patribus de Conuentu de Tamajon, qui nec hortum, nec hortalitia necessaria, nec aquam habet (prout eis relatum extiterat) sed omnia illa de foris, & pecunia debent procurari: Item, quòd contra dictam qualificationem, quòd ibi essent sufficientes Cellæ, & aliæ officinæ sibi necessariæ, non reperiuntur nisi sexdecim Cellæ, absque Ecclesia, & Choro, congruo pro Missionum exercitio, officinis, loco pro Nouitiatu, alijsque necessarijs: Item, quòd eleemosynæ in illo loco non possunt reperiri, nec vnquam repertæ fuerunt pro triginta, sed ad summum pro quatuordecim Fratrum sustentatione, qui adhuc gaudebant eleemosynis Missarum, & prædicationum &c.

§. 8. *Secundò*, quòd ab intollerabili incommodo frigoris (propter quod aliàs Diffinitorij Patres cum Religiosis ibidem commorantibus dispensare solebant in frequentatione Matutinorum de nocte) Missionarij non possint de nocte assistere Matutinali Officio, apud eosdem omnino indispensabili.

§. 9. *Tertiò*, quòd Missionarijs Conuentum de Tamajon assignando, fit Missionem in Castella destruere, vnde per consequens assignatio huiusmodi Conuentus validè admitti non potuit, sine consensu, vel Apostolicæ Sedis, quæ Missionariorum Collegium ibi erigi voluit: vel beneplacito Sac. Congregat. de Propaganda, ad quam causa hæc singulariter pertinere dignoscitur.

§. 10. *Quartò*, quia, cum rerum commutandarum valor debeat esse vtrinque æqualis, Conuentus de Tamajon notabilissimè deterior in omnibus reperitur, quàm Conuentus de Oliua.

§. 11. *Quintò*, quia commutatio prędicta fuit substantialiter defectuosa, à carentia consensus legitimi illorum, qui requirebantur: de Iure: factus est enim in absentia nouem Communitatis membrorum essentialium, & vno dissentiente de præsentibus, idque post quam (præsentibus omnibus) talis commutatio propter negationem Suffragiorum, nullatenus executioni mandari potuerat.

§. 12. *Sextò*, quia ad commutationem prædictam non concurrit, nec rogatus fuit Pater Commissarius Missionum, nec ipse (ad quem in Persona, vel suo subdelegato ipsius spectat erectio, conseruatio, & consequenter commutatio Collegiorum, sub nullitate agendorum incontrarium, ex clausulis irritantibus in supradictis Apostolicis Constitutionibus expressis) in illa non consensit.

§. 13. *Septimò*, quia nòn fuerunt seruata multa alia de Iure seruanda, inter quæ hoc Vnum, quòd integra Missionariorum Communitas, per tres Vices diuersas ad Campanæ sonitum conuocata, & congregata non fuit ad deliberandum, & consulendum, an dicta commutatio esset expediens, & vtilis ad exercitia Missionario-

Missionariorum, eorumque conseruationem.

§. 14. *Octauò*, quòd in tantæ importantiæ negotio, ex quo dependet prosperum Missionariorum Gubernium, & conseruatio laudabilissimi Ministerij eorum, nullus actus fuit redactus in scriptis, sed omnia, quæ acta sunt, in voce tantùmmodo peracta fuerunt: Vnde omissis plurimis alijs, quæ in dicta commutatione actus inualiditatem fundarunt, supplicant Oratores supradictæ Reueren. Vestræ Paternitati, vt sibi dignetur iustitiam facere, declarando memoratam commutationem Conuentus de Oliua pro illo de Tamajon esse nullam, atque inualidam & cum effectu dictos Missionarios Prouinciæ Castellæ confestim restituendo in antiquo suo Conuentu de Oliua, & pro iustitia &c.

§ 15. Frater Matthæus à Sancto Stephano, Lector Iubilatus, ac totius Ordinis S. P. N. Francisci Minister Generalis, & Seruus. RR. ac plurimum nobis in Christo Dilectis P. Ministro Prouinciali & Diffinitorio, cæterisque Religiosis Prouinciæ Nostræ Castellæ Obser. salutem, & Pacem in Domino sempiternam.

§. 16. Cum recursu ad nos facto per dilectos nobis in Christo Patres, ac Fratres Collegij Nostri Missionariorum huius Almæ Nostræ Prouinciæ, in gradu appellationis, exposita fuerint nobis in retroscripto libello contenta, supplicando propterea, quatenus, eisdem faceremus iustitiam, illis restituendo antiquum suum Conuentum Sanctæ Mariæ de Oliua, pro illo nostro de Tamajon. Nos pro obligatione muneris nostri, vigilantes summoperè, vt causa Fratrum Nostrorum, apud naturalia sua Nostræ Religionis Tribunalia, iudicarentur; attentaque mente pensantes, quòd (dum nostra Seraphica S. Francisci Religio fundata est, vt Fratres eius non sibi soli viuant, sed & alijs, plurimos in Christo lucrifaciendo, proficiant) Scandalum, & rumor multus possit aliquando suscitari in Populo, si imitantibus Apostolorum prædicandi normam denegaremus, quod æquitatis exigit ratio; examinatis acuratissimè recurrentium expositis, visoque tenore Apostolicarum constitutionum pro erectione Collegiorum Missionariorum huiusmodi, ac eorundem gubernio; visis etiam diuersis alijs instrumentis nobis exhibitis, cum cæteris de Iure videndis, præuio et maturo Patrum Ordinis consilio censuimus, præmemoratam commutationem Conuentus de Oliua, pro illo de Tomajon, omninò nullam, & inualidam fuisse, & nullatenus posse subsistere &c. Pro vt eandem harum tenore nullam, irritatam, & inualidam fuisse, & esse decernimus, & declaramus, & pro nulla irrita, & inualida haberi volumus, ac mandamus.

§. 17. Quapropter ratihabemus, & appobamus Reueren. P. Commissarij Generalis Vltramontanæ nostræ Familiæ sententiam interlocutoriam, de differenda hac Causa vsque ad Prouinciale Capitulum, in quo non dubitamus, suam Reuerendissimam voluisse, cum totius Prouinciæ pace, Missionarios Nostros indemnes seruare eisdem, vel restituendo antiquũ suum Conuentum, vel dando, aut procurando compensationem iustam, per aliquem aliũ æquiualentem Conuentum, cum approbatione, & acceptatione communi eorundem.

§. 18. Verùm, ne interea temporis irreparabile aliquod damnũ Missionarijs, eorumque Apostolicis exercitijs accidat, in virtute S. Obedientiæ, & sub pœnis in præmemoratis Apostolicis constitutionibus, cõtra refractarios Sancitis, præcipimus vniuersis Prouinciæ nostræ Castellæ Patribus, ac Fratribus, vt intra quatuordecim dies ab intimatione harum nostrarum restituant realiter, & cum effectu, præmemoratis dictæ Prouinciæ nostræ Missionarijs præfatum suum Connentum de Oliua, in eodem omninò statu, cum omnibus Suis appendentibus, & dependentibus, mobilibus, & vtensilibus, in quo erat, quando illud in commutationem acceperunt, pro prædicto Conuentu de Tamajon, decernendo sub inualiditate agendorum, vt nullus Superior localis deinceps in eodem Conuentu iurisdictionem aliquam temporalem, vel Spiritualem exerceat, nisi solus Missionariorum, ad formam constitutionum, pro eisdem factarum. Quas firmas, & stabiles esse volumus, ac decernimus ad omnes illos effectus, ad quos Sancta Sedes dignata est ipsas Apostolico munimine roborare. Dat. Romæ in Conuentu Nostro S. Mariæ de

Araceli hac die 20. Decembris 1698. Fr. Matthæus à Sancto Stephano Minister Generalis &c. de Madato suæ Reuerendissimæ Paternitatis Fr. Marianus Sialpaert, Pro Secretarius Generalis.

§. 19. Pro exequutione præinserti Decreti, & Breuium Fundamentalium huius Sacri Instituti, Bulla postmodum emanauit à Sanctissimo D.N. Innocentio Papa XII. sequentis tenoris. Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei: Venerabilibus Fratribus Thessalonicen. Nostro, & Sedis Apostolicæ Nuncio, in Regnis Hispaniarum Residen. ac Compostellan., ac Valentin. Archiepisc. siue dilectis filijs eorum Officialibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex parte dilecti filij Francisci Diaz à S. Bonauentura, Maiestatis Catholicę Concionatoris, ac Theologi, & Missionariorum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, pro Familia Vltramontana, Procuratoris, Nobis fuit humiliter expositum, quòd ad fauorem prædictorum Missionariorum emanarunt à bon. mem: Innocentio Papa XI. Prædecessore Nostro duę Constitutiones, prima sub die 28. Mensis Iunij, de anno Domini 1686. quæ incipit: *Ecclesiæ*: secunda sub die 16. Mensis Octobris eiusdem anni 1686. cuius initium: *Ecclesiæ Catholicæ*, quæ Constitutiones postmodum acceptatæ fuerunt in Capitulo Generali Ordinis prædicti in Alma Vrbe, de anno eiusdem Domini 1688. celebrato, quasque Dilectus etiam Filius Matthęus à S. Stephano, Modernus Minister Generalis eiusdem Ordinis per Decretum die 20. Mensis Decembris mox elapsi expeditum, firmas, & stabilitas esse voluit, & sanciuit ad omnes eos effectus, pro quibus emanarunt, & præsertim ad reintegrandos eosdem Missionarios in habitatione, vsu, & Conuentualitate Conuentus de Oliua, Prouinciæ Castellæ, Ordinis præmemorati, decernendo sub inualiditate agendorum, vt nullus Superior Localis deinceps in eodem Conuentu de Oliua, iurisdictionem aliquam temporalem, aut spiritualem exerceat, nisi solus Missionariorum, ad formam Constitutionum pro eisdem factarum, ac alias prout latius in dicto Decreto dicitur contineri.

§. 20. Et licèt, sicut eadem expositis subiungebat de validitate Decreti huiusmodi à præfato Ministro Generali, in sequelam antedictarum Constitutionum, & prædicti facti, & concessi, ambigi non possit, neque debeat, quia tamen dubitatur, ne tam illius, quam prædictarum Constitutionum executio, & Obseruantia à nonnullis Religiosis præfatę Prouinciæ, seu Ordinis forsan impugnetur, quo in euentu Decretum, & Constitutiones huiusmodi suo frustrarentur effectu. Ideò exponens prædictus Nobis humiliter supplicari fecit, quatenus sibi in præmissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eundem exponentem à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, ac Decreti, & Constitutionum huiusmodi tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Vestræ Fratres Archiepiscopi, siue dilectioni Vestræ filij Officiales, attento, quòd agitur inter exemptos, per Apostolica scripta mandamus, quatenùs Vos, vel duo, aut vnus Vestrum, vocatis, qui fuerint euocandi ad executionem, & Obseruantiã Decreti, & Cõstitutionum huiusmodi, iuxta illius, & illarum formã, & tenorem, dummodo iudiciũ super præmissis alibi cęptũ non sit, auctoritate nostra, prout de Iure procedatis, procediq; mandetis, & faciatis.

§. 21. Nos enim Vobis, & Vestrum cuilibet Religiosos Decreti, seu Constitutionum huiusmodi executionem, & obseruantiam impugnare prætendentes, omnesque alios, quos opus erit, etiam per edictum publicum, constito de non tuto accessu citandi illisque, & quibus videbitur, sub sententijs, censuris, & pœnis inhibendi: Contradictores in illas, seruata forma Concilij Tridentini, incidisse declarandi, aggrauãdi, reaggrauandi, & interdicendi auxiliumque brachij sęcularis, si adhoc opus fuerit inuocandi, aliaque in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & oportuna faciendi, dicendi, gerẽdi, exercendi, & exequendi plenam, & liberam, eadẽ Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstan-

obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romę apud S. Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo nonagesimo octauo, duodecimo Calendas Februarij, Pontificatus Nostri anno octauo.

Vigore præinsertæ Bullæ, & specialis Facultatis in eo contentæ, Nuntius Apostolicus Hispaniarum, ad quem recursum fecerunt Missionarii Collegii Prouinciæ Castellæ, sententiam protulit die 16. Septembris 1699. qua obseruari, & executioni mandari sanciuit ea, quæ per Reuerendissimum P. Ministrum Generalem Ordinis disposita extiterant, in Decreto superiùs transcripto.

S. 22. Subinde idem P. Minister Generalis, vt in dies accresceret huiusmodi Institutum, præsertim apud Indias Occidentales, suas litteras expediuit, ad fauorem prælaudati P. Esteuez, quæ sic procedunt. Fr. Matthæus à Sancto Stephano, Lector Iubilatus, ac totius Ordinis S. P. N. Francisci Minister Generalis, & Seruus. Dilecto Nobis plurimum in Christo R. P. Fr. Francisco Esteuez in Indiis Occidentalibus Missionario Apostolico, & Collegii Missionum earundem Partium, de Queretero nuncupati, Prouinciæ SS Petri, & Pauli Regularis Obseruantiæ Ex-Guardiano, salutem in eo, qui est vera salus. Concessa per Nostros Prædecessores R. P. Fr. Antonio de Linaz laudabilis memoriæ amplissima commissione, super omnes nostri Ordinis Fratres, qui operam nauarent exercitio Missionum in Indijs præmemoratis: Hanc eandem, prout Regularem se gerendi normam concernebat, Sancta Sedes iteratis vicibus approbauit, munus insuper Præfecti prędictarum Missionum eidem P. Linaz benignè conferendo, ac postmodum prorogando, sicut plenè apparet ex Decretis, à Sacra Congregatione de Propaganda fide iampridem emanatis. Cæterum ingresso iam eodem P. Linaz viam vniuersæ carnis, & vacante munere sui Commissariatus, non sine magno præfatę Missionis detrimento, nostri Ministeriatus sollicitudini immediatè incumbit, alium Religiosum probum, & in exercitio Missionum versatum substituere, qui adeò laudabile opus prosequatur, & disposita pro eiusdem Missionis profectu, & incremento ad integrum effectum perducat.

S. 23. Hinc, Nos de tua prudentia, Religiositate, doctrina, & experientia plenè confisi, Te in Commissarium sæpe dictarum Missionum Indiarum Occidentalium Nostri Ordinis, cum omnibus Priuilegijs, Indultis, gratijs, & facultatibus, à Nostris Prædecessoribus memorato Patri Linaz antea concessis, instituimus, ac deputamus, atque Institutum, & deputatum esse auctoritate nostri Officij, per præsentes declaramus. Tibi insuper præcipientes, vt à Sacra Congregatione de Propaganda Fide obtinere cures Præfecturam super omnes Missionarios tuæ iam dictæ Commissionis, necnon Facultates similibus Præfectis concedi solitas, cum Indulto eas Missionarijs eiusdem Commissionis, ex quocumque Loco communicandi; dummodo à quoquam extra Limites Missionis præfatæ ad vsum, & praxim non reducantur.

S. 24. Omnibus autem tam Subditis, quàm Superioribus nostri Ordinis strictè iniungimus, ac per obedientiam, & & sub pœnis contra Rebelles, in nostris Constitutionibus præscriptis, ex nunc expressè mandamus, vt præsenti nostræ dispositioni in omnibus omninò pareant, & obediant, opem, & auxilium Tibi quoad cuncta præmissa peramanter præstantes. Vale, nostrique in tuis Sacrificijs esto memor. Datum in Sacro nostro Aracælitano Conuentu, die 27. Nouembris 1699. Fr. Matthæus à Sancto Stephano Minister Generalis. De mandato suæ Reuerendissimæ Paternitatis. Fr. Nicolaus de Leon Secretarius Generalis Ordinis.

S. 25. Subindè, instante P. Diaz, sequens Decretum Sacræ Congregationis Generalis de Propaganda Fide, habitæ sub die 22. Decembris 1699. fuit expeditum. [ Referente R. P. D. Carolo Augustino Fabrono Secretario: Sacra Congregatio Præfectum Missionum Fratrum Minorũ de Obseruantia in Indijs Occidentalibus, ad decennium declarauit P. Franciscum Esteuez eiusdem Ordinis, cum auctoritate ea, quæ ad Missionis regimen pertinent, ad præscriptum Decretorum Sac. Congregationis, & Facultatum eidem concessarum, exercendi; & non aliàs, nec

nec alio modo. Datum Romæ die, & anno quibus supra. Carolus Card. Barberinus, Præfectus. Carolus Augustinus Fabronus Secretarius. ]

§. 26. Emanarunt etiam Facultates huic Præfecturæ congruentes, formam sequentem continentes. [ Facultates concessæ à. SS. D. N. D. Innocentio Diuina prouidentia Papa XII. Patri Francisco Esteuez Ordinis Minorum de Obseruantia Præfecto Missionum eiusdem Ordinis, in Indijs Occidentalibus. Prima Dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quæ vel ex bigamia vera; vel ex homicidio voluntario proueniunt, & in his duobus casibus, etiamsi præcisa necessitas operariorum ibi fuerit, si tamen quoad homicidium voluntarium ex huiusmodi dispensatione scandalum non oriatur. 2. Dispensandi, & commutandi vota simplicia, etiam Castitatis ex rationabili causa in alia pia opera, non tamen Religionis. 3. Absoluendi, & dispensandi in quacumque Simonia, & in reali, dimissis beneficijs, & super fructibus malè perceptis, iniuncta aliqua eleemosyna, vel pœnitentia salutari, arbitrio dispensantis, vel etiam retentis beneficijs, si fuerint Parochialia, & non sint, qui Parochijs præfici possint.

§. 27. Quarta. Dispensandi in 3. & 4. Consang. & Affinit. simplici, & mixto tantùm, & in 2. 3. & 4. mixtis, non tamen in 2. solo, quoad futura Matrimonia, quò verò ad preterita, etiam in 2. solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cumijs, qui ab Hæresi, vel Infidelitate conuertuntur ad Fidem Catholicam, & in prædictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam. 5. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis iustitiæ, ex sponsalibus proueniente. 6. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen Coniugum machinante, & restituendi ius petendi debitum amissum. 7. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, præterquam inter leuantem, & leuatum. 8. Hæc verò Matrimoniales dispensationes, videlicet 4. 5. 6. & 7. non concedantur, nisi cum clausula, dummodo Mulier rapta non fuerit, & si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, neque in vtroque foro, vbi erunt Episcopi, sed in foro conscientiæ tantùm, & in illis expediendis, tenor huiusmodi Facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ. 9. Dispensandi cum Gentilibus & Infidelibus plures vxores habentibus, vt post conuersionem, & Baptismum, quam maluerint ex illis, si etiam fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit conuerti.

§ 28. Decima. Absoluendi ab Hæresi, & Apostasia à fide, & à Schismate quoscumque, etiam Ecclesiasticos, tam Seculares, quàm Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, in quibus Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impunè grassantur Hæreses, deliquerint, nec illos, qui iudiciabiliter abiurauerint, nisi isti nati sint, vbi impunè grassantur Hæreses, & post iudicialem abiurationem illuc reuersi, in Hæresim fuerint relapsi, & hos in foro conscientiæ tantùm. 11. Absoluendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicę reseruatis, etiam in Bulla Cænę Domini contentis. 12. Benedicendi Paramenta, & alia vtensilia pro Sacrificijs Missæ. 13. recitandi Rosarium, vel alias preces, si Breuiarium secum deferre non poterit, vel Diuinum Officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeat. 14. Reconciliandi Ecclesias pollutas aqua, ab Episcopo Benedicta, & in casu necessitatis, etiam aqua non Benedicta ab Episcopo, huiusmodique facultatem communicandi simplicibus Sacerdotibus, 15. Consecrandi Calices, Patenas & Altaria portatilia, cum Oleis ab Episcopo Benedictis, vbi non erunt Episcopi, vel distent duas dietas, vel Sedes vacet. 16. Dispensandi, quando expedire videbitur, super vsu carnium, Ouorum, & lacticiniorum tempore Ieiuniorum, & presertim Quadragesimę.

§. 29. Decima septima. Celebrandi bis in die, si necessitas vrgeat, ita tamen vt in prima Missa non sumpserit ablutionem, per vnam horam ante Auroram, & aliam post Meridiem, in Altari portatili, sine Ministro, sub dio, & sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi Altare sit fractum, vel sine Reliquijs Sanctorum, & præsentibus Hereticis, Schismati-

maticis, Infidelibus, & excommunicatis, dummodo Minister non sit Hæreticus, aut excommunicatus, ac aliter celebrari non possit. Huiusmodi autem facultate bis in die Celebrandi nullatenus vti liceat, nisi rarissimè, & ex grauissimis, & vrgentissimis causis, in quo grauiter eius conscientia oneratur; quòd si ad præsens, aut in posterum quandocumque aderit Episcopus, aut Vicarius Generalis, aut Capitularis, siue Vicarius Apostolicus, ad cuius Diæcesim, seu administrationem pertineant loca, vbi secundò celebrari contigerit, præfata Facultas bis celebrandi, nullius prorsus sit roboris, ac momenti, nisi priùs prædicto Episcopo, aut eo absente, ipsius Vicario Generali, aut respectiuè Capitulari, aut Vicario Apostolico fuerit exhibita, ab eoque examinatæ, & approbatæ fuerint in scriptis causæ ea vtendi, nec aliter concessa intelligatur, quàm iuxtà moderationem ab ipso imponendam, & non aliàs: cuius Episcopi, seu Vicarij conscientia oneratur, vt nonnisi ex vrgentissimis causis, vt supra dictum est, & ad breue tempus ea vti permittant. Quam tamen facultatem poterit Episcopus, seu Vicarius, si in Domino visum fuerit expedire, ad illud breue tempus pluries, & eadem seruata forma, prorogare intra tempus in hac facultate à Sancta Sede concessum, & non vltra. Id ipsum autem prorsus seruetur ab ijs, quibus hæc eadem facultas celebrandi bis in die, iuxta potestatem inferiùs apponendam, communicata fuerit adeò, vt nemo ex ipsis, nisi iuxta moderationem ab Episcopo, vel eius Vicario Capitulari, vel Generali, seu Vicario Apostolico, vt dictum est, singulis apponendam, huiusmodi facultate vti valeat, iniuncto eorundem Episcoporum, seu Vicariorum conscientiæ, vt vltra superiùs dicta non omnibus indifferenter, quibus fuerit communicata, sed paucis dũtaxat, ijsque maturioris prudentiæ, ac zeli, & qui absolutè necessarij sunt, nec pro quolibet loco, sed vbi grauis necessitas tulerit, & ad breue tempus, vt dictum est, facultatem quoad hoc communicatam approbet.

S. 30. Decima octaua. Concedendi Indulgentiam plenariam pro conuersis ab Hæresi, atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non poterunt. 19. Concedendi Indulgentiam plenariam in Oratione 40. Horarum, ter in anno indicenda, diebus benè visis, contritis, & confessis, ac Sacra Communione refectis, si tamen ex concursu populi, & expositione Sanctissimi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegij ab Hæreticis, seu Infidelibus, vel Magistratum offensum iri. 20. Lucrandi sibi easdem Indulgentias. 21. Singulis secundis ferijs non impeditis Festis 9. lectionum, vel eis impeditis, die immediatè sequenti, celebrando Missam de Requiem in quocumque Altari, etiam portatili, liberandi animam, secundum eius intentionem, à Purgatorij pœnis per modum suffragij. 22. Deferendi Sacratissimum Sacramentum occultè ad Infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem Infirmis, in loco tamen decenti, si ab Hæreticis, aut Infidelibus sit periculum sacrilegij. 23. Induendi vestibus sæcularibus, si alitèr, vel transire, vel permanere non poterit in locis Missionum. 24. Tenendi, & legendi, non tamen alijs concedendi libros Hæreticorum, vel Infidelium de eorum religione tractantium, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter Opera Caroli Molinei, Nicolai Macchiauelli; ac libros de Astrologia Iudiciaria principaliter, aut incidenter, vel aliàs quouis modo de ea tractantes, ita tamen, vt libri ex illis Prouincijs non efferantur. 25. Administrandi omnia Sacramenta, etiam Parochialia, Ordine, & Confirmatione exceptis, & quoad Sacramenta Parochialia in Diæcesibus, vbi non erunt Episcopi, vel Ordinarij, aut eorum Vicarij, vel in Parochijs, vbi non erunt Parochi, vel vbi erunt, de eorum licentia.

*Feria 4. Die 6. Ianuarij 1700.*

S. 31. Sanctiss. D. N. D. Innocentius, Diuina Prouidentia Papa XII. in Audientia data Eminentiss. & Reuerendiss. D. Cardinali Spadæ, prout Eminentia Sua retulit R. P. D. Assessori S. Officij, concessit supradictas Facultates P. Francisco Estenez Ordinis Minorum de Obseruantia, Præfecto Missionum eiusdem Ordinis in Indijs Occidentalibus,

ad decennium, cum potestate easdem communicandi Fratribus suæ Missionis, ad formam Breuis fa. me. Innocentij Papæ XI. emanati sub die 16. Octobris 1686. Et post numerum 25. vbi dicit — Communicandi &c. dicatur hoc modo — Communicandi has facultates in totum, vel in partem Fratribus suæ Missionis, ad formam Breuis fa. me. Innocentij Papæ XI. tam pro omnibus Locis in ea Missione contentis, quàm pro aliquibus eorum, & ad tempus sibi benè uisum, prout magis in Domino expedire iudicauerit, nec non easdem, quatenus opus fuerit, reuocandi, siue etiam moderandi, tam circa illarum vsum, quàm circa Loca, & tempus easdē exercendi, quòd etiam eo absente Vice Præfecto concessum intelligatur; itaut nec eidē Vice-Præfecto, nec ipsorum cuilibet liceat eisdē, si in Missione præsens fuerit, hanc eandē Præfecti facultatem alteri communicare; Si verò fuerit absens, hoc ipsum V. Præfecto tempore obitus Ipsius V. Præfecti concessum intelligatur, vt sit, qui interim possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quòd quamprimum fieri debebit per Delegatum, alio modo prouideat. A. Card. Cybo. Loco ✠ Sigilli. Ioseph Bartolus S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Notarius.

§. 32. Aliæ Facultates, quibus, vti Regulares Minoritę, exercere queunt Missionarij huius Instituti præclarum munus Prædicationis Euangelicæ, præsertim inter Infideles, videri poterunt apud *Monumenta Terræ Sanctæ, & Orientis*: à P. Diaz congesta, & notitia moderniorum Concessionum Sedis Apostolicæ nuper illustrata. Circa Deuotiones verò, quas valent promouere, inter Christi Fideles Locorum, in quibus operam nauauerint muneri præfato, illa cæteris sunt ab ipsis præferenda, quæ continentur in libro de *Imitatione Mariæ &c.* ab eodem P. Diaz in lucem edito. Harum siquidem frequentatio propriè spectat ad Personas Sacri Sodalitij, & Confraternitatis *Decem Virtutum, seu Beneplacitorum Beatæ Mariæ Virginis*, prout apparet ex ipsius Instituto, & Constitutionibus ibi relatis; promotio autem præfatæ Confraternitatis, eisdem Missionarijs à Sancta Sede est commendata, in Constitutione Sanctissimi Domini Nostri Innocentij Papæ XII. pro Confraternitatibus, vbique locorum, opera, ac solicitudine Fratrum Minorum Sancti Francisci, sub decem Virtutum, seu decem Beneplacitorum, aut Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ Titulis, erectis, & erigendis, nouissimè edita: cuius verba sunt.

## Innocentius Papa XI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

§. 33. COElestium munerum thesauros, quorum dispensationem Fidei nostræ commisit Diuina dignatio, prudenti liberalitate libenter erogamus, cùm id pia Christi Fidelium, præsertim sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantium, propriæque, ac alienæ saluti laudabiliter incumbentium Vota postulant, & Nos ad augendum Sanctissimi, Augustissimique Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi cultum, & venerationem, id speramus in Domino profuturum. Aliàs siquidem de mandato fel. rec. Clementis Papæ X. prædecessoris Nostri emanauit à Congregatione tunc existentium S.R.E. Cardinalium, Indulgentijs, & sacris Reliquijs præpositorum, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 34. Licèt san. mem. Paulus Papa III. per binas suas Constitutiones concesserit, vt Sanctissimi Corporis Christi Confraternitates omnes, & singulæ, vbiuis locorum institutæ, ac istituendæ, iisdem Priuilegijs, Concessionibus, Indulgentijs, Gratijs, & Indultis, quæ Confraternitati Sanctissimi Sacramenti, In Ecclesia Sanctæ Mariæ super *Mineruam* de Vrbe erectæ, largitus fuerat, ac in posterum largiretur, vti, potiri, & gaudere possent, ac deberent; quia tamen per nonnullas Apostolicas Constitutiones, & Ordinationes, quæ deinceps emanarunt, præsertim verò similis memoriæ Clementis VIII. Constitutionem de aggregationibus editam, facultates, & Indulgentiæ tam supradictæ S Mariæ de Minerua, quàm cæteris omnibus Confrater-

ternitatibus anteà concessæ, aut abrogatæ, aut saltem moderatæ comperiuntur, aliaque hoc de genere decreta sunt, ex quibus in dubium reuocari posse videtur, an huiusmodi Pauli III. concessiones pristinum suum robur adhuc retineant: Congreg. Eminentiss. & Reuerendiss. S. R. E. Cardinalium, Indulgentijs, sacrisque Reliquijs Præfectorum, optans summoperè Sanctissimi Sacramenti venerationem, & cultum in dies magis augeri, & ob eam causam huiusmodi Societatem in omnibus Ecclesijs Parochialibus erigi, atque ad id Christifideles præcipuis gratijs excitari; speciali ordine, habito viuæ vocis oraculo à SS. D. N. Clemente Papa X. fel. rec. Pauli V. vestigijs inhærente, decernit, & declarat, iuxta easdem Pauli III. Constitutiones, Confraternitates omnes, & singulas Sanctissimi Corporis Christi, vbique terrarum hactenus Apostolica, vel Ordinaria auctoritate erectas, aut posthàc erigendas, absque noua, aut peculiari alia concessione, communicatione, vel aggregatione fore, & esse debere participes quorumcumque Priuilegiorum, Concessionum, Indulgentiarum, Facultatum, Gratiarum, & Indultorum, ab eodem Paulo V. Archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti de Minerua, per Breue datum Romę apud S. Petrum die 3. Nouembris MDCVI. nominatim, & expresse concessorum, ac in posterum à Sede Apostolica concedendorum, illisque omnibus, & singulis vti, potiri, & gaudere posse, ac debere statim atque Confraternitatum earumdem erectio, Apostolica, vel Ordinaria auctoritate, facta fuerit: seruata tamen in reliquis omnibus prædicta Clementis VIII. Constitutione: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, de Indulgentijs ad instar non concedendis, nec alijs contrarijs quibuscumque, Datum Romæ die 23. Aprilis MDCLXXVI. C. Card. Maximus. Michael Angelus Riccius, Secretarius.

§. 35. Postmodum verò rec. mem. Innocentius Papa XI. pariter prædecessor Noster, Decretum huiusmodi, toto illius tenore inserto, sub certis modo, & forma, tunc expressis, auctoritate Apostolica approbauit, confirmauit, & innouauit, prout in ipsius Innocentij prędecessoris litteris, desuper in simili forma Breuis, die 1. Octobris MDCLXXVIII. expeditis, quarum tenorem pręsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, vberiùs continetur. Cùm autem, sicut pro parte dilectorum Filiorum Missionariorum, Ordinis Fratrum Minorum, Sancti Francisci de Obseruantia nuncupatorum, per dilectum Filium Franciscum Diaz à Sancto Bonauentura, Fratrem expresse professum dicti Ordinis, ac eorumdem Missionariorum in Romana Curia Procuratorem, Nobis nuper expositum fuit, duæ Confraternitates in honorem SS. Eucharistiæ Sacramenti, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, in diuersis Christiani Orbis partibus, opera, & sollicitudine Fratrum præfatorum; non solùm in vtriusque sexus Personarum obedientiæ, seu directioni Ministri Generalis eiusdem Ordinis subditarum; sed etiam in alijs omnimodè Ordinariorum locorum iurisdictioni subiectis Ecclesijs, Canonicè iam dudum institutæ, à piæ memor. Leone X. per suas literas, incipientes: *Cum in honorem, &c.* Anno MDXVII. expeditas, & forsan alijs Romanis Pontificibus, etiam prædecessoribus nostris, approbatæ, ad vnam subinde Confraternitatem dumtaxat, sub Titulo decem Virtutum, seu decem Beneplacitorum eiusdem Beatissimæ Virginis Mariæ, in diuersis pariter locis, pro cuiusuis status Christifidelibus, pia eorumdem Fratrum cura propagatam, itidem Canonicè redactæ fuerunt.

§. 36. Confratres verò, & Consorores Confraternitatis huiusmodi, quę etiam alicubi Conceptionis ipsius Beatissimæ Virginis Mariæ, frequentius verò SS. Corporis Christi Confraternitas denominatur, ac inter peculiares memorati Ordinis Confraternitates recensentur, inter cætera pietatis, & Christianæ Charitatis opera, quibus incumbere consueuerunt, tam ex primæuo primo dictarum duarum Confraternitatum, quàm proprio instituto, circa venerationem, & cultum prædictum SS. Eucharistiæ Sacramenti, non minùs, ac illi, qui Confraternitatibus, sub Titulo eiusdem SS. Corporis Christi, vbiuis erectis, adscripti repe-

reperiuntur, se exerceant, illud potissimùm piè, ac deuotè comitando, cum ad infirmos, vel aliàs in Processionibus circumfertur: ac proinde exponentes præfati, vt eorumdem Confratrum, & Consororum pietas, ac deuotio erga Sanctissimum hoc salutis nostræ pignus, magis, magisque in dies incitetur, illos Indulgentiarum, & aliarum Gratiarum spiritualium, quibus prædicti SS. Corporis Christi Confraternitates in vim Decreti præinserti, suique Confirmatoriarum Innocentij prædecessoris litterarũ huiusmodi fruuntur, participes fieri plurimum desiderent.

§. 37. Nos pijs eorumdem exponentium votis in hac re, quantum cum Domino possumus, benignè annuere volentes, & illorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, supplicationibus, eorum nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, aliasque gratias spirituales, quibus Confratres, & Consorores Confraternitatum, sub præfato Titulo SS. Corporis Christi, vbique locorum Apostolica, vel Ordinaria auctoritate erectarum, & erigendarum, per Decretum præinsertum, suique Confirmatorias Innocentij prædecessoris litteras supradictas vti, frui, & gaudere posse, vt præfertur, declaratum fuit, ad Confraternitates, sub memorato Titulo decem Virtutum, seu decem Beneplacitorum eiusdem Beatissimæ Virginis Mariæ, vbique pariter locorum, opera præfatorum Fratrum canonicè hactenùs erectas, & in posterum erigendas, illarumque Confratres, & Consorores, dummodò tamen ea, quę pro consequendis Indulgentiarum, seu peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus, alijsque gratijs spiritualibus huiusmodi præscripta sunt, seu pro tempore fuerint, adimpleant, auctoritate Apostolica tenore pręsentium in perpetuum extendimus, & ampliamus.

§. 38. Non obstantibus nostra, de non concedendis Indulgentijs ad instar, alijsque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & Sigillo Personæ, in Ecclesiastica dignitate constitutæ, munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio, quàm extra illud, vbique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die 4. Octobris MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

I. F. Cardinalis Albanus.

§. 39. His equidem omnibus maturè perpensis Reuerendissimus P. Fr. Bonauentura Poerius, totius Nostri Ordinis Minister Generalis septuagesimus tertius ex electis secundum Regulam, animaduertens sui muneris esse, operã impensissimam ad id adhibere, vt Fideles Gratijs, & Indulgentijs in nonnullis litteris Apostolicis Iulij Secundi præsertim, ac Leonis X. contentis, sine vlla hæsitatione, in præmemorata Confraternitate vbique fruantur, suas litteras Patentes in hunc effectum expediuit, in quibus cuncta præmissa, indicatis tantùm concessionibus, breuissimè compilauit; Erectiones Confraternitatum, ad earumdem litterarum tenorem, seriò præscribendo. Cæterum quia prędictę litteræ expresse decernebãt, quòd etiam obseruarentur Constitutiones editæ pro sæpedictis decem Virtutum seu decem Beneplacitorum Confraternitatibus, & adhuc tam super hoc, quàm super superiùs enuntiata Indulgentiarum Iulij Secundi, ac Leonis X Communicatione, seu extensione: Nec non super exceptione à Generalibus reuocationibus, aliqui forsan oriri poterant scrupuli: Ad omnes de medio tollendas, & præsertim ad stabiliendam formulam certam, & viam præcludendam abusibus, & minùs tutis opinionibus, pręsentatæ fuerunt pręfatæ litteræ pro confirmatione Apostolica Sacræ Congregationi, negotijs Episcoporum, & Regularium

rium præpofita: à qua emanauit Decretum tenoris infrafcripti.

§. 40. Eminentiffimi, ac Reuerendiffimi Domini. Conceffis à Sanctiffimo D. N. Innocentio XII. Litteris Apoftolicis, feu Conftitutionibus, quæ exhibentur in adiunctis folijs, ad fauorem Confraternitatum Decem Virtutum, feu Decem Beneplacitorum Beatiffimæ Virginis Mariæ, quæ memorantur inter peculiares Confraternitates Perfonarum vtriufque fexus, & cuiufuis Status, tàm Regularis, quàm Secularis (quarum Erectionibus, feu Inftitutionibus operam impendunt priuatiuam Fratres Ordinis Minorum S. Francifci) Minifter Generalis totius Ordinis prædicti, vt hoc laudabile opus folidiùs promoueatur in perpetuum, Litteras Patentes expediuit tenoris, qui fequitur videlicet.

§ 41. Fr. Bonauentura Poerius, Lector Iubilatus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Francifci Minifter Generalis, & Commiffarius Apoftolicus &c. Dilecto Nobis plurimum in Domino R. Adm. P. Fr. Francifco Diaz à Sancto Bonauentura, eiufdem Ordinis Patri Salutem.

§. 42. Cum iam pridem, vigore tam Litterarum Apoftolicarum fel. record. Leonis X. *Cum in honorem*: incipientium, quàm Conftitutionum eiufdem, ac aliorum Romanorum Pontificum (illarum præfertim, quibus Indulgentiæ, Gratiæ, Facultates, & Priuilegia Perfonis vtriufque fexus, Conuentibus, Monafterijs, Oratorijs, Ecclefijs, Confraternitabus, Congregationibus, & Ordinibus noftræ obedientiæ, feu directioni fubiectis, impertita, ad eam extenfionem, & Communicationem redacta reperiuntur, quæ nouiffimè à Sanctiffimo D. N. Innocentio Papa XII. per Breue, *Alias*: incipiens, confirmata confpicitur) quamplures Confraternitates Decem Virtutum, feu Decem Beneplacitorum Beatiffimæ Virginis Mariæ, fub Titulo nonnunquam Sanctiffimi Sacramenti Euchariftiæ, quandoque Conceptionis, & aliquando alterius è Beneplacitis eiufdem Deiparæ, opera noftratum in Chriftiano Orbe erecta fuerint, & erigi peroptemus in dies.

§. 43. Tibi erga præmemoratatum Confraternitatum propagationem, & ipfarum, vbi prætermiffæ fint, inftaurationem, eximiè propenfo, per præfentes committimus, & enixè in Domino commendamus, vt iuxta prędictarum Confraternitatum, feu Sodalitiorum Conftitutiones, ac Statuta, & SS. D. N. Innocentij XII. Litteras, *Cælestium*: incipientes, ad harum Confraternitatum fauorem, die 4. Octobris 1696. expeditas, aliafque Romanorum Pontificum Apoftolicas Conceffiones, illas præcipuè, quę in præfatis litteris nouiffimis memorantur, operi laudabili Erectionis, Propagationis, feu Inftitutionis prædictæ: vbi, & quando, & quomodo potueris, etiam per alios, piè, ac feruenter inuigiles, Perfonas vtriufque fexus, & cuiufuis Status fiue Secularis, fiue Regularis ad præfatarum Conftitutionum, & aliarum Litterarum Apoftolicarum præfcriptum in adeò Laudabile, Pium, ac deuotum exercitium indefefsè inducendo.

§. 44. Cæterum, cum olim fel. rec. Clemens Papa VIII. ad tollendos nonnullos abufus, qui in communicandis Indulgentijs Confraternitatibus, dum erigebantur, inftituebantur, feu congregabantur à Superioribus Ordinum, Religionum, & Inftitutorum, nec non ab Officialibus Archiconfraternitatum, & Congregationum refpectiuè irrepferant, exprefsè decreuerit, vt omnes prædictæ Confraternitates nouas Erectionum, Inftitutionum, & Aggregationum formas, ab Apoftolica Sede acciperent, infra certum tempus, prout in eiufdem Pontificis Conftitutione, *Quæcumque*: incipiente, pleniùs continetur: obferuantiæ eiufdem Sanctionis inhærentes, confultò declaramus mentis noftræ, ac totius Ordinis effe, & fore, vt Tu, & cuncti Fratres, qui operam nauauerint earumdem Confraternitatum Erectionibus palàm, & inconcufsè doceas, feu doceant, atque euulgent, Confratres, & Confarores Decem Virtutum, feu Decem Beneplacitorum Beatæ Mariæ Virginis, nullis nunc gaudere Indulgentijs, quibus antea fruebantur, feu frui poterant, ex vi Communicationum, & aggregationum, quarum abufus tollerare voluit, vt præfertur, præmemoratus Clemens VIII. Quia

tamen aliæ Confraternitates eiusdem Beatissimæ Virginis Mariæ, vigore Constitutionis bon. mem. Pauli V. incipientis, *Cum olim*: de die 20. Septembris 1608. in vsu suarum Indulgentiarum (ob ibidem expressam rationem, quòd videlicet, dum Canonicè instituuntur, Indulgentiarum Communicatione minimè indigeant; sed ipso iure, vigore Priuilegiorum Apostolicorum illas nanciscantur) conseruatæ sunt: Exigit ipsa eadem ratio, vt Confraternitates Beneplacitorum, quæ ipso Iure, vigore Priuilegiorum Apostolicorum, absque vlla alia Communicatione, seu aggregatione facienda per aliquem Summo Pontifici inferiorem, proprias nanciscuntur Indulgentias, in eisdem prorsus conseruentur; illis tamen modò reiectis, ac pro reuocatis habitis, ex præscripto Constitutionū Clementis, ac Pauli Pontificum præfatorum, quæ à quibusuis Superioribus Ordinum, Religionum, & Institutorum: nec non ab Officialibus Archiconfraternitatum, & Congregationum, eisdem Confraternitatibus in ipsarum erectione, Institutione, Congregatione, seu Aggregatione concessæ, vel communicatæ reperiantur, aut præter, vel contra formas ab Apostolica Sede ex tunc, vt præfertur, denuò receptas, ad easdem extensæ, seu impartitæ prætendantur. Summarium autem, seu Compendium illarum, quas vigore Priuilegiorum, absque vlla alia non Pontificia communicatione, nanciscuntur, desumi poterit ex Litteris Apostolicis Iulij II. datis 6. Idus Ianuarij 1506. quibus initium, *Adea*: & ex Litteris Leonis X. *Benignè petitiones*: incipientibus, ac ex alijs, quarum initium, *Cum sicut*: nec non & ex alijs, quæ incipiunt, *Dum præcelsa*: quarum primæ die 27. Septembris 1514. Secundæ die 3. Martij 1515. Tertiæ die 19. Iunij Anni prædicti 1515. expeditæ, ac postmodum per alias Leonis X. quibus exordium, *Dudum per Nos*: die 10. Decembris 1519. datas, eisdem Confraternitatibus communes redditæ, seu declaratæ re ipsa conspiciuntur. Has quippe omnes Indulgentias in huiusmodi Litteris relatas, seu contentas (quæ iuxta Breue san. mem. Innocentij XI. *Alias*: incipiens, datum die 10. Octobris 1686. firmę, ac validæ pro Personis vtriusque sexus ibidem expressis, tria Vota Substantialia Religionis non emittentibus, semper extitere) eisdem Confraternitatibus, ipsarumque Confratribus, & Consororibus, nostræ directioni subiectis, vbique competere sanè dignoscimus: ex præscripto præsertim Concessionum Apostolicarum, & Decretorum, quibus SS.D.N. Innocentius XII. per superius enuntiatum Breue *Alias*: nouam dedit roboris Apostolici firmitatem, cuius, & aliorum pręmissorum, Te in omnibus exactum exhibebis Sectatorem, sicut & plurimum Te præbuisti Vigilantissimum Sollicitatorem. Vale, nostrique in tuis Sacrificijs esto memor. Dat. in nostro Conuentu S. Mariæ Nouæ Neapoli, die 1. Decembris 1696. Fr. Bonauentura Poerius Minister Generalis. Loco ✠ Sigilli. Fr Nicolaus de Leon, Secretarius Generalis Ordinis.

§. 45. Vt autem eò firmiùs subsistat præinserta dispositio, quò solidiùs fuerit roborata, & ne vlli abusus irrepant in posterum, quo ad enulgationem Indulgentiarum prædictarum Confraternitatum, Præmemoratus P. Fr. Franciscus Diaz à S. Bonauentura EE. VV. submissè precatur, quatenus dignentur præfatas Litteras approbare, & confirmare, strictè pręcipiendo, nè alias Indulgentias, præter contentas in Litteris Apostolicis iam relatis, vllus audeat eisdem Confraternitatibus attribuere, seu appropriare. Et pro Gratia Deus &c.

§. 46. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reuerendissimorum S.R.E. Cardinalium Negotijs, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audito P. Ministro Generali Ordinis, & attentis narratis, petitam confirmationem Oratori benignè concessit. Romę 20. Nouembris 1699. G. Card. Carpineus. N. Archiepis. Theat. Secretarius.]

§. 47. Prætermittimus alias Deuotiones hic exprimere, quas præuia accedente approbatione Apostolica, in praxim, apud quamplures Regiones, vsque nunc detulerunt Patres Discalceati eiusdem Ordinis S.Francisci; scire tamen debent Missionarij huius Sacri Instituti, se posse frui, & gaudere omnibus, ac singu-

lis Priuilegijs, & Concessionibus contentis in litteris Apostolicis, emanatis pro eisdem Patribus Discalceatis. Sacra enim Congregatio Concilij, ipsos Missionarios participes nouissimè censuit omnium Priuilegiorum, & Concessionum, quibus vti valet Alma, & Apostolica Prouincia S. Iacobi, Mater, & Promotrix, media Filiorum præmemoratorum opera, antiquarum, & moderniorum Missionum. Huic autem, vigore litterarum, de quibus mentio fiet in infra transcribenda Bulla, omnia conueniunt, & communicata reperiuntur, quæ Patribus Discalceatis prędictis indulta, & impertita dignoscantur. Bulla verò præcitata est huius modi.

§. 48. Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei: *Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Compostellan. ac Oueten. Episcopo, seu Dilectis Filijs eorum Officialibus, & Scholasticæ Ecclesiæ Salmanticen. salutem, & Apostolicam benedictionem.* Sua Nobis Dilectus Filius Franciscus Diaz à Sancto Bonauentura, Charissimi in Christo Filij Nostri Caroli, Hispaniarum Regis Catholici Concionator, & ad Cultus Immaculatæ Conceptionis promotionem Theologus, & infrascriptæ Almæ Sancti Iacobi Prouinciæ Dignior Pater, petitione monstrauit, quòd cum aliàs ad fauorem Prouinciæ S. Petri de Alcantara Regni de Neapolis Fratrũ Minorum Ordinis S. Francisci, litteræ in forma Breuis expeditæ *Aliàs*: incipientes sub die decima, Iulij, de Anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, & aliæ sub simili forma quarum initium, *Dudum*: sub die duodecima Iunij, de Anno eiusdem Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo, à fan mem. Innocentio Papa XI. nostro Prędecessore concessæ fuissent, in quibus quamplura Priuilegia, & Indulgentię, vel expressè continentur, vel per communicationem ad eamdem Prouinciam extenduntur; postmodum verò Sacra Congregatio Dilectorum Filiorum nostrorum, Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, sub diebus decima sexta Iulij, & duodecima Nouembris, de Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto forma obseruanda à prædictis Fratribus Minoribus, tam Obseruantibus, quam Discalceatis in Communicatione Priuilegiorum, & Indulgentiarum, quæ confirmata, & innouata extiterat, per alias litteras eiusdem Prædecessoris nostri Innocentij Papæ XI. *Exponi nobis*: incipientes, die quinta Septembris, de Anno eiusdem Domini millesimo sexcẽtesimo octogesimo sexto in simili forma Breuis, pariter expeditas, ex rescripto nostro fuisset declarata, quã declarationẽ Nos postea benignè approbauimus.

§. 49. Exinde mota est dicta Prouincia Sancti Iacobi, Regularis Obseruantiæ Ordinis præmemorati in Hispania, in cuius vna è Custodijs Sanctus Petrus de Alcantara euixit, & nomen dedit Ordini prædicto, ad postulandam, iustis de Causis tunc expositis, specialem, & expræssam, cum prædicta Prouincia S. Petri de Alcantara Neapoli communicationem, in vsu Priuilegiorum, & Indulgentiarum, eidem competentium, vigore dictarum litterarum Apostolicarum; praxi tamen mandandam iuxta præscriptum declarationis super fæpedicta communicatione, per superiùs enunciatas litteras, sub die quinta Septembris dicti Anni millesimi sexcentesimi octogesimi sexti, in pari forma Breuis expeditas, confirmatæ à Nobis vt præfertur approbatæ. Circa quod præmemorata Sacra Congregatio censuit prædictam Prouinciam S. Iacobi gaudere posse priuilegijs, & Indulgentijs in enunciatis litteris, in forma Breuis expeditis, contentis, seruato in omnibus tenore dictarum litterarum eiusdem fan. mem. Innocẽtij XI. & Declarationis à Nobis approbatę prout latiùs in Decreto desuper sub die decima septima mensis Martij proximè præteriti emanato, dicitur contineri.

§. 50. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, de validitate huiusmodi Decreti ambigi non debeat, quo minus suum sortiatur effectum, quia tamen ipse Franciscus dubitat, quòd nonnulli ex Fratribus, & Superioribus eiusdem Ordinis, alijque Fratres eis adhærere volentes, vel dictum Decretum, & in ea contenta impugnare prætendentes Aduersarij, contra validitatem Decreti prædicti excipere, & indebitè dictam S. Iacobi Prouinciam in his, quæ vigore Decreti, huiusmodi eidem competere queunt, perturbare possint, quo casu memoratum Decretum suo careret effectu; Ideo dictus

Fran-

Franciscus cupiens ad executionem dicti Decreti deuenire, & ad illius obseruationem, illud etiam impugnare prętendentes, quantò citiùs via Iuris compellere: Nobis humiliter supplicari fecit, vt ei in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

S. 51. Nos igitur statum, & merita causæ, & causarum huiusmodi, præsentibus pro expressis habentes, ipsumque Franciscum à quibusuis excommunicationis, & interdicti, alijsque censuris, & pœnis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum seriè absoluentes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni Vestrę, attento, quòd agitur inter exemptos, per Apostolica scripta mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut Vnus Vestrum, vocatis dictis Aduersarijs, & aliis, qui fuerint euocandi ad executionem Decreti huiusmodi, & litterarum in dicta forma Breuis expeditarum, & in ipso Decreto memoratarum, seruata aliàs illius, & illarum forma, ac tenore, auctoritate nostra prout de Iure procedatis, procedique mandetis, & faciatis. Nos enim vobis, & cuilibet vestrum, etiam per edictum publicum, constito de non tuto accessu, dictos Aduersarios, omnesque alios, quos opus erit citandi, illisque, & quibus videbitur sub sententijs, censuris, & pœnis inhiben. Contradictores in illas incidisse, seruata forma Concilij Tridentini, declarandi, aggrauandi, reaggrauandi, & interdicendi, auxiliumque brachij sæcularis, si ad hoc opus fuerit inuocandi; necnon dictos Aduersarios ad obseruationem Decreti, & litterarum prædictarum, in eadem forma Breuis expeditarum omnibus Iuris, & Facti remedijs, prout de Iure compellendi, aliaque in præmissis necessaria, & opportuna faciendi, exercendi, & exequendi plenam, & liberam Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto, quinto Kal. Iunij, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

# DISTINCTIO XVI.

*Enunciantur nonnulli fructus huius Missionis, tam apud Fidelium populos, quàm apud Infidelium Regiones.*

## §. I.

S. 1. Ecclesiam, vel de nouo fundatis, in aliquibus Prouincijs Vltramontanis Ditionum Maiestatis Catholicæ, diuersis Missionum Collegijs, sub superiùs memorato Instituto: plures adessent spirituales fructus hic enucleandi, quos singulorum Missionarij vsque nunc abundè reportarunt à sui muneris Apostolica exercitatione. Cæterum, quia Sacra hæc Congregatio de Fide propaganda, onus similia referendi illis tantùm Missionarijs imposuit, qui Facultatibus ab ipsa concedi solitis, à S. 26 præcedentis Distinctionis transcriptis, vtuntur in Indijs, alijsque Infidelium Regionibus: Ideò de Fructibus horum (non verò aliorum, qui tali muneri incumbunt in partibus, nulla infidelitate infectis) præsens consurget narratio.

§. 2. Horum igitur assiduum studium non ad Infideles tantùm; sed ad Domesticos insimul fidei directum extitit vsque nunc: nam diuisi per totum illud Imperium Mexicanum, nulla ibi existit Diœcesis, quam aliquis, aut plures eorum sua prædicatione, & exemplaritate Vitę, non fœcundauerint. Pluribus in locis, ac Ciuitatibus adeò ingens erat ad ipsorum Conciones Fidelium concursus, vt numerarentur quandoque quadraginta millia, nonnunquam triginta millia, & persæpe viginti, aut duodecim millia: inter quos

quos magna Neophytorum turba, & non exiguus sceleratissimorum peccatorum numerus, quibus omnibus Pœnitentiæ Sacramentum per eosdem consueuit ministrari. Ex quo tanta exorta est morum reformatio, & virtutum prouectio, vt venerandæ memoriæ Archiepiscopus Mexicanus D. D. Franciscus de Aguiar, & Seixas, in litteris ad ipsosmet Missionarios, per suam Diœcesim discurrentes, directas, non dubitauerit post alia encomia, propria manu asserere: *Solum Dominum illis præmium extiturum meriti laborum, quos subibant in eo exercitio.*

§. 3. Litteræ Patentes R. P. Benedicti de Figueroa, Lectoris Iubilati, & Ministri Prouincialis Prouinciæ Sanctorum Petri, & Pauli Regularis Obseruantiæ de Mechoacan, intra cuius limites existit sæpedictum Collegium Sanctæ Crucis de Queretero, die 9. Ianuarij 1698. expeditæ, exactum, ac plenum Testimonium perhibent de commodo, & vtilitate magna, quam confert toti nouo illi Mundo persistentia eiusdem Collegij, tum ob bona, & vtilitates spirituales, quas suscipit Christianus ille populus ab his Operarijs, & Missionarijs Apostolicis, qui vitijs, vsque ad extinctionem, & peccatis, atque abhominationibus enormibus, vsque ad integram extirpationem, aduersari non prætermittunt: tum propter quamplura Virrutum genera, quæ suo Apostolico exemplo illic plantare non cessant: in cuius rei confirmationem ita subiungit: „ De que „ nos Consta por experiencia de quasi „ quinze años, que hâ: que passaron „ estos operarios â este Reyno, Y consta „ â todos los Señores Obispos de todas „ las Yglesias de el, en cuyas Dioce„ ses han echo continuamente Missiones, „ reformando las Costrumbes de los Fie„ les con su continua Predicacion, e in„ cansable zelo, &c.

§. 4. Adsunt, & alia plura testimonia, idipsum asserentia, per quæ dignoscitur, horum Missionariorum Studio, zelo, ac labore, Dei Gratia opitulante, innumeras animas earum partium ad eam perfectionem euectas reperiri, vt de eisdem verificata profecto censeatur iustificationis descriptio, per Ezechielem *cap. 18.* his verbis relatam. *Et Vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium, & iustitiam, in Montibus non comederit, oculos suos non leuauerit ad idola Domus Israel, & Vxorem proximi sui non violauerit, & ad mulierem menstruatam non accesserit, & hominem non contristauerit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit, ab iniquitate auerterit animam suam, & iudicium verum fecerit inter Virum, & Virum, & in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, vt faciat veritatem: hic iustus est, vita viuet, ait Dominus Deus.*

§. 5. Ipsæ etiam litteræ Patentes, ac Testimoniales R. P. de Figueroa, Ministri Prouincialis, superiùs enuntiatæ, indubiam fidem reddunt, de eorundem Missionariorum Apostolicorum obseruantia, quoad Institutum propagandi Christifidem inter Barbaras, ac Gentiles Nationes, & plantandi in eis Euangelicam veritatem: etenim ad hunc effectum ingressi sunt, per Guastecam Regionem, vsque ad fines Tampichi P. Ioannes Baptista Lazarus, præclaræ memoriæ, & P. Franciscus Esteuez, eius Socius, & in desertis à loco Tamaulipæ Veteris, (qui est vltimus populus Christianorum versus eam partem) per centum quinquaginta milliaria distitis à prænumerato Collegio, nonnullas Gentilium Nationes coadunarunt, quibus Verbum Dei, interprete vtentes, feruenter annuntiarunt, baptizantes omnes, quos Dei Gratia attraxit ad Sacrum Lauacrum, & extruentes populationem, & Ecclesiam, earundem Nationum ope, ac labore, in quibus ipsi terga verterent Idolatriæ, quæ in circumadiacentibus Campestris Regionibus amplissimum à seculis quamplurimis asseruat Principatum. Diù tamen ibi permanere non potuerunt præfati duo Missionarij, ob nonnullas nondum superatas difficultates, quas euincere contendit sæpedictum Collegium, vt semen Euangelicum permanenter ferat in ea Infidelium inculta Regione.

§. 6. Ingressi sunt præterea, eodem

Ministro Prouinciali attestante, alij eiusdem Collegij Missionarij in asperrima loca gentilium Collis Crassi, vulgo *Zerro gordo*: vt ea, vnâ cum moribus, & indole Infidelium illic, sine permanenti habitatione, degentium, ocularitèr recognoscerent, ad consultius regulandum, tempore dealbatæ messis. Egregium facinus Conuersionis ipsorum: quorum plures tunc iam, vti primitiæ vniuersæ reductionis aliorum ad Catholicam Fidem, nomen dederunt Christianæ Religioni.

§. 7. Constat vlteriùs ex eadem attestatione, prædictorum Missionariorum, nonnullos se contulisse in confinia noui Regni Legionis, Diœcesis Guadalaxarensis, & inter Gentiles Nationis Xanambricæ, dissitos ab vltimis habitationibus Indorum iam Conuersorum, per spatium nonaginta Milliarium, moram per longum tempus traxisse, ac vltra duo millia eorum Infidelium ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ reduxisse. Quorum vestigia sunt secuti P. Franciscus Esteuez iam memoratus, P. Franciscus Hidalgo, & P. Antonius Perera, omnes ipsiusmet Collegij Alumni, & Missionarij, qui ad septentrionalem eiusdem Regni, ac Diœcesis tendentes, Dei Misericordia cooperante, perhumanitèr recepti sunt à Gentilibus Nationis *Tetequere*, aliorumque confinium Prouinciæ de *Quaguila*: inter easque Vexillo Crucis erecto, Fidem Catholicam plantarunt, sicut & in territorio vulgo dicto, *Boca de los Leones*.

§. 8. Circa hanc, & alias Infidelium Conuersiones alia verba Originalia litterarum præfati Patris Figueroæ ità procedunt. „ Entraron tambien „ los Padres Fray Francisco Esteuez, „ Fray Francisco Hidalgo, y Fray An„ tonio Perera, por la parte del Norte „ a la Nacion *Tetequera* y a otras diuer„ sas, que confinan con la Prouincia „ de Quagnila, en donde juntaron tres „ Conuersiones, y la vna de ellas, que „ fundo el Reuerendo Padre Fray Fran„ cisco Esteuez en el Sitio de *Boca de* „ *Leones* con titulo, y aduocazion de „ *Nuestra Señora de los Dolores*, que „ persiste y permaneze, y es vno de los „ mas Ricos, y Opulentos Reales de „ minas, que oy tiene Su Magestad en „ este Reyno, logrando de sus frutos „ quantiosos quintos — Entraron tam„ bien ocho Religiosos de este Semina„ rio a la Custodia, y Conquistas del „ Nueuo Mexico, con licencia de los „ Superiores, y vno de ellos, que fue „ el Padre Fray Francisco de Iesus Ma„ ria, auiendo fundado Yglesia muy „ decente, y teniendo pueblo reducido „ à doctrina, huuo alzamiento, y „ le quitaron la Vida, en Compañia de „ otros quatro Religiosos; y el dia de oy „ permanecen en dichas Conuersiones „ dos Religiosos de este Seminario, el „ vno el Padre Fray Miguel de Trejo, „ y el otro el Padre Fray Ioseph Gar„ zia.

„ S. 9. Entraron tambien en otra oca„ sion doze Religiosos de este dicho Se„ minario alos Indios Texas, à donde „ à costa de muchos affanes, y trabajos „ se hizieron bastantes diligencias para „ la reduccion de aquellos Barbaros, y „ aun siendo tan indomitos, y hechi„ zeros, perseueraron los Operarios en „ aquel Pays mas de cinco años, y mu„ rieron en la demanda dos Religiosos, „ y huuieran perseuerado los demas en „ el empleo, à no auer sido tan varios, „ y encontrados los dictamines de los „ Capitanes y Cabos, que gouerna„ ban: pero se espera nueua entrada, „ auiendo Operarios. Y vltimamente „ estan el dia de oy entendiendo, y tra„ uajando en la propagacion dela fee „ con singular fruto en el Reyno de „ Guatemala, por la Talamanca, y Co„ sta Rica, los Padres Fray Francisco „ de San Ioseph, y Fray Pablo Rebulle„ do. Por la parte de Comayagua „ estan los Padres Fray Melchor Lopez, „ y Fray Pedro dela Concepzion; todos „ Missioneros, y Operarios de este Se„ minario, como mas latamente consta „ por veridicos Informes, que han hido, „ y actualmente ban en esta flota del Su„ premo Consejo del Reyno de Guate„ mala.

. S. 10. „ Todo lo qual me consta, „ consta à toda esta nuestra Prouincia, „ y consta à toda esta nueua España; „ en cuya atestazion lo certificamos en „ el modo, que podemos, y con toda

la

„ la verdad, que se requiere en materia „ tan alta, tan del seruicio de Dios, y „ bien de las Almas, paraque conste à „ nuestros Reuerendissimos Padres Mi- „ nistro General de toda la Orden, y „ Cõmissario General de Indias, à quie- „ nes con rendimiento, y humildad „ rogamos, y pedimos, amparen, fo- „ menten, y conseruen este dicho Se- „ minario, y le den à V. P. la ayuda, „ y fomento necessario para la buena di- „ reccion, y ajuste de sus negocios: „ Y a quienes asseguramos, y certificamos „ tambien, que en dicho Seminario, y „ Collegio Apostolico, se obserua, y „ guarda à la letra nuestra Euangelica „ Regla, Y que se conseruan oy todos „ los Religiosos del en suma paz, y „ vnion fraterna, y assi sera muy conve- „ niente, y del seruicio de Dios, y cre- „ dito de toda nuestra Sagrada Religion, „ y lauro de esta nuestra Prouincia, „ la conseruazion, y permanencia de „ dicho nuestro Seminario, por ser el „ espejo de todo este Reyno.

Omnia, quæ præmemoratos fructus concernunt, notiora, ac clariora redduntur per litteras Pro-Regis Mexicani, ad Maiestatem Catholicam directas, sequentis tenoris.

§. 11. [Domine. Per informationes transmissas Maiestati Vestræ ab Audientia Prouinciæ Guatemalę, & ab Episcopo Ciuitatis Nicaraguæ euidenter apparet non mediocrem fructum, & vtilitatem spiritualem tam in hoc, quàm in illo Regno colligi ex continuis Missionibus, in quibus hucusque se exercuerunt, & indesinenter se exercent Religiosi Missionarij Collegii de Queretero, Ordinis S. Francisci, maximè in Talamanca Gubernationis de Costa, vbi morantur PP. Franciscus a S. Ioseph, Paulus de Rebulliedo ex supradicto Collegio proprio labore, & opera conseruantes quindecim Missiones, quas olim de anno sexcentesimo nonagesimo supra millesimum fundarunt PP. Melchior Lopez, & Antonius Margil, congregantes insimul alias Missiones, scilicet Missiones S. Michaelis, & S. Ioseph Chagnenorum, Nationis admodum barbaræ, & ferocis, quæ ex hoc capite cum alijs finitimis Nationibus continuò decertat, in qua præfati Patres supra mille quingentas animas in lustralibus Beptismi aquis Deo pepererunt, & transeuntes ad Insulam de *Toja*, sex horis itinere distantem in Canoa Portusueli, Missionem Beatæ Virginis Dolorum fundauerunt; in qua septingentas ex vtroque sexu personas nostræ Sanctæ Fidei documentis imbutas, Sacro Baptismo abluerunt maximo, & ferè intolorabili cum labore, tam ex arcto, ac salebroso Alpestrium Montium itinere, quàm ex exigui victus, & annonæ penuria, quæ dicti Patres verè Apostolici solùm contẽti, absque vllo Cameræ Regalis dispendio Regiones pręfatas peregrè prædicando proficiscuntur. Extensa etiam à dictis partibus, atque aperta fuit via in Regionibus inter Prouincias Iucatani, & Guatemalę iacentibus, quas vsque de anno nonagesimo secundo primi omnium ingressi, Sancta Iesu Christi prædicatione ex barbaris, & efferatis illis Nationibus (in primitias vberrimę messis, quæ mox, ex innumera ferè animarum huiusmodi districtus multitudine, speratur) Popolum à Doloribus Beatæ Mariæ Virginis denominatum, cum mille ex Indis converterunt ad Fidem, quos Sanctæ Ecclesiæ rudimenta edoctos, & Sacro Fonte expiatos, Religiosis Patribus Sanctæ Mariæ de Mercede illius Prouinciæ recommendarunt, eosdem in dictæ Nationis idiomate instruendo, ad hoc vt illos in incæpta veræ Fidei catechesi perfectè erudire valerent. Vlterius pręfati Patres vehementi salutis animarum Zelo succensi, ad maiora lucra inhiantes, vt copiosum animarum gregem in Ouile Ecclesię reducerent, in Partibus Hondurarum laboriosam sibi viam aperuerunt. vbi ad præsens PP. Melchior Lopez, & Petrus à Conceptione, Dominicæ vineæ operarii commorantur.

§. 12. Quantum verò inter Fideles præfati Religiosi cum suis Missionibus fructificent, ex iteratis Episcoporum Noui huius Mundi informationibus euidenter apparet, dum nulla est Diœcesis, licèt vasta, & extensa, quam ipsi indefesso Animarũ salutis Zelo æstuantes, speciosis Euangelizantium pedibus non discurrant.

§. 13. Super hoc igitur refert Ma-

Maiestati Vestræ potissimùm huius Sanctę Ecclesiæ Archiepiscopus (prout inferius ex eius attestatione Maiestati Vestræ præsentanda colligetur) quam necesse, ac perutile existat supra relatum Missionum Collegium conseruari: pro cuius manutentione opus est nouos Operarios conducere, dum qui modò supersunt, & maior pars eorum, ob multa incommoda, variasque ærumnas, in tam longis peregrinationibus perpessas, ægrotat. Qua de causa Pater Commissarius Generalis harum Prouinciarum opportunum, imo necessarium duxit mittere Patrem Franciscum Esteuez, Missionarium Apostolicum, supra enunciati Collegij Cofundatoris, vt Vestræ Maiestatis accedente facultate, ex illis Regionibus nouos Operarios in hanc Vineam deducat, qui sedulò conuersioni animarum incumbant, nam quos ibi reliquit, adeò ex infirmitate sunt imbecilles, ac fractis viribus, vt penitus ad tantum opus peragendum reddantur inutiles.

§. 14. Placeat insuper Vestræ Maiestati (humiliter rogamus) facultatem impertiri, vt in hac Guatemalæ Prouincia nouum erigatur Collegium (prout humilis Maiestati Vestræ supplicatio porrigitur) cum Situs ille valdè aptus sit, & accommodus, imo quædam sit Ianua, per quam ad inceptas animarum Conuersiones peragendas, & alias de nouo tentandas in quatuor Episcopatibus iurisdictionis illius Audientiæ. Super præmissis V. Maiestas præcipiet, quod sibi magis gratum fuerit. Custodiat Deus &c. Mexici die 12. Aprilis 1698. D. Ioseph Sarmiento. Concordat cum prærelatis Attestatio Archiepiscopi Mexicani, quæ ita se habet:

§. 15. Domine. In hoc meo Archiepiscopatu Mexicano, in Ciuitate de Queretero, Mechoacanæ Prouincię, Collegium quoddam, seu Seminarium Missionariorum Apostolicorum Ordinis Sancti Francisci, vigore diplomatis Apostolici, Cedulęque Regalis Maiestatis Vestræ, olim canonicè fuit erectum; & quamuis alio tempore, aliaque occasione, magis per extensum Maiestati Vestræ retulerim, quantum intersit, & quantum vtilis, ac fructuosa futura sit ad bonum Animarum, tam Fidelium, quàm Infidelium totius noui huius Mundi conseruatio, & manutentio suprascripti Seminarij, & aliorum etiam fundatio; attamen oblata mihi præsenti occasione, in eo, quod respicit debitum Pastoralis Officij mei, quo fungor, me detinere non valeo, quin denuò Maiestati Vestræ non scribam, occasionis ansā amplectens, ex eo, quod Pater Franciscus Esteuez, Concionator Apostolicus, & vnus ex Fundatoribus personaliter ad Regiam vestram Aulam accedit, vt eidē innotescat maius, & principale negotium dicti Collegij in eo consistere, quòd ex Regionibus Castellæ nonnulli Religiosi, pro Sacro, & Apostolico Missionis Officio inter Fideles & Infideles huius Regni exercendo, extrahantur, accedente maximè necessario Vestræ Maiestatis assensu, quia ex recentium Operariorum conductione, & prouidentia omnimoda præfati Seminarij dependet conseruatio, cum ingens, & grauis sit labor: ac Apostolici ministerij exercitium, vtpotè per plures Prouincias dilatatum, pluribus etiam Coadiutoribus indigeat; Ideò cum Religiosi in dicto Collegio conuiuentes, ex nonnullorum morte ad paruum numerum sint redacti, attenta hac Ministrorum inopia, & copiosæ Messis abundantia, ante oculos Regiæ Vestræ Maiestatis ferre operam duxi negotium hoc tam magnum, vt illud Catholica pietate, qua solet, aspicere non dedignetur. Quis enim dicere valeat ingentem fructum, ex talibus Missionibus, in quindecim annorum Curriculo vberrime collectum? & qui de die in diem indesinenter colligatur, non solùm in meo Archiepiscopatu, sed etiam in aliorum Episcoporum Diæcesibus, de quo irrefragabilis experientia nos continnò certiores facit, spontè Missionarij antedicti, fideles Iesu Christi, & Ecclesiæ Coadiutores, supponunt humeros oneri nostro, Vineam Domini sudoribus suis, ac Sacra Euangelij prædicatione colunt incessanter, non inter fideles tantū vitia, & peccata extirpando; sed inter Infideles etiā prædicando, cathechizando, & Christianæ Religioni dogmata edocēdo, vt barbaras, efferatasque Nationes è cæca gentilitatis nocte suis laboribus erutas, ad spiritualem veræ nostræ Fidei lucem regenerent, prout latius ex Regni huius Pro Regis, & Audientiæ Guatemalæ informatione videre-

fas

fas est. Igitur valdè confert ad maiorem Dei gloriam, Vestræ Maiestatis honorem, Animarumque vtilitatem, vt Seminarium huiusmodi prorsus conseruetur, ac aliorum in hijs partibus erectio promoueatur; ad hoc vt ad Infidelium conuersionem facilior, procliuiorque sternatur accessus. Proinde humiliter petitur a Maiestate Vestra, vt Regium suum impertiri dignetur assensum, ad hoc vt noui, recentesque Operarij, & quot quot sunt pro dicti Collegij manutentione necessarij, ex Castellæ Prouincijs conducantur; hoc ex Catholica Vestræ Maiestatis Pietate sperare fas est, quæ quid quid sibi magis videbitur expedire, præcipere postulamus. Diu ad totius Catholici Orbis beneficium Maiestatem Vestram Deus seruet incolumen. Datum ex Ciuitate Mexicana die 22. Ianuarij 1698. Franciscus, Archiep. Mexican.

§ 19. Accedit pariter Informatio Episcopi Angelopolitani, ad eandem Maiestatem transmissa, que est huiusmodi; Domine. Occasione sumpta, qua Pater Franciscus Esteuez, vnus ex Fundatoribus Collegij Missionariorũ Ciuitatis de Queretero ad istam Regiam Aulam se transfert, repræsentandum Maiestati Vestræ putaui, quantum intersit, Collegium enunciatum conseruari, ac in eo Religiosorum numerum adaugeri, ac insuper alia huiusmodi Collegia Fundari. Videns ipse, imo manu palpans feruentissimum animarum Zelum, quo Religiosi inhibi degentes, toto studio conuersioni tam Fidelium, quàm Infidelium in vastissimis huius Nouæ Hispaniæ Regionibus incumbunt, Solum Deum præoculis habentes, postposita omni terrenarum cura, quod est medium magis oportunum, quo ipsi (vt pluries percepi) magnam animarum messem in Guatemalæ Prouincia recollegerint: certòque mihi persuasum habeo, ex defectu, & inopia Religiosorum accidisse, quòd nonnulli Populi opera duorum ex dictis operarijs, nuper ad Fidem conuersi, diu in Christiana professione non perseuerauerint. Ideò summi negotij est, & vtilitatis magnæ, vitæ, & morum exemplum, quo dicti Collegij habitatores in rigore obseruantiæ sui Fundatoris persistunt; ex quo reformatio vitiorum, ac virtutum augmentum in populis quodãmodo emanat. Qua de causa, rationi consentaneum est, quòd Vestra Maiestas dictum Collegium suo Patrocinio dignetur fouore, ac votis præfati Patris Francisci benignã aurem præbere; mandando, quòd ex istis Prouincijs noui Religiosi pro missionibus huius Regni conducantur. Deus Regalẽ Catholicam Personam Maiestatis Vestræ Custodiat, pro totius Christianitatis protectione. Angegelis, die 31. Ianuarij 1698. Manuel, Episcopus Populæ.

§. 17. Præterea testantur de eisdem Spiritualibus fructibus Decanus Ecclesiæ Guatemalensis, vti Gubernator illins Episcopatus: Capitulum ipsius Ecclesiæ: & Consilium, seu Audientia Regia Regni Guatemalæ, quorum litteræ, in proprio idiomate, sunt sequentes. Señor.

„ Aunque co no Dean de este Venerable „ Cauildo de esta Santa Yglesia Cathe„ dral de Guatemala concurro a la re„ presentazion de motiuos, que expressa, „ supplicando con debida reuerencia à „ V. Magestad, se sirua de conceder su „ licencia para la fundacion del Cole„ gio de Religiosos Missioneros en esta „ Ciudad, como el que esta fundado en „ la de Santiago de Queretero de el Re„ yno de nueua España: como Iuez „ Prouissor, Vicario General, y Go„ uernador de este Obispado, me insta à „ la misma representazion el comun, y „ especial conocimiento de las notorias „ Espirituales Vtilitades, y abundan„ tissimos frutos, que en este Reyno tan „ dilatado en sus extẽsas Prouincias han „ resultado de las Euangelicas Predica„ ciones de los Padres Missioneros Apo„ stolicos Fray Melchor Lopez, y Fray „ Antonio Margil; pues es irrefragable „ verdad, que auiendo penetrado solos „ las Montañas de el Lacandon, en ellas, „ y en la Talamanca, y distrito de el Go„ uierno de Costa Rica, redujeron a la „ Christiana Religion mas de quarenta „ mil Almas, congregando los Barba„ ros, Idolatras Gentiles à Poblacio„ nes, e Yglesias, que les fabricaron, „ de que son estimables cõprobaciones „ los Informes echos por el Reuerendo „ Obispo de Nicaragua à Vestra Audi„ encia Real de esta Corte: en qualesquiera partes, que assisten, y predi-

Hhhhh can

„ can son iguales à los referidos, los muy „ loables effectos desu Apostolico ser„ uor.

§. 18. „ Y auiendo logrado estas „ Prouincias tan singular felicidad, en la „ propagazion de nuestra Christiana „ Religion, por auer venido à ellas estos „ Apostolicos Operarios, deseando los „ Abitadores de todas los progressos de „ tan Santas Obras, para cuyo effecto „ escriuio el Cauildo, y Regimento de „ esta Ciudad al Commissario General „ del Orden Seraphico, impetrandole la „ continuazion de ellos, y offreciendo „ contribuir por su parte quanto pu„ diere, para la consecuzion de el inten„ to, porque à vista delos crecidos ga„ stos, que en tantos años se han echo „ de Vuestra Real hazienda, y el poco „ fruto de otras Missiones, fueron los „ referidos el mas vrgente motiuo, para „ impetrar la fundazion del Colegio, „ que tanto se desea, quanto se recono„ ze tan necessaria, como vtil: siendo, „ como es, igualmēte notorio lo mucho, „ que falta, por reducir al gremio de „ nuestra fee en las Prouincias delos „ quatro Obispados, que incluye el am„ bito de este Reyno: En las quales acu„ diran Religiosos Missioneros a la pre„ dicazion Euangelica, siruiendose V. „ Magestad de conceder la licencia, „ que à su Santo Zelo se le impetra; „ pues por las reductiones franquea su „ Real Magnificencia los Thessoros de„ sus Arcas Reales, y acreditando lo „ practico en lo experimentado asta el „ actual Estado, se tiene por muy segu„ ro el progresso, sin expensas de vuestro „ Real Patrimonio; y con Casa, de que „ ya se hà echo donazion, paraque lo „ sea del Colegio, y con voluntarias „ limosnas de todos los, que desean con„ tribuirlas, concedida la licencia; y „ siendo de tan indubitable esperanza el „ augumento delas Almas reducibles, „ quanto se ha calificado en las ya redu„ cidas, y consistiendo esta espiritual „ empresa, en que aya Operarios, que „ la prosigan, pareze conseguintemente „ indubitable, que se digne de conceder „ la licencia, para la fundazion del Col„ legio. V. Magestad, que la Diuina „ guarde los muy dilatados, y felices a„ nos, que la Christiandad hà mene„ ster. Guatemala, y Henero treinta, de „ mil seiscientos, y noue nta, y seis años „ -- Señor -- Dotor Don Ioseph de „ Baños, y Sotomayor -- Huc vsque Gubernator Episcopatus; Capitulum verò sub infrascripto tenore,

§. 19. „ Señor. Por hallarse este „ Ecclesiastico Cauildo de esta Santa „ Yglesia de Guatemala con las seguras, „ como ciertas noticias de que los Reli„ giosos Apostolicos Missioneros, Fray „ Melchor Lopez, y Fray Antonio Mar„ gil, que vinieron del Conuento de „ Cretaro; y exercitando su loable, y „ vtil instituto, reduxeron al Catholico „ Gremio la Nazion de el Manchel, y „ Chol, que congregaron en siete Po„ blaciones con sus Yglesias y prosigui„ eron, predicando la Euangelica Do„ ctrina à otras muchas Naciones de „ Indios Barbaros, cuya ferozidad inti„ midò à otros, que los accompañaron; „ assi para la precissa interpretacion de „ los diuersos Idiomas, como para la „ guia de tan asperos, e incultos cami„ nos. Penetraron solos las Montañas de „ el Lacandon, donde accreditando su „ Religiosa animosidad el Reuerendo „ Obispo de Nicaragua por sus Infor„ mes à Vestra Real Audiencia de esta „ Corte, y su feruoroso Zelo, y asperissi„ mo trabajo en este Reyno, dize que con „ especialidad hà relucido en la Talman„ ca, y en distrito de Costa Rica, redu„ ciendo mas de quarenta mil Almas à „ nuestra Santa Fee. Estos fecundissimos „ frutos resultan de los muy Religiosos, „ y continuos àffanes de los Apostoli„ cos, y vnicos Operarios en la enmien„ da delas Barbaras torpes Costumbres, „ son vrgentes efficazes motiuos à nue„ stro Ecclesiastico Estado, para significar „ à V. Magestad, quanta sera la Espiri„ tual vtilidad, que resulte, de que èn „ esta Ciudad se funde otro Colegio de „ Religiosos de este Euangelico Instituto; „ para cuya habitacion, aunque propor„ cionada, se hà offrecido la casa, que „ lo es del Santo Caluario; porque no „ la solicitan de fabrica sumptuosa; sino „ correspondiente à su humilde Recol„ leccion.

§. 20. „ Se corroborara este medio ap-

„ applicado à eſte juſto deſeado fin; con
„ auer pedido el Cauildo, y Regimien-
„ to de eſta Ciudad al Commiſſario Ge-
„ neral eſta fundacion, offreciendo ſu
„ ayuda a la fabrica material; paraque
„ dignandoſe V. Mageſtad de conceder,
„ como preciſſa, ſu licencia, ſe logre con
„ breuedad el intento, à que aſpiran, of-
„ freciendo la Contribucion deſus li-
„ moſnas, los, que habitan eſta Corte, y
„ los demas lugares de eſte Reyno, de
„ que Metropoli es eſta Ciudad, y deſ-
„ de ella acudiran los Religioſos a las
„ Miſſiones Principales en los quatro
„ Obiſpados de ſu diſtrito, y euitandoſe
„ los preciſſos gaſtos, que el Muy Ca-
„ tholico Real Zelo de V. Mageſtad hà
„ franqueado para la reduccion de Al-
„ mas, por el efficaciſſimo medio de las
„ Miſſiones, con el corto fruto, que
„ hà acreditado la experiencia, que ca-
„ lifican los Apoſtolicos Miſſioneros, es
„ tan Notorio, como Grande, el que
„ ſin diſpendio de Vueſtro Regal Patri-
„ monio, y con muy ſoſſegado feruor
„ ſe reconoze, que produzen en donde
„ aſſiſten, ſiendo ſus piadoſos atractiuos
„ tan ſuaues, que los nueuamente redu-
„ cidos à nueſtra Chriſtiana Religion
„ los tratan, y veneran como à Padres,
„ de que deben eſperarſe mas copioſas
„ Reduciones, y ſi deſcaeze en ſus pro-
„ greſſos eſte Euangelico aſſumpto, por
„ falta de Colegio en eſte Reyno, pue-
„ de temerſe la reuerſion de los reduci-
„ dos, à ſus primeros Barbaros erro-
„ res.

S. 21. „ A que occurre la Diuina
„ Prouidencia, inſpirando al Capitan
„ Don Ioſeph de Aguilar, como à pia-
„ doſo Republicano de eſta Ciudad, à
„ que aya echo donacion de vna Caſa,
„ que tiene extra muros de ella, con
„ muy ſufficiente ſitio, para la fundazion
„ del Colegio, y prometido competen-
„ tes limoſnas para lo preciſſo; por auer-
„ ſe reconocido algunos inconuenientes,
„ en que la habitazion ſea el Santo Cal-
„ vario, en que por Oſpicio ſe auia dado
„ prouidencia por el Gouierno Superior,
„ los motiuos referidos dictan à que con
„ el debido rendimiento pida, y ſuppli-
„ que nueſtro Eccleſiaſtico Cauildo lo
„ ſean en el ſupremo Catholico Real ani-
„ mo de V. Mageſtad, paraque como Pro-
„ tector de nueſtra Chriſtiana Religion,
„ que tanto ſe exercita en ſu extenſion,
„ ſea muy ſeruido de conceder ſu licencia
„ para la referida fundazion de dicho
„ Colegio: à que concurren los medios
„ menzionados, de que deben eſperarſe
„ los Eſpirituales augumentos de nueſtra
„ Santa fee, para cuya proteccion guar-
„ de la Diuina, à V. Mageſtad, los mu-
„ chos años, que la Chriſtiandad nece-
„ ſita. De eſta nueſtra Sala Capitular,
„ y Nouiembre doze, de mil ſeiſcientos,
„ y nuenta y ſeis años -- Señor -- Doctor
„ Don Ioſeph de Baños Sotomayor -
„ Dottor Don Iuan de Cardenas - Do-
„ ctor Don Lorenzo Perez Dardon -
„ Dottor Don Pedro Lopez de Rama-
„ les -- Doctor Don Ioſeph de Lara -
„ Doctor Don Antonio de Aparicio -
„ Doctor Don Iuan Merlo de la Fuente -
„ Dō Pedro Carzelen, y Gueuara. ——

S. 22. Audientia Regia Guatemalenſis, vt infra, Maieſtati Catholicæ expoſuit. „ Señor. Por Zedula de treinta
„ de Mayo, de nouenta, y vno, ſe ſiruiò
„ V. Mageſtad mandar, ſe le auiſaſe de las
„ porciones, que ſe gaſtaſen de la Real
„ hazienda en las Miſſiones, y conuer-
„ ſiones: y para ſu Execucion ſe libro
„ deſpacho a los Officiales Reales de
„ Nicaragua, y Honduras, y los deſta
„ Caxa entregaron certification à nue-
„ ſtro Preſidente, como V. Mageſtad
„ ordena. A quien damos quenta, que
„ las Miſſiones de Honduras, y Segouia
„ ſe mantienen ſin progreſſos con los
„ Religioſos Franciſcos, y lo miſmo con
„ los Dominicos en la Vera Paz, donde oy
„ ſe hallan Fray Melchor Lopez, y Fray
„ Antonio Margil, Miſſiōeros Apoſtolicos
„ del Conuento de Cretaro, auiendo
„ reducido la nacion del Manchel, y Chol,
„ congregandolos en ſiete Poblaciones,
„ donde les hizieron ſus Ygleſias: y paſ-
„ ſaron à predicar el Santo Euangelio à
„ otras naciones Barbaras, y ferozes,
„ que no huuo quien los quiſieſe acom-
„ pañar, ni ſeruirles de Interpretes, y
„ Guia, y ſolos ſe introdujeron en las
„ Montañas del Lacandon.

S. 23. „ La Apoſtolica Vida deſtos
„ Religioſos ſe conozera por el Informe,
„ que hizo à eſta Audiencia el Reuerēdo
Obiſ-

„ Obispo de Nicaragua, y lo mucho, „ que trabajaron en este Reyno, y es- „ pecialmente en la Talamanca dela Go- „ uernazion de Costa Rica, donde se „ tiene por cierto passaron de quarenta „ mil Almas las reducidas à nuestra San- „ ta Fee Catholica, y por el referido In- „ forme (de que remitimos testimonio „ a V. Mageftad) consta la falta de ope- „ rarios, que ay para este ministerio, y „ lo que responde el Prouincial de esta „ Prouincia: motiuos, que juntos con la „ experiencia del mucho fruto, que en „ todas partes hazen los hijos del Con- „ uento de Cretaro, y la reformazion „ de Costumbres, embriaguezes, y Ido- „ latrias, que se experimentan en este „ Reyno, especialmente entre los Indi- „ os, nos persuaden à informar à V Ma- „ gestad, quan vtil sera, que se funde „ en esta Ciudad otro Colegio, como „ el de Cretaro, pues el paraje del Cal- „ uario, que les tienen offrezido es muy „ a proposito: à que se llega el auer es- „ critto la Ciudad al Commissario Gene- „ ral, solicitando esta fundazion, y offre- „ ciendo ayudar à su fabrica material; y „ auiendo licencia de V. Mageftad, se „ hara con grande breuedad, assi porque „ dichos Religiosos no quieren fabrica „ sumptuosa, sino muy de recolecci „ on, como por lo que solicita tenerlos „ esta Ciudad, à cuyo fin contribuiran „ todos los Mercaderes de ella con sus „ limosnas, y Iornales, por la singular „ deuozion, que tienen à dichos Reli- „ giosos, y lo mesmo todo el Reyno, y „ siendo este paraje el centro de el, pare- „ ze el sitio mas a proposito para la „ fundazion.

§. 24. „ Pues desde aqui podran „ soccorrer a las Missiones, que oy estan „ empezadas en los quatro Obispados „ dela jurisdicion de esta Audiencia; „ que en medio de los crecidos gastos; „ que de doze años à esta parte se hizie- „ ron dela Real hazienda con los Reli- „ giosos dela Mission, especialmente „ con los de San Francisco, en las Pro- „ uincias de Honduras, y Nicaragua, se „ hà visto poco fructo, porque son „ muy singulares los Religiosos, que „ sin escolta de Soldados quieren entrar „ en aquellas Montañas; y por la mala „ disposicion con que los Cauos de la „ Gente de dichas escoltas han executa- „ do siempre las entradas, nunca se han „ adelãtado en ellas las reducciones, co- „ mo lo manifiesta la Experiencia, y los „ Missioneros Apostolicos lo confiessan „ assi: y sin estruendo, ni costa à V. „ Mageftad, hazen tanto fruto en todas „ partes, y los Indios nueuamente redu- „ cidos à nuestra Santa Fee Catholica, „ con el amor, cõ que los Padres los tratã, „ y ninguna costa, que los ocassionan, „ se asseguran en sus nuebas poblacio- „ nes, y los que de otra manera han sa- „ lido dela Montaña, à poco tiempo se „ bueluen à ella Apostatas; V. Mage- „ stad sobre todo, mandara lo que fuere „ mas de su Real seruicio, cuya Catho- „ lica, y Real Persona guarde nuestro „ Señor los muchos años, que la Chri- „ stiandad hà menester. Guatemala, y „ Mayo, doze, de mil seiscientos, y no- „ uenta y cinco.

§. 25. „ Hasta à qui es duplicado „ del Informe, que tenemos hecho à V. „ Mageftad, deseando conceda licencia à „ los Religiosos de nuestro Padre San „ Francisco, hijos del Colegio de Cre- „ taro, paraque puedan fundar en esta „ Ciudad otro Colegio, para poder des- „ de el acudir à tantas, y tan diuersas „ partes, enque se pueden hazer nueuas „ reduciones en este Reyno. Y no auien- „ do venido resoluzion sobre esta mate- „ ria, boluemos à hazer esta representa- „ zion: assegurando à V. Mageftad, que „ la experiẽcia nos muestra cada dia mas „ claramente la gran necessidad, que ay, „ de que se execute la referida fundazi- „ on, pues con la gran applicazion de „ estos Religiosos se logran marauillo- „ sos effectos en todas las nueuas reduc- „ ciones, à que se applican: y aunque por „ el gouierno superior se le ha cõcedido „ para su hospicio la Yglesia, y habitaz- „ ion del Santo Caluario, estramuros de „ esta Ciudad, por estar esta à cargo „ de los Hermanos dela terzera Orden, „ se han reconozido algunos Incõnue- „ nientes, en que puedan permanezer, èn „ dicho sitio, y para encaso de concede „ V. Mageftad la referida licencia, hà „ hecho vn Vezino de esta Ciudad llama- „ do D. Ioseph de Aguilar Donazion

de

de sitio sufficiente para la fundazion en vno, que possee proprio en paraje mas retirado, y a proposito, que el del Caluario; y para la obra material del Colegio les tienen prometido sufficientes limosnas, sin que sea necessario, que de la Real hacienda de V. Magestad se les dè cosa alguna; ni tampoco para su manutenzion, que esta es, y ha de ser con las cotidianas limosnas, y sobre todo V. Magestad mandara lo que fuere mas de su Real seruicio, cuya Catholica, y Real Persona guar. de nuestro Señor los muchos años, que la Christiandad ha menester. Guatemala, y Diziembre, ocho, de mil seis cientos, y nouenta y cinco. Señor Licenziado Don Ioseph de Sergos Licenziado Don Manuel Baltoda. Dotor Don Bartholome de Amezquita. Dotor Don Pedro de Osaeta. Licenziado Don Iuan Geronimo Duardo.

§. 26. Sequitur Informatio Epi. scopi Nicaraguæ, exhibita suæ Catholicæ Maiestati. [Domine. In ordine ad exequendum Mandatum Regijs litteris ad me delatum, & adimplendas Pastoralis Officij mei partes, V Maiestati considerandum exhibeo statum, in quo reperiuntur Conuersiones Indorum, *Caribes* dictorum, qui intra Episcopatus mei limites habitant: & quàm necessarij fuerint pro earum conseruatione Fr. Melchior Lopez, & Fr. Antonius Margil, Ordinis S. P N. Francisci Religiosi, Missionarij Apostolici, ac modò de Familia commorantes in Seminario, Vulgò *Queretero*, dicti Ordinis, qui ad hunc Episcopatum de Nicaragua anno octogesimo octauo aduenerunt, vbi in animarum conuersione feruenti zelo suum munus prosecuti sunt. Quãuis ad me non spectet, Diuorum numero quemquam, nec viuum, nec mortuum ad scribere; benè tamen referre licet, Christiana claritate, quæ proprio experimento, visu, atque auditu deprehendi. Et præmittendo, quod totum hoc negotium à Deo ortum duxerit, quodque Missionis opus in ipsum debeat refundi, dicam de hominibus, quæ Dei sunt. Publicato enim Missionis munere, quod exequi intendebant, tanto subinde illud Diuinæ Gratiæ auxilio prosecuti sunt, vt vsque in hodiernum diem admirabiles huius rei effectus extent, idque eorundem prædicatione, assistentia, & exemplo plurimos abusus in Indis Conuersis, & tributarijs correxerunt, multiplices eorum errores extirparunt, atque in ipsis egregiè stabilita est Catholica Religio, prout tot signis demonstrarunt, non sine extraordinaria consolatione, quam quidem ego ipse incomparabiliter sentiebam in quibusdam experientijs, de eorum in fide constantia, à me factis, examinando nimirum ipsos in aliquibus punctis; ad tentandam eorum firmitatem; à quibus sequens accepi responsum: *Hoc nos docuerunt Benedicta Missionis Patres, & priùs moriendum, quàm peccandum.* Et si quando in aliquibus expertus fuerim minimam negligentiam, proponendo ipsis leuiorem aliquam partẽ doctrinę eisdem iam anteà traditæ, eosque inuitando ad suauiora illa, & faciliora exercitia, quæ prius ipsis proposita erant, (ad altiora enim eos allicere non permisit mea imbecillitas, ac feruoris defectus) taliter accedebantur, quòd primæuam viuendi rationem alacriter arrepti fuerint.

§. 27. Hispani mixti, seu Hybridæ, in moribus se multum reformarunt, quapropter pergrata mihi videbatur vasta in visitationibus meis peregrinatio, cum maiorem partem spiritualis consolationis meæ, onerisque Pastoralis alleuamentum hijs bonis operarijs debeam. Profecti sunt præfati Patres ad montes de *Talamanca* dictos, Prouinciæ de *Costa Rica*, Missionem suam inchoantes à parte Septentrionali, eamque prosequentes, quousque perueniatur ad Mare *Sur* dictum. Præfatorum montium habitatores, seu Incolæ viuunt absque vlla Euangelicę Legis cognitione, barbaris idolatriæ erroribus obcæcati, qui vulgò vocantur, *los Talamancas*, *los Terrabas*, *los Cabezares*, *los Chichagues*, *los Vsambaros*, *los Cabes*, *los Vsfuros*, *los Magagues*, ac plures alij, qui omnes, licèt diuersarum Nationum sint, tamen in falsis suis ritibus, ac diabolicis erroribus parum discrepant. Natiui sunt aliqualiter dociles, affabiles, ac benè inclinati, nullatenus tamen in Euangelicæ Legis veritate instructi: Imò sunt ita otio dediti, quòd prorsus inutiles videantur, totam spem suam in fœ-

minis collocantes in ijs, quæ ad laborem spectant, absque eo quod ad aliquam vilius momenti actionē se viri excitent. Eorum Tuguria sita sunt in quibusdam contubernijs, ab ipsis *Palenques* nominatis, in quorum singulis trecentæ Personæ plus, minusue habitare solent, istæque omnes eiusdem stirpis, neminem alterius familiæ secum admittentes; indeque oritur, quòd inter se ipsos nulla exerceant commercia. Contubernia præfata, *Palenques* dicta, ab ipsis construuntur in montium cacuminibus, ad quæ vix patet aditus, distantque inuicem decem, vel duodecim leucis. Ad omnes istos Montes nudis pedibus ingressi sunt præfati Religiosi, eorundem Incolis (à quibus tenero excipiebantur affectu) S. Euangelium prædicantes, & quantum in ipsis erat, exponentes Catholicæ fidei Veritatem, idque signis, demonstrationibus, atque exemplis; & quantum per interpretem, quem secum duxerunt, licuit, ipsos quibusdam bonis moribus imbuebant, atque in locis differentibus duodecim ipsis Ecclesias costrui fecerunt.

§. 28. Postquam autem has tenellas fidei radices plantauerunt prænominati Missionarij, in ipsis eius principijs montes præmemoratos derelinquerunt, ad suum Seminarium reuertentes, instante ad hoc, atque impellente Superiorum mandato, qui eos ad alia similia pietatis opera vocarunt. Fuit tam inopinata derelictio valdè noxia hominibus, qui de nouo fidei rudimenta perceperunt; inde enim sequi necesse erat, quòd ex natiua ipsorum ad otium propensionem, & summa ruditate ad quidquam percipiendum, citissimè obliti fuerint doctrinæ, quam non ita multum antea didicerant. Huic tamen periculo statim à me prouisum est, destinando ad ipsos Fratrem Sebastianum *de las Alas*, & Fratrem Paulum *de Otalora*, eiusdem Ordinis, ac huius Prouinciæ Santi Georgij de Nicaragua Religiosos, virtute præstantes, ac zelo feruentes. Attamen ex summis calamitatibus, quas in locis illis desertis, & penè inaccessibilibus passi sunt (præterquam quòd ordinarius ipsorum viuendi modus fuerit quidam liquor, ex radicibus, & herbis expressus, atque in paucissimis locis plantatæ, & lucæ) talem contraxerunt morbum, ex quo, nisi absque mora illinc discessissent, haud dubiè morerentur. Non potuit amplius ipsos iuuare Prouincia, quandoquidem omnes eius alumni, qui pauci numerantur, in administrationibus Sacramentorum, & Conuersionibus Indorum occupati sunt; quamuis modò non sit tanta difficultas huic operi se applicandi, propter Religiosos à V. Maiestate (quam Deus conseruet) de nouo missos, qui iam illuc peruenerunt. Hisce temporibus prædictæ Montium dela *Talamanca* Nationes ministris destitutæ sunt, etiamsi aliqui adsint, qui ad eas proficisci sunt prompti, non obstantibus periculis omnibus, quæ modò exprimere longum foret: & quidem propter experientias, quæ de prædictis montibus fiebant ab ijs, qui eos immediatiùs obseruarunt, & ex ijs, quæ ego ipse vidi, notaui, atque itineribus sæpe probaui, puto impossibilem esse Indorum illorum administrationem, nisi priùs relictis Montium cacuminibus, inquibus iam habitant, in eorundem radicibus, aut Vallibus deinceps degere velint. Ipsorum reductionem ad hoc vltimum fructuosam esse iudico, si tamen Verbi Diuini prædicatione fiat, adiunctis bonis exemplis, paupertate, & patientia illa, quæ à Ministris probari solent in infinitis penè Missionum laboribus: Et si ipsi Missionarij pares essent, aut similes primis illis Patribus, nempè Fratri Melchiorri, & Fratri Antonio, qui illis reductionibus principium dederunt, non dubito quin per Dei Prouidentiam ad optatam perfectionem facili negotio res perduci posset, quæ ex prima sui apprehensione, apparenti quadam, ac ficta impossibilitate plena creditur. V. Maiestas determinare poterit, quod sibi placuerit, erit enim semper maturiori consilio, & prudentia gestum. Cæterum Dominus Noster Iesus Christus custodiat, conseruet, ac prosperet Vitam, salutem, & gloriam Sacræ, ac Regiæ Maiestatis Vestræ, ad Ecclesiæ suæ vtilitatem, ac totius Christiani Orbis præsidium. Legione Nicaraguæ die 18. Mensis Decembris 1695. Sacra Maiestas osculor manus Catholicæ, ac Regiæ Maiestatis Vestræ. Fr. Nicolaus, Episcopus Nicaraguæ.

§. 29. Huic Informationi cohære-

rent aliæ, Prouinciæ Sancti Nominis Iesu de Guatimala, tùm ad eandem Maiestatem, tùm ad Commissarium Generalem Indiarum, Matriti existentem, die 28. Aprilis 1696. directæ. In quarum prima ita exprimitur.

§. 30. „ [ La Primera es el ser la mies de Indios, è Infieles, que ay por todos los contornos, y confines de estas Prouincias muy copiosa, y abundante, y que por medio de dichos Missioneros se espera, que sin hazer a la Real hazienda ningun costo. Vera el Catholico, y piadosissimo zelo, conque V. Magestad solicita con repetidas Instancias su reducion a la luz Euangelica, el logro de su Santo fin, esta esperanza se radica en la experiencia, con que ya viuimos, que dos de estos Religiosos solamente, que passaron del Colegio de Santa Cruz de Cretaro a las reduciones, y Conuersiones de Indios Infieles, que ay en la Prouincia de Costa Rica en el Obispado de Nicaragua, auiendo entrado acompañados de Iesu Christo Crucificado en las Naciones de la Talamanca, Boruca, y Changuenes las conuirtieron, y reduxeron à nuestra Santa Fee por medio de la Predicacion Euangelica, dejando fundadas, y erigidas doze Yglesias en doze pueblos tan quantiosos, y numerosos, que el menor de ellos tiene mil Indios Guerreros, sin los manzebos, Indios, muchachos y muchachas, como mas largamante constara a V. Magestad por los Informes, que sobre esto mismo tiene echos el Reuerendo Obispo de Nicaragua.]

Et in Epistola ad Commissarium Generalem prædictum.

§. 31. „ [ Sobre que hablando à V. Reuerendissima con la intimidad de hijos à Padre, le presenta esta Prouincia son indecibles, è imponderables los fructos, que de las Missiones de dichos Reuerendos Padres se han seguido en este Reyno, y que con la fundazion, que se pretende, han de ser mucho mayores, porque assi no leuantaran la mano de la mies con el continuo riego de su dotrina, y exemplo, por lo qual puesta a los pies de V. Reuerendissima esta Prouincia le pide, ruega, y suplica por nuestro Serafico Padre San Francisco, y por amor de Dios nuestro Señor dè con su authoritad à esta materia la ayuda, y fomento, que necessita, para mayor honra y gloria de Dios nuestro Señor.

§. 32. Alia prætermittimus transcribere testimonia, vt breuitati consulamus: præmissa enim ad plenum demonstrant, ex Infidelibus Indis, numerari plusquam quinquaginta millia, qui, opera Missionariorum vnius dumtaxat Collegij, seù Seminarij, Fidem Catholicam amplexi sunt. Ostendunt necnon fructus Spirituales, quos in horreum Domini vberrimè congregarunt Missionarij eiusdem Collegij in populis Christi Fidelium: Proindèque necessum videretur integrum tomum congerere, si expendenda forent bona, quæ à in Fidelibus, quàm Infidelibus aduenerunt, ex cæteris Collegijs Missionum iam erectis in Insulis, & Hispania, ac partibus Peruanis: quæque prouenient ex erigendis in futurum: si propagato huiusmodi Instituto, iugitèr per illud Ordo Minorum ( vti iam videmus in vsque nunc relatis) in eos collimauerit sanctissimos fines, ad quos Nuntius, ac Præco Dei Franciscus suos Filios Ecclesiæ, & Orbi datos esse non semel intellexit.

§. 33. Hos enim ipse Sanctus Patriarcha breuiter enumerauit in Opusculo, super hac re edito, adducto à Compilatore Opusculorum ipsius, in appe. dicta 1 Tom. 3. per hæc Verba. [ Fratres Minores dati, & vocati sunt à Deo, præcipuè, vt representent Christum Iesum, Dominum Nostrum, & tanta ipsius beneficia, tunc à Mundo quasi oblita, & contempta, vel neglecta, in memoriam Christianorum reducant: Et propter hæc ab ipso Filio, Domino Nostro Iesu Christo postulati sunt à Deo Patre suo.

§. 34. Et primò dati sunt, vt verbo, & facto sint Testes, & imitatores præcipui suæ altissimæ paupertatis, per omnimodam abdicationem proprietatis, & indebitæ affectionis, ac pauperem, & humilem vsum rerum omnium temporalium, quia Sancta paupertatis virtus, & affectus, quasi ab omnibus vbique deserta, & repudiata, ac contempta videbatur, adeò quod ampliùs nō inueniebat,

per-

perfectè, & integrè requiesceret pes eius.

§. 35. Secundò, vt verbo, & facto sint Testes, & imitatores suæ excellentissimæ, & perfectissimæ obedientiæ, quæ non solum Deo Patri suo obediens factus est pro Nobis vsque ad Mortem Crucis, & etiam parentibus suis sibi longè inferioribus, videlicet Sacratissimæ Virgini Matri suæ, & Beato Iosepho Patri putatiuo subditus esse voluit, sed (quod maius est) malis etiam Principibus, & Sacerdotibus obedire voluit, & docuit obedire; cum Censum Cæsari reddidit, & reddendum iussit, & cum de Scribis, & Pharisæis malis, populum Regentibus, dixit; Quæcumque dixerint Vobis facite, opera autem eorum nolite facere. Quia quanto contemptibilior præsidet, tanto magis obedientia subditi placet, & obediens meretur, maximè si talis obediens non sit causa promotionis, nec continuationis talis mali, & insufficientis Prælati. Et perfectissimus, ac Euangelicus obediendi modus, & gratus est, obedire propter Deum talibus, & alijs, non solum in his, quæ quis promisit ex Regula obseruare, sed etiam in omnibus, quæ non sunt contraria Animæ, & Regulæ suę, sine alia limitatione, vel repressione facultatis, aut iurisdictionis, vel obedientię Regularium Prælatorum suorum.

§. 36. Tertiò, vt sint Testes, & imitatores despectus, & humilitatis Christi, per contemptum omnium bonorum, & promotionũ, ac Dominatuũ Mundi, & per veram abiectionem, mortificationem, & contemptum sui ipsorum propter Deum.

§. 37. Quartò, vt sint Testes, & sequaces verbo, & opere suæ tantæ Charitatis, & affectionis, ad salutem omnium animarum, per Mundum discurrendo, ac Verbo, & exemplo prædicando, atque animas, ipsius Christi prætioso sanguine redemptas, ad ipsũ verũ Creatorẽ, & Pastorem, ac Redemptorẽ animarum ducendo.

§. 38. Quintò, vt sint Testes, & imitatores suæ sobritatis, pœnitentiæ, mititatis, condescendentiæ, & misericordię, atque puritatis, per moderatam abstinentiam, & ieiunia, ac labores, & per piam, ac charitatiuam condescentionem, & subleuationem afflictorum, & receptionem, ac sanationem Infirmorum peccatorum, ac Corporis, & Animę nitiditatẽ, ac puritatẽ.

§. 39. Sextò, vt sint Testes, & speciales contemplatores, & imitatores, ac Prædicatores suæ Sanctæ Passionis, ac Mortis, & beneficiorum tantorum suę benedictæ Incarnationis, Vitę, & mortis ipsius, & tantę nostrę redemptionis, non solum per iugem, & frequentem meditationem, & recordationem tantorum dolorum interiorum, & exteriorum ipsius, & pijssimę Matris eius; sed etiam per veram, & spontaneam tolerantiam omnium contrarietatum, & tribulationum interiorum, & exteriorum, atque vilipensionum, & dolorum pro Nomine eius Sanctissimo.

§. 40. Beati igitur Fratres illi, qui, quantum in se est, in omnibus his sequuntur Dominũ Nostrum Iesum Christum, & Sanctissimam eius Matrem in hac vita, quia in morte, & in Iudicio, cum ipso Capitaneo suo in acie, & societate verorum Christi Militum, & specialium imitatorum eius, gloriosi apparebunt; Et Christo, & Apostolis assidebunt omnes tribus Terræ iudicantes, id est sententiam Iudicis approbantes, iuxtà illud: Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in Sede Maiestatis Suę, sedebitis, & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.

§. 42. Igitur Fratres in Christo dilectissimi, & desideratissimi, propter Deum intelligite, & videte vocationem vestram, & quare Minores estis vocati, quia non vt maiores, sed vt humiliores, & abiectiores omnibus, atque inferiores propter Deum esse contendatis in pręsenti, vt hic in gratia, & in futuro in gloria maiores esse possitis. Et Dño Deo Nostro, qui tàm benignè, sine vestris meritis, ad tanta & tã sublimia vos elegit, & vocauit, grati estote, & contendite ambulare ea vocatione, qua vocati estis, non retrò aspiciendo, sed de virtute in virtutem proficiendo: Indubitanter tenendo, quòd si hęc secuti fueritis, & Christi Passionum socij, & contemplatores fueritis, eritis, & consolationum, & pro momentaneo labore pręsentis vitæ, præmium certum, & inęstimabile tandem cum Christo recipietis. Quòd Dominus ipse pius, meritis suę Sanctissimę Passionis, mortis, & glorificationis, ac intercessionibus suę Sãctisimę Matris, & omniũ Sanctorũ, & Sãctarũ Misericorditer cõcedat. Amen.

